COMMENTATIONES THEOLOGICAE.

EDIDERUNT

ERNEST. FRID. CAROL. ROSENMUELLER,
THEOL. D. ET LL. ORR. IN ACAD. LIPS. PROF. ORD.

GOTTLOB HENR. LUDOV. FULDNER,
PHIL. D. ET AA. LL. M., GYMN. ELECTOR. RINTELIENSIS CONRECTOR, SOC. HISTORICO-THEOL. LIPS. SOD. ORD.

ET

JOS. VALENT. DOMINIC. MAURER,
PHIL. D. ET AA. LL. M., SOCIET. HISTORICO-THEOLOG. LIPS. SOD. ORD.

TOMI PRIMI PARS SECUNDA.

LIPSIAE,
PROSTAT APUD C. H. RECLAM.
MDCCCXXVI.

De discrimine disciplinae Christi et Apostolorum commentatio.

Scripsit

Joh. Aug. Henr. Tittmann, Theol. D. et Prof. Prim. Lips. *).

Pugnarum, quae in scholis Theologorum dimicari solent, multitudine defatigati, quicunque in divina librorum sacrorum institutione acquiescere constituunt, etsi ab humanarum opinionum dissensu sacrorum virorum consensione haud parum se recreatos sentiunt, facile tamen perturbari, aut certe molestis dubitationibus implicari possunt mirifico quodam discrimine disciplinae Christi et Apostolorum. Utramque enim comparantes, quum in rebus ipsis summum consensum reperiamus, in verbis dicendique formulis universoque modo tradendi eximiam diversitatem animadvertimus. Quare fuerunt haud pauci, qui doctrinam ipsam Christi ab institutione Apostolorum diversam esse dicerent, atque hos divini magistri sententiam varie mutasse arbitrarentur. Putarunt enim, Apostolos aut multa non satis recte intellexisse, variisque opinionibus impeditos, vel nolentes a magistri doctrina quibusdam locis recessisse, aut ceden-

*) Constat haec commentatio, ab auctore Venerabili passim emendata, tribus partibus a. 1805. deinceps editis.

tes tempori, dum ad homines, quos edocerent, disciplinam suam accommodarent, multa a Domino vel obscurius dicta, vel brevius disputata, in aliam sententiam mutasse, denique multa ex ingenio addidisse. Atque hoc nomine Paulus inprimis accusari solet, adeo, ut parum abesse videatur, quin is homo versutus quidem et callidus, sed multis tamen iisque falsissimis opinionibus deditus habendus sit. Fuerunt quoque, qui, quae ipsis displicerent, doctrinae Christianae capita, licet ab Apostolis tradita fuerint, tamen non ex mente Christi prolata, ideoque ab ipsa religionis doctrina dudum secernenda fuisse existimarent. Habent vero hae opiniones haud levem veri speciem, et quum imperitos incertos reddunt, tum iis quoque, qui accuratius iudicare de rebus divinis consueverunt, haud parum negotii faciunt. Et vidimus olim sane multos, eosque linguarum et historiae peritissimos, probe exerceri ab his, qui adversus dogmata quaedam pugnantes, illud, quod diximus, discrimen obiicerent, atque capita doctrinae, in quibus aliquis dissensus magistri et discipulorum reperiretur, ea vero omnia protinus relinquere iuberent. Nam quum illi se resque suas sic defenderent, ut ad sacrarum litterarum auctoritatem recurrentes, capita illa, invidia temporum vexata, ex ipsa divinorum scriptorum mente explicarent, saepe accidit, ut, quod adversarii satis scite urgerent, aut non bene intelligerent, aut temere negligerent, disciplinam Christi et Apostolorum diversam fuisse, et quum disciplinam, id est modum tradendi, a doctrina ipsa non accurate satis distinguerent, hanc unam ob caussam multi minus feliciter rem suam gererent. Quod quum nostri quoque aevi exempla neque pauca neque obscura demonstraverint, operae pretium nos facturos existimavimus, si de disciplinae Christi et Apostolorum discrimine, quantum quidem pro libelli academici angustiis fieri posset, disputaverimus.

Erit autem tripartita huius loci tractatio. *Primum* enim, quoniam veremur, ne sint, quibus ne hoc quidem disciplinae discrimen concedendum esse videatur, (putamus autem eos fore paucissimos,) illius *discriminis caussas* exponemus; *deinde discrimen ipsum* describemus, eum ordinem sequuturi, quem ipsius disciplinae ratio ostenderit; *denique, quis sit eius observandi modus*, explicabimus, ut ipsa doctrina divina recte constituatur, potissimum vero ut intelligatur, discrimen illud non doctrinae esse, sed disciplinae tantum, et licet diverso docendi modo Christus et Apostoli usi fuerint, eos tamen in ipsa doctrina optime consentire.

Sed quoniam ambiguitatem aliquam disciplinae verbum habere possit, ne incertum sit, de quo disputemus, eam accuratius definiamus. Est igitur disciplina, quum de doctrina quadam dicitur, certa et constans ratio, quam in doctrina tradenda magister sequitur. Et certam quidem dicimus propterea, quod pendet e certo consilio, quod magistro est propositum; constantem autem, quia non temere mutatur, sed idem semper consilium et leges easdem sequitur. Quare disciplina ab ipsa doctrina distinguenda est. Haec enim res, quae traduntur, complectitur, illa modum constituit, quo traduntur; ne quis de ipsorum capitum fidei, quae in scholis dicuntur, diversitate quadam nos disputare existimet: loquimur enim de disciplina tantum, id est de modo et ratione doctrinam tradendi. Sed disciplina multas partes habet, quas singulas distinguere necésse est. Nam, qui arte et consilio tradere quidquam aliis cupiunt, hos de duabus potissimum rebus deliberare oportet, primum quo ordine tradant singula, deinde, quo delectu orationis. Itaque disciplina duabus rebus cernitur, primum ordine et dispositione, deinde oratione et eloquutione. Sed ad ordinem et dispositionem haec tria requiruntur: primum ut rectum fiat initium

docendi; deinde ut partes institutionis singulae bene inter se cohaereant, et se invicem excipiant; denique ut universa doctrina intelligatur recte et inveniat fidem. Quam ob caussam, obscuriora diligentius, quae difficilius fidem inveniant, crebrius et copiosius exponenda sunt: nam certam artis regulam sequi non ubique necesse est neque utile apud omnes, impatientes vinculorum; placet in populari institutione liberior disciplina. Alterum in rebus recte proferendis cernitur, seu in ipsa oratione. Sed haec ipsa duas item partes habet, inventionem et eloquutionem. Inventio pendet partim e deliberata ratione in argumentis rerum eligendis, partim e ratione singula tractandi ad hominum instituendorum ingenia prudenter accommodata. Varie enim pro variis audientium rationibus vel cogitari res eadem vel tradi potest; neque iisdem omnes argumentis moventur, sed alii aliis, in quorum delectu observando summa magistri prudentia conspicitur. Ergo inventio tota sese ad homines et tempora componet, ne oratio temeraria et inopportuna irritum docentis consilium faciat. Inventionem eloquutio denique excipit, quae non unius generis esse solet. Aliter enim loquimur apud familiares, aliter apud alienos, aliter privatim, aliter publice: alia est etiam oratio, quum absentibus scribimus, alia, quum praesentes viva voce docemus. Quare in libris sacris magna orationis diversitas reperitur, a bono interprete nullo modo negligenda, sed hoc loco, quem tractamus, diligentissime observanda. Verum haec de disciplina universa dixisse satis est; igitur ad rem ipsam perveniamus; et primum quidem, ut diximus, *discriminis*, de quo disputamus, *caussas* exponemus.

Est autem caussarum, e quibus ortum est discrimen disciplinae Christi et Apostolorum, non facilis observatio; sunt enim variae, diversae et haud parum impeditae; eas igitur in singulas classes et quasi species dividamus. Sed quum in unaquaque re tradenda certae

caussae adsint, ob quas alius aliam disciplinam sequatur, communes illas caussas ad christianae doctrinae disciplinam transferamus. Pendet autem omnis disciplinae instituendae ratio primum e consilio, deinde ex hominibus, denique e temporibus. Nam quum diversum est consilium, eandem rem diversa ratione tradere necesse est; neque apud homines omnes eadem institutio locum habet, aut temporibus omnibus, sed utroque modo quam maxime mutatur disciplina. Quae quum in quacunque institutione mutandae disciplinae caussae reperiantur, in Christiana quoque doctrina tradenda locum habuerunt. Itaque discrimen disciplinae Christi et Apostolorum his tribus caussis constare arbitramur, consiliis diversis, hominibus et temporibus; de quibus singulis deinceps dicemus.

Primum igitur in tradenda doctrina aliud Christo consilium fuisse, aliud Apostolis, res ipsa clare loquitur. Quamquam enim Apostoli cum Domino in summo doctrinae tradendae consilio consenserunt, tamen in hoc divino consilio perficiendo diversam rationem sequuti sunt. Saepissime enim, quum idem pluribus propositum est, singulis ad illud efficiendum variis modis et consiliis opus est. Tametsi igitur, Apostolos in summa rei cum divino magistro consensisse, ab omnibus concedendum est, quum et res ipsa doceat et ipsi Apostoli saepissime declaraverint, se nihil non ex mente Domini facere, sed bonarum tantum operarum partes agere, qui fundamento, a magistro iacto, ex huius consilio, aedificium superstruant (1 Cor. 3, 9.) tamen uti Paulus hoc ipso loco, de se loquutus, distinxit eum, qui incepit aedificium (τὸν οἰκοδομήσαντα) ab eo, qui superstruit huic fundamento aliam materiam (ἄλλος ἐποικοδομεῖ), ita etiam distingui potest consilium Christi et Apostolorum.

Primum enim Christus non omnibus, sed paucis, iisque Iudaeis, tradere doctrinam voluit; Apostoli au-

tem omnes homines gentesque, sive Iudaeos, sive Graecos, saluberrima doctrina imbuere debuerunt. Et hoc quidem tota vita Domini satis ostendit. Nam a Galilaea exorsus, Palaestinae oppida et vicos peragravit, sed inter fines patriae fere semper se tenuit. Vitam privatam egit, parva suorum manu stipatus, sed data occasione nonnunquam docuit multitudinem, quae rerum ab ipso gestarum fama excitata, e vicinia ad eum confluxisset: publice docendi ultimis demum temporibus occasionem sumsit, ne ἀμάρτυρος e vita discederet. Sed ab hoc sapientissimo Domini consilio, munus Apostolorum alienissimum fuit. Hi enim, postquam Iesus hanc terram reliquerat, Asiae et Graeciae magnam partem peragrarunt, et Romae adeo docuerunt, obtemperantes mandato magistri, iubentis μαθητεύειν πάντα τὰ ἔθνη. Haec vero consilii diversitas tanta est et tam gravis in re nostra, ut negligi nullo pacto possit. Nam quum aliam disciplinam populares desiderent, aliam peregrini, et aliter loquamur inter amicos, aliter publice et cum contentione, facile intelligitur, Christi et Apostolorum disciplinam vel hanc ob caussam diversam reddi debuisse. Sed haec non una consilii diversitas fuit; accessit alia non minus gravis, quam praetermittere hoc loco non possumus. Christi enim non hoc consilium fuit neque esse potuit, ut perfecte et plene doctrinam ipse traderet, ne his quidem, inter quos doceret, sed ut semina tantum spargeret, ab Apostolis fovenda et ad laetissimos fructus perducenda. Itaque hoc egit maxime, ut doctrinae, quam a patre accepisset, fundamenta iaceret, dum, Messiam exspectatum iam venisse, seque hunc ipsum vere adesse, doceret factisque ostenderet, atque sic ad suscipiendam doctrinam, ab Apostolis uberius tradendam, animos hominum praepararet. Noluit ecclesiam ipse condere divinus magister, noluit doctorem gentium se ipsum exhibere; sed ecclesiam Apostoli condere debuerunt, iidem-

que doctrinam, quam ipsis Dominus familiaribus sermonibus tradidisset, ad omnes gentes pertulerunt. Quamquam enim propheta fuit, qualem exspectare Iudaeos aequum esset, tamen scholam magis condere, quam ecclesiam, et fundamenta iacere, quam rem perficere voluit. Quod vere a nobis dici, ex ipsa ratione docendi, quam sequutus est Dominus, satis intelligi potest. Nam quod offendit nonnullos, Iesum interdum data opera loquutum esse paullo obscurius, ut Iudaei, ipsum audientes, dictorum sententiam non assequerentur, id tantum abest, ut aut inhumanitatem prodat, aut callidam simulationem, ut mirificam Christi sapientiam luculentissime ostendat. Nihil enim efficere potuisset apud homines illos, qui praecepta communia vix capere possent, nedum novae doctrinae capita, abscondita hucusque et ab universi fere seculi opinionibus aliena. Itaque sapientissimo consilio doctrinam nonnisi in universum tradidit et quoad summam, atque satis habuit, communia, ad genus humanum ab omni superstitione liberandum, ad exstirpanda vitia, ad virtutem alendam, ad hominum animos communi et fortissimo amoris, honesti, speique laetissimae vinculo coniungendos, saluberrima et efficacissima praecepta dedisse. In his autem ita versatus est, ut popularium animos excitaret quidem, sed captaret nullo modo, imo multis locis exacerbaret et irritaret: saepe enim lenem medicinam non patiuntur vitia hominum, sed animus torpens prava consuetudine et quasi sopitus superstitione, non sine vi quadam et contentione suscitari potest. Christus igitur, qui bene nosset popularium ingenium, quamquam nec superstitioni nec vitiis parcere constituit, satis tamen fecisse videbatur, si eos excitasset, atque a principum flagitiosorum consiliis avocasset, ut crederent, se ipsum esse Messiam, inde a mundo condito destinatum et maioribus per prophetas promissum. Quodsi quis existimet, parum hoc fuisse atque consi-

lium Christi arctioribus limitibus a nobis includi, is cogitet, nos non de universo negotio eius salutari loqui, sed de munere doctoris, eoque publico. Id vero et ipse professus est diserte Luc. 8, 9. 10., et universa institutionis ratio docet, eum plenam doctrinam tunc quidem popularibus tradere noluisse. Plenus est aureus Iohannis liber orationum Domini, quas habuit ad Iudaeos; sed earum argumentum nonnisi ad capita communia spectat, scilicet ipsum esse Messiam, auctorem salutis, divinitus datum, missum a patre, ut homines a peccatorum miseria liberaret et ad amissam felicitatem reduceret. Quod etiam Iohannes declaravit in Ep. I. 1, 5. 6. Et quamquam Nicodemum plenius instituit et de persona Ioh. 5, 13. 16. et de morte sua v. 14. 15., et de modo consequendae salutis v. 2 ss., Iudaeis tamen, multa saepe de iisdem rebus quaerentibus, nihil respondit, nisi quod e libris sacris scire possent, hominum, verbis ambiguis et duris exacerbatorum, offensionem nihil curans; cuius rei luculentissimum exemplum extat Ioh. 8. Inprimis operae pretium est, ea legisse loca, in quibus de regno et adventu suo loquutus est. Nam saepe quidem repetiit spem regni a se constituendi, et apud Iudaicum vulgus quoque id fecit, unde cognoscitur, eum cogitasse de regno futuro. Ipse enim, a terrestris regni affectatione alienissimus fuit: sed Iudaei non intelligebant, quid sibi vellet regnum invisibile et internum, cuius ille auctorem et caput pluribus locis se profiteretur. Admiramur in hoc quoque consilio mirificam divini magistri sapientiam. Regnum enim, si ipso vivente conditum esset, tale futurum fuisset, quale ab ipsius et patris consilio longissime esset alienum: nam hominum superstitio, cupiditas et inhians rebus terrenis animus, regni illius veri vim impedivissent, et pietatem virtutemque in externarum rerum vanum studium convertissent. Itaque neque ipse doctrinam plenam et abso-

lutam tradere omnibus voluit, neque vero plene tradi tuno quidem ab aliis potuisset; nondum enim impleta erant omnia; et regnum quoque post mortem demum condi voluit. Sciebat enim, qui ad religionem vere colendam adiicerent animum, his non licere rebus humanis amplius inhiare, sed ad coelestia et immortalia contendendum esse. Neque vera ecclesia terrestribus vinculis continetur, sed invisibili imperio, quod labentibus seculis in turpem tyrannidem superbia et cupiditas hominum mutavit. Et mirari profecto satis non possumus divinam optimi magistri sapientiam, qui non hoc egerit, ut simul, et quasi uno momento, animis hominum, non satis praeparatis et idoneis, doctrina divina veluti obtruderetur, sic ut a posteris accuratius et verius cognosci non deberet; sed qui semina tantum spargere voluerit, quae omni futuro aevo inter homines sapientiores, integriores, honesti rectique amantiores, denique beatiores, foverentur, nutrirentur atque ad fructus in dies laetiores perducerentur. Quod si quis illam operis salutaris partem brevi tempore, quod in his terris vixit, absolutam existimet, is valde fallatur; imo perdurat hoc quoque divini servatoris negotium, durabitque usque ad finem rerum humanarum. Eo enim fructu iam est Dominus noster, qui ascendit in coelos, quemadmodum Paulus dixit: Eph. 4, 10: ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα, et v. 13. μέχρι καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας, τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ. Nunquam enim deerit, quod ex illo perenni et inexhausto divinae sapientiae fonte, qui iam tot aetates hominum virtute, spe ac pietate foecundavit, hauriamus purius, spretisque denique humanae libidinis fraudibus aquam salutarem penitus animis imbibamus. (Apoc. 22, 1.) Atque cum hac nostra sententia bene conveniunt, quae de regno suo, et παρουσίᾳ dixisse legitur Dominus in libris sacris, e quibus lucu-

lenter intelligitur, Christum vel regni sui vel omnino rerum humanarum, divina doctrina beandarum, initium post mortem demum fieri voluisse. Quamobrem suorum quoque studia nonnunquam cohibuit, iisque veram consilii sui rationem post resurrectionem demum aperuit; Iudaeis autem multa obscura reliquit, et suis quoque non satis perspecta; multa etiam esse dixit, quae neque ipsi iam, se vivente, capere possent, neque apud reliquos fidem essent inventura, omnia autem, postquam in coelum rediisset, et clariora futura esse et largissimos fructus prolatura. Gravissimum legitur huius rei testimonium Ioh. 16, 7 sq. quo loco diserte declarat, utilem esse discessum suum, vel ob spiritum mittendum, qui homines illius seculi arguere primum perversitatis debeat, quod sibi non habuissent fidem, deinde iustae caussae suae, quae per suum ad patrem abitum luculentissime demonstrata fuerit, denique apertam facere victoriam, quam de infesta vi, hactenus saluberrimis consiliis suis opposita, esset deportaturus. Atque hanc ipsam ob caussam promisit etiam spiritum sanctum, qui Apostolos accuratius et uberius institueret atque iis etiam in memoriam revocaret, quae ab ipso iam accepissent, ipsum vero Dominum illustraturus esset eiusque opus dictis factisque confirmaturus. Ioh. 14, 26.; 15, 26.; 17, 12 sq. Iam, si certum est, Iesum in docendo aliud consilium, quam Apostolos, sequutum esse, haec ipsa diversitas, quantopere ipsam Domini et Apostolorum disciplinam diversam reddere debuerit, sua quisque sponte intelliget. Aliud est enim, doctrinae semina spargere in populo et familiari quasi terra, aliud homines, ad certam disciplinam iam adstrictos et indole plane diversos, accuratius edocere; aliud vero est, capita religionis in universum et quasi summa tantum exponere, aliud omnia ac singula explicare sic, ut ad singulorum hominum ingenia et mores respicias; aliud denique prima fundamenta ponere,

aliud vero ad singulas rationes humanas et tempora doctrinam uberius explicatam componere atque diffundere. Vidit hoc ipse Paulus, cuius summa in hominum animis regundis solertia fuit, et τὰ στοιχεῖα distinxit ab uberiori et perfectiori institutione. Hebr. 5, 12.; 6, 1. seq. col. 1 Cor. 3, 2. Sed huius caussae vim postea exponemus, nunc reliquas caussas videamus.

Secunda enim caussa, quae Christi et Apostolorum disciplinam diversam reddidit, in hominum instituendorum diversitate quaerenda est. Ut enim prudentis magistri est, quos velit instituere, quinam et quales sint, diligenter dispicere, ita haec hominum diversitas magnum ipsius disciplinae discrimen efficiat necesse est. Atque hoc loco non gentis solum et educationis, sed ingenii quoque, morum, opinionum et religionis diversitas observanda est. Quae tanti momenti esse solent in instituendis hominibus, ut nisi ea recte distinguas, ad eaque totam quasi efformes disciplinam, nihil efficias. In libris autem sacris explicandis, non solum quid dicatur, sed quibus dicatur maxime, animadvertendum est, ut iam Erasmus, vir immortalis, observavit. Iam vero alios fuisse homines, quibus Iesus doctrinam divinam traderet, alios vero, quos Apostoli instituerent, nemo potest ignorare. Vivebat ille enim inter Iudaeos, multis quidem opinionibus vanis occupatos, et religioni maiorum procerumque legibus obstrictos, sed ex imperita plebe, artium et disciplinae nescios, summisque reipublicae periculis, Romanorum etiam iugo valde depressos. Apud hos vero sufficiebat, opinionum imperium deiecisse, religionis superstitionem librorum sacrorum auctoritate minuisse, denique futurae monstrasse spem incolumitatis. Nam vix tulissent doctorem, qui maiorum religioni plane repugnasset, aut legi patriae, cuius illa gens tenacissima fuit, aliquid detraxisset doctrinamque tradidisset, qui percipiendae non essent pares. Erant illi Iudaei, animo levi, feroci, non fracto

quidem, sed demisso et humili, ad meliorem doctrinam praeparandi; nonnulli etiam amici, homines integri, probi et honesti. Hos igitur Iesus suscepit instituere, hos auditores plurimos, sectatores paucissimos habuit. Tales vero, quis non videat, longe alia ratione instituendos fuisse et tractandos, quam quos Apostoli instituerunt, Christianos e Iudaeis aut gentilibus. Christianos dicimus; nam Apostolorum epistolae scriptae sunt ad homines iam imbutos doctrina Christiana, Iudaeos antea aut gentiles. Primae enim hominum, plane imperitorum doctrinae Christianae, institutionis, in commentario Lucae, quem de rebus gestis Apostolorum scripsit, paucissima vestigia supersunt. Atque haec ipsa docent, Apostolos, quum primum verba fecerint ad Iudaeos et Graecos, singularem quandam rationem sequutos esse et sequi debuisse. Si quis enim Pauli orationem, in Areopago Athenis habitam, ad sapientium hominum illorum superbiam deprimendam, populique iram compescendam efficacissimam, legat, is longe aliam docendi rationem reperiet, quam in Domini institutione ipsisque orationibus Apostolorum, veluti ea, quam Petrus habuit feriis Pentecostalibus. Sed in epistolis conscribendis longe alios lectores et discipulos ante oculos habuerunt et disputarunt aliter cum Christianis e Iudaeis, aliter cum iis, qui e gentibus accessissent. Sed Iudaeorum quidem, qui iam susceperant doctrinam evangelii, longe alia ratio erat, atque eorum, quibus Dominus eam tradebat. Hi plane ignari erant melioris doctrinae, illi eam iam cognoverant, hi legem patriam adhuc colebant, illi Christianam erant amplexi; in illis multum quidem φυράματος supererat, sed hi penitus erant purgandi. Sed illud maximum; ex ipsa novae religionis forma novum fere genus opinionum oriebatur, ad quas expellendas nova et mutata disciplina opus erat. Quod quum non ab omnibus satis observari soleat, paullo accuratius exponendum est. Aliud est enim,

erudire pueros, nondum disciplina quadam imbutos, aliud vero docere adultos, quorum animi iam multas opiniones susceperunt, et certae disciplinae dudum adsueti sunt. Nam illi quidem integram animo doctrinam recipiunt, quasi semen terrae traditum nondum cultae; sed his instituendis inveteratae opiniones officiunt, saepe etiam errores, vitia, superstitio offendunt. Terrae saepe iam consitae semen tradas, neque fructum habebis integrum, sed cum frumento spinae, zizania, lolium crescent; neque magis quidquam institutionem impedit, quam, quae semel animum occupavit, sentiendi agendique perversa consuetudo. Atque haec res observari satis diligenter non potest in hominibus illis, qui a Christo et Apostolis erant instituendi. Iudaei enim, quorum animis vetus religio inhaerebat, novam doctrinam non poterant suscipere, quin vetusta et nova commiscerentur, atque e veteris novaeque institutionis coniunctione, opiniones novae orirentur, quas Apostolos magno cum studio evellere necesse erat. Itaque in Apostolorum disciplina cum Christi institutione comparanda, maxime vis illa observanda est, quam in Iudaeorum animis nova doctrina habere debuit, quum novas ipsa quoque opiniones procreaverit, quae nondum reperirentur apud eos, quos Dominus instituisset. Ita enim comparatus est animus humanus, ut quae nova didicerit, ea cum antiquis comparet et coniungat, multaque retineat, quibus ea, quam novam susceperit, doctrina mutari et novum quasi trahere colorem soleat. Coalescunt vetusta cum recentioribus, ita ut pauci sint, in quorum animis, quae nuper tradita fuerint, serventur integra. Alia quoque ex aliis vitia oriuntur; et in plurimorum animis mutatur tantum non exstirpatur superstitio. Quod Apostolos quoque expertos esse, non mirabimur apud Iudaeos, tenacissimos patriae legis et superstitiosissimos, neque vero etiam apud gentiles, multis opinionibus perversis occupatos. Itaque multa cau-

tione opus habuerunt, ut superstitioni novae occurrerent, et a pravis opinionibus puram et integram doctrinam divinam servarent. Hinc ipsa Apostolorum disciplina diversissima reperitur, quoniam ad hominum illorum opiniones et errores accommodata esse debebat, ita, ut qui non satis recte homines, quos illi instituerunt, et consilium Apostolorum, distinxerit, is hos ipsos sibi repugnare existimet. Quod quum multis exemplis docere possimus, lubet unum tantum afferre, idque quam maxime illustre. Sciunt enim omnes, quantae olim de fidei et bonorum operum necessitate controversiae fuerint, inde a Lutheri maxime temporibus (quamquam Scholasticorum maxime vitio illa calamitas orta fuit); quum alii fide sola gratiam divinam et salutem consequi homines docerent, alii bonis operibus maxime opus esse praeciperent, utrique vero ad scripta Apostolorum provocarent. Atque est profecto mira in his ipsis species contradictionis. Innumerabilibus enim locis, quibus Paulus sola fide dixit *δικαιοῦσϑαι* homines, hic unus obtendi poterat Iacobi locus: (2, 24.) *ὁρᾶτε τοίνυν ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνϑρωπος καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον.* Enimvero inter Christianos eos, qui Iudaei antea fuissent, diversa opinio erat, una, quam ex institutione veteri retinuissent, de lege mosaica observanda, altera non minus falsa, quam susceperant tunc, quum fidem solam commendari audivissent, de fide inerti et cassa virtute. Sed haec duplex opinio diversam prorsus disciplinam desiderabat. Illam enim Paulus eximere animis Christianorum voluit, dum disputavit contra legem mosaicam et opera legis, quamquam ipse nihil minus magnifice sensit de necessitate virtutis. (Rom. 2, 4—6.; 6. tot. 8, 2. sq. 10. sq.) Iacobus autem, quando docuit, fidem sine operibus vanam esse, per opera iustificari homines, non tantum per fidem, cavere voluit, ne Christiani, quum audirent, omnia ad fidem redire, neque opus esse lege mosaica, sed uni

evangelio esse adhaerendum, inciderent in opinionem contrariam, religionis Christianae professionem cultumque externum sufficere, neqne opus esse ut eidem etiam agas convenienter et sentias. Neque vero mirandum est, in ipsius Domini institutione non reperiri eiusmodi sententias et disputationes, quibus Pauli scripta ubique repleta sunt; alios enim homines ille docuit, alios hic instituit, correxit et castigavit. Sed in hao hominum diversitate non negligendum est alterum genus hominum, quibuscum Apostolis negotium fuit. Fuerant enim hi gentiles antea, perversis quidem et ipsi sed longe aliis opinionibus occupati, ideoque longe alia ratione instituendi. Et quum nemo nesciat, quantum discrimen fuerit inter Iudaeorum ingenia et mores Graecorum, concedent omnes, arbitror, hanc novam caussam ortam esse diversae disciplinae Christi et Apostolorum. Aliter enim Iudaeos par erat doctrinam excipere, aliter Graecos aliosque; neque enim omnis terra eosdem fructus ferre solet, sed prudentis magistri est, pro diverso hominum ingenio consilium et disciplinam mutare. Enimvero, quemadmodum doctrina Christiana, Iudaei animum affecit singulari ratione, sic, ut antiquae vitae et religionis vestigia remanerent, ita etiam ethnici animus longe aliter affectus est, idololatriae et vitiis suae gentis dediti, ut nova doctrina a prisca eius religione et vita proprium colorem traheret. Quae res et mutare disciplinam Apostolorum debuit et hoo loco est maximi momenti. Neque enim obliviscendum est, quod modo monuimus, epistolas Apostolorum, non primae, sed secundae quasi et uberioris institutionis exempla exhibere, et scriptas esse ad homines, rerum Christianarum scientia iam imbutos, sed nunc uberius instituendos, corrigendos et emendandos. Sed Christi institutio, quae ex Evangelistarum commentariis cognoscitur, prima fuit atque, ut diximus, elementaris, cuius longe alia ratio fuit, atque Apostolorum. Hi vero, qunm diversissimi

ingenii homines instituerent, iam disciplina quadam imbutos, necesse habuerunt in docendo rationem sequi eam, quam varia doctrinae traditae vis in diversis diversorum animis suasisset. Quare non dubitamus, quin hanc praecipuam illius discriminis caussam fuisse existimemus.

Sed tertia restat, quae diversitate temporum constat. Tempora autem dicimus res omnes, quae, quum Apostoli docerent, vel ipsorum consilium mutarunt, vel singularem quandam docendi rationem desiderarunt. Etenim ex eiusmodi rebus fere semper pendent instituta humana; ut, qui sapienter versentur, hi tempora diligentissime observent ad eaque omnem agendi rationem caute instituant. Neque vero Apostoli non experti sunt vim temporum, sed inciderunt multa, ob quae opus esset universam disciplinam mutari. Quae, si negligit interpres N. T. is neque plurima litterarum sacrarum loca recte intelligit, neque de ipsa Apostolorum disciplina vere iudicabit. Reputantibus autem nobis tempora illa, ante omnia offert sese gravissimae rei cogitatio, quae uti ad homines servandos, beandos, corrigendos et emendandos vim habuit plane divinam, ita etiam efficaciam maximam habere debuit in disciplina et consilio Apostolorum. Scilicet mors Christi, sapientissimo et benignissimo Dei consilio tolerata, quum prorsus tempora mutaverit rebusque omnibus novam plane formam et faciem dederit, tum vero etiam disciplinam Apostolorum mirifice mutavit, et duabus quidem rebus maxime; primum, quod consilium divinum, cui Christus vel morte sua satisfecit perfectissime, tum demum penitus apparuit, deinde, quod universae doctrinae Christianae, summo capite auctae, nova quasi forma data est. Nam quamdiu Christus rebus humanis hac in terra interesset, omnia alia sperabant non tantum Iudaei, verum etiam amici Iesu atque Apostoli. (Luc. 24, 21.) Neque enim intelligebant immensam consilii divini sa-

pientiam σοφίαν Θεοῦ ἐν μυστηρίῳ, τὴν ἀποκεκρυμμένην, ἣν προώρισεν ὁ Θεὸς πρὸ τῶν αἰώνων. (1 Cor. 11, 7.) neque eam poterant intelligere, priusquam Christus fidi pastoris instar pro salute generis humani sese devovisset. Quamquam enim saepe Dominus de morte sua imminente loquutus erat, non obscure tantum, sed etiam proprie et perspicue; tamen discipuli, quid sibi vellet, non satis intellexisse narrantur. Luc. 18, 31-34. Sed morte Christi, et rebus humanis nova lux affulsit et Apostolis, Luc. 24, 44. 45. et vero etiam universae doctrinae Christianae. Iam enim, perfecto consilio Christi (nihil enim restare, quin iam morte denique tolerata ad maiestatem pristinam rediret, ipse dixit Joh. 17, 4.) non solum universae οἰκονομίας ratio apparuit, sed fieri etiam potuit, ut impedimentis, ab invidia, superbia et inscitia hominum obiectis, nunc tandem remotis et discrimine, quod sepis instar Judaeos et gentiles separasset, (Eph. 2, 11-22.) sublato, evangelium perfecte traderetur. Accessit vero hoc quasi caput summum doctrinae Christianae eique novam plane formam et novas caussas dedit, quibus antea caruisset. Satis enim ipsius divini magistri luculentissima verba docent, negotii divinitus ipsi demandati hanc non minimam partem fuisse, ut genus humanum a peccati miseria morte potissimum voluntaria liberaret. Sed hoc saluberrimum institutum post mortem demum Domini praeesse coepit rebus Christianis. Iam vero haec res dici vix potest, quantopere mutaverit vel ipsam doctrinam, vel rationem disciplinae; sed totam institutionem Apostolorum ita direxit, ut ab ea initium fecerint eiusque magnitudine totam disciplinam finiverint. Quod quum scripta eorum luculenter ostendant, eos hac potissimum doctrinae parte usos esse, eamque apud Judaeos atque gentiles pari studio tractasse, non est, quod hanc celeberrimam diversae disciplinae caussam dicere dubitemus. Quare non mirandum est, disciplinam Apostolorum a

Christi institutione vel hoc loco valde diversam fuisse. Sed hoc discrimen et necessarium fuit hanc ipsam ob caussam, quoniam doctrina Christi morte demum eius fuit absoluta, et ad disciplinam tantum pertinet, quam mutata tempora prorsus mutarunt. Atque id ipsum Iesus praedixit, eo loco, quo amicos de discessu suo est consolatus, imprimis Joh. 16, 6 sq. adeo ut παρουσίας Christi initium in hoc potissimum tempus inciderit, quo totius generis humani servatorem se exhiberet. Quodsi qui temporaneum hoc institutum fuisse et ad Judaeos tantum pertinuisse, existiment, horum opinioni etsi viris equisque, ut dicunt, repugnandum est, tamen ne haec quidem hoc loco quidquam efficiet: nam de iis rebus disputamus, quae Apostolorum temporibus doctrinae Christianae tradendae disciplinam mutarunt. Sed alia quoque accesserunt, quae tempora plane diversa reddiderunt, satis omnibus nota; quam ob rem in pauca conferemus. Iesu enim temporibus respublica Iudaeorum turbata quidem erat et proxima ruinae, speciosa tamen quiete tranquilla et quasi sopita; sed postea periculosissima tempora irruebant, a Christo praedicta, existebant impostores, et quotannis fere tumultus et seditiones oriebantur. Deinde quum ille doceret, nulla, nisi inter legis patriae peritos, dissensio fuit, quorum certamina vulgus non curasse videtur. Sed Christo mortuo omnia subito mutata sunt. Doctrina enim Christi Graecis innotuit eosque partim cepit dulcedine veri, partim exacerbavit et hostili odio incendit. Et inter ipsos Iudaeos quoque, qui eam susceperant, dissidia oriebantur, quorum rationem Apostolos habere necesse fuit; inprimis quum nonnulli doctrinae Christianae magistrorum Iudaeorum opiniones addere coepissent; adversus quos graviter loquutus est Paulus pluribus locis, v. c. in Epp. ad Coloss. et ad Timotheum. Porro inter asseclas Christi nulla, ipso vivo, dissensio fuit: nondum enim variarum ecclesiarum in-

stituta turbaverant animos. Sed conditis ecclesiis pluribus, sciunt omnes, quanta sententiarum discrimina orta fuerint, inprimis tum, quum Iudaeorum grassari superbia coepisset, quae vix summa Apostolorum prudentia cohiberi potuit, ne omnem ecclesiam prorsus turbaret.* Denique ipsa origo ecclesiae, humanis legibus constituendae, non potuit non rerum faciem mutare, et divinum consilium in humani arbitrii institutum convertere. Christianorum enim crescente multitudine, varia consilia hominum nova plane ac varia ratione cohibere, regere et emendare necesse fuit. Quare quum tempora, quibus Apostoli docuerunt, a Christi temporibus diversa fuerint: non mirandum est, vel hanc ob caussam valde diversam fuisse disciplinam Christi et Apostolorum.

Sed de caussis huius discriminis haec dixisse sufficiat; nunc *hoc ipsum discrimen* quantum sit et quibus rebus cernatur, brevi oratione ostendamus. Servabimus autem ordinem eum, quem supra descripsimus, et primum quidem de ordine et dispositione rerum dicemus.

Enimvero haec communis opinio est; Iesum nullum ordinem certum sequutum esse, sed populari institutione usum, ab omni certae disciplinae arte abstinuisse; neque Apostolos certam rationem sequutos esse, vel ob ingenium suum, vel propter homines, non arte, sed studio et prudentia instituendos. Sane si quis eiusmodi ordinem desideret, qui reperitur in systemate theologico, aut in libellis ad artis formam compositis, talem quidem in disciplina Christi et Apostolorum, atque adeo in libris N. T. non reperiri, satis constat. Sed quum ordo disciplinae e prudenti consilio, non ex artis subtilitate pendere soleat; illud maxime hoc loco spectandum est. Christus enim et Apostoli licet ab omni arte alienissimi fuerint, tamen certum consilium et ordinem certum sequuti sunt, dum in rebus eligendis ad homi-

nes et tempora perpetuo respicerent, idemque summum consilium, doctrinae divinae tradendae, propositum haberent. Sed quum in quacunque doctrina tradenda ante omnia circumspiciendum sit, a quibus rebus initium fieri et a quonam veluti principio duci institutio debeat, intelligitur, hoc loco primum de fundamento disciplinae Christi et Apostolorum, deinde de rerum singularum delectu dicendum esse. Neque vero hic locus est disputandi quaestionem in theologorum libris et scholis agitatam, de caussis theologiae christianae. Postquam enim in artis formam redacta est doctrina christiana, eius capita singula distinguere coeperunt aliisque maiorem, aliis minorem dignitatem et vim tribuere; atque illos fundamentales, hos non fundamentales articulos appellarunt, usi vocabulo quodam Pauli de re simili usurpato. Verum de illis articulis constituendis et olim variae sententiae fuerunt, neque nostra aetate viri docti consentiunt. Sed fuerunt etiam, qui quaestionem totam ad exemplum Apostolorum referri atque ea tantum doctrinae capita articulos fundamentales dici vellent, a quibus Apostoli docendi initium fecissent. Quae sententia, etsi parum utilitatis habet in systemate theologico; in eo enim non de elementis seu initiis institutionis, sed de summis doctrinae capitibus, e quibus reliqua pendeant et derivari possint, quaeritur; tamen huic loco, quem tractamus, valde accommodata est. Quaerimus enim, a quibus capitibus Christus et Apostoli docendi initium fecerint, quasve doctrinae partes quasi fundamenti loco posuerint, cui uberiorem institutionem superstruerent. Atque hoc disertè Paulus dixit θεμέλιον 1 Cor. 3, 10. 11. non universae doctrinae fundamentum sed elementa institutionis. Nam quod v. 2. dixit γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, ἀλλ' οὐ βρῶμα, id explicat, quae v. 10. sequuntur; sed quae v. 11. addidit, ea dixit adversus eos, qui nova audire a novis magistris cuperent (v. 3. 4.) hos enim, veluti Apollonem, Ce-

pham; nihil aliud agere, quam ut fundamento ab se posito, superstruerent οἰκοδομήν· se enim fundamentum posuisse, Christum scilicet Iesum, seu doctrinam Iesu Christi, neque aliam ab illis doctrinam tradendam esse; illos enim (v. 5.) ministros esse eorum, per quos primum adducti fuissent Corinthii ad disciplinam christianam. Itaque θεμέλιον v. 11. non est proprie fundamentum doctrinale, quod dicunt in scholis, sed institutionis fundamentum, i. e. ipsa doctrina Christi, quam Apostolus tradiderat tamquam fundamentum, cui, quicquid alii doceant, convenire debeat. Neque vero negamus, capita summa haberi posse partes doctrinae eas, a quibus Apostoli initium docendi fecerint, sed elementa institutionis ab ipsis doctrinae caussis et principiis distinguenda esse arbitramur. Habemus huius discriminis auctorem Paulum, siquidem is scripsit ad Hebraeos epistolam. Nam Cap. 6. θεμέλιον appellat, quae 5, 12. dixit τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ θεοῦ· atque haec ipsa capita doctrinae, quamvis gravissima, quae 6, 1. 2. enumerat, τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ χριστοῦ λόγον, opponit τῇ στερεᾷ τροφῇ, iisque relictis ad perfectiorem institutionem perveniendum esse dicit v. 1. Quin valde vituperat christianos, 5, 12. seq., quod inertia sua effecissent, ut leviora illa, quae in disciplinae initio ipsis tradidisset, repetenda essent et denuo tradenda. Quamquam enim illa capita gravissima dici possunt, sed distinguenda tamen sunt disciplinae elementa a fundamento doctrinae; hoc enim semper idem esse debet; sed institutionis initia varia sunt pro diversis hominum ingeniis et necessitatibus. Ac de illis quidem nos hoc loco disputamus.

Iam vero diversa institutionis fundamenta et Christum et Apostolos ponere debuisse, primum illa consilii, hominum temporumque diversitas probabile reddit, de qua supra exposuimus, deinde vero ipsa disciplinae momumenta luculentissime ostendunt. Christus

enim; quum hoc, ut diximus, propositum haberet; ut populares ad se, Messiam agnoscendum, idoneos redderet eorumque animos ad doctrinam divinam suscipiendam quodammodo praepararet, coepit eos instituere sic, uti huic consilio esset maxime accommodatum. Itaque exorsus est a laetissima illa doctrina, adesse regnum Messiae ipsumque Messiam, Matth. 2, 17. seque hunc ipsum esse, legatum divinum, dudum promissum et exspectatum Ioh. 5, 39.; 17, 3, salutis auctorem, cuius beneficiis qui frui vellet, eum oportere vitam sanctiorem agere, fugere vitia et virtuti studere. (Ioh. 3, 3. sq. 6, 40. 51. Matth. 20, 28. al.) Atque huic veluti fundamento Dominus disciplinam suam superstruxit, uti vere fuit caput summum universae doctrinae Ioh. 17,3. Hinc discipulos quoque iussit βάπτισμα et μετάνοιαν docere, hac lege ut adiuncta esset venia peccatorum. Sed Apostoli, etsi eadem capita tanquam summa et primaria tradiderunt, quum primum docere inciperent, postea tamen aliam docendi rationem sequuti sunt. Nam Iohannes quidem Ep. priori 2,22. ἀντίχριστον esse dixit, qui negaverit, Iesum esse Messiam. Idem de Paulo constat ex iis locis, quae supra vidimus (1 Cor. 2, 2. col. Hebr. 6, 1. 2.) et de Petro (Act. 2, 36.; 3, 13 sq. 5, 31 sq. 18, 25), ita ut nemo dubitare possit, primam eorum institutionem ab iisdem initiis exorsam esse. Sed huius quidem levissima tantum, ut diximus, vestigia supersunt; epistolae enim non primae, sed secundae et uberioris disciplinae exempla ostendunt. Atque de hac nos loquimur, quum de Apostolorum disciplina disputamus eamque cum Christi disciplina, quae prima fuit, comparamus. Sed sic negari non posse putamus, magnum disciplinae discrimen fuisse iam in initiis institutionis et universo ordine docendi. Apostoli enim, postquam illam doctrinam fundamenti loco tradiderant, deinde apud eos, qui eidem iam fidem habuerant, longe aliam rationem sequi debuerunt et vero

etiam sequuti sunt. Quemadmodum enim pueris, ubi adoleverunt, alia tradimus, quam, quum primis litterarum elementis imbuerentur, tradere necesse erat, ita etiam homines, iam christianos factos, et doctrina tradita varie, ut diximus, affectos, alia docere par erat, ἵνα ἐπὶ τὴν τελειότητα φέρωνται. Quare Apostoli his alia, tanquam primaria et fundamentalia ac maxime necessaria, proposuerunt, multa quoque propter opiniones varias, et novos etiam errores ortos, singulari studio inculcarunt. Itaque si disputarent cum hominibus christianis, qui antea Iudaei fuissent, eo potissimum fundamento usi sunt, quo apud hos homines, vel legis patriae tenaciores, vel opinionibus vanis occupatos, tum ad eorum deprimendam superbiam, tum ad errores illos funditus exstirpandos maxime opus esse intelligerent. Sed quamquam paganis aeque ac Iudaeis hoc commune praeceptum tanquam summum ac primarium tradendum erat, spem salutis in uno Christo ponendam esse, ut Paulus 1 Thess. 1, 9. 10. recte dixerit, initium doctrinae hoc fuisse, ut a vanis idolis ad veri dei cultum converterentur gentiles et confidere discerent filio eius coelitus misso, a mortuis revocato, sospitatori et liberatori ab imminente pernicie; tamen in christianis his, qui pagani antea fuissent, accuratius instituendis, longe aliis initiis opus erat. Itaque apud Iudaeos quidem Apostolorum institutio in his duabus rebus maxime vertitur: Iesum esse legatum divinum et servatorem illum dudum promissum et exspectatum, neque ad consequendam gratiam dei opus esse legis Mosaicae observatione. Insederat enim eorum animis vana de terresti Messiae regno exspectatio; et quamquam auditores Apostolorum fuerant, plurimi, credo, quod παρουσίαν τοῦ χριστοῦ annunciari audivissent, postea tamen Christi persona varie offendebantur, quasi, spe sua et exspectatione se excidisse atque longe alia, quam desiderassent antea et exspectassent, bona sibi exhiberi,

nihil denique eorum, quae futura esse credidissent, fieri, nunc demum animadvertissent. Sed quanta prudentia hanc hominum illorum levitatem Apostoli correxerint, scripta eorum satis testantur; quamquam tanti laboris aestumatio vulgo negligitur ab his, qui fructibus, aliorum studio paratis, uti satis habent. Enimvero non negligenda erat haec res in iudicio de Apostolorum doctrina ferendo; sed qua ratione hi inveteratam de Messia opinionem illam exstirpaverint, et ad regni coelestis imperium accipiendum animos, rebus terrestribus inhiantes, idoneos reddiderint, diligenter observandum erat. Nam qui sciunt, quantum a Messia, non illo quidem promisso, sed exspectato tamen, Christi persona diversa fuerit, etsi non facilem hunc laborem fuisse, facile intelligunt, tamen obliviscuntur hi, qui Apostolorum, nescio quam, calliditatem incusant, eosque in hac potissimum de Messia doctrina ad Iudaeorum opiniones se accommodasse existimant. Quasi vero eius sit accommodatio, qui aliorum errores graviter reprehendit, et omnia alia tradit, quam illi opinantur. Quodsi enim et Iesus et Apostoli ad Iudaeorum de Messia exspectationem sese accommodassent, longe alia ratione hac ipsa spe utendum fuisset; sed quum Messiam et Iesus sese exhibuerit, et Apostoli Iesum esse docuerint plane alium, quam Iudaei omnes crederent, ita ut hoc maximum doctrinae suscipiendae impedimentum esset, quam parum illi se hac in re accommodaverint, sua sponte intelligitur. Sed Apostoli in uberiori institutione ea doctrinae initia fecerunt, quibus hominum opinionibus illis optime occurrerent, ne quid priscae exspectationis relinqueretur, sed veri servatoris imago omnium animis informaretur. Sed quum alia eaque non minus perniciosa opinio eorum animos occupasset, de legis mosaicae observatione, Apostoli huic quoque occurrendum rati, universae disciplinae hoc velut fundamentum et principium fecerunt, ut vel illorum ho-

minum vana superbia tolleretur, vel caveretur, ne hac ipsa opinione gentiles a suscipienda doctrina christiana retinerentur. Quare totam disciplinam ita instituerunt ut appareret maxime, legem mosaicam non esse diutius observandam, cultum vero leviticum sublatum, et morte Christi, sacerdotis summi, victimam pro peccatis hominum offerentis, et nunc quoque, postquam in coelum rediisset, hominum salutem curantis, imo rebus omnibus imperantis, sacrificiorum necessitatem (ἔργων νόμου) in perpetuum evanuisse, neque aliud quidquam superesse, quam ut recuperatam libertatem et felicitatem sanctioris vitae studio tuerentur. Et haec quidem apud Christianos eos, qui Iudaei antea fuissent, institutionis Apostolorum fundamenta fuerunt. Sed apud gentiles item duo tractabantur maxime, primum, communem esse omnibus, et Graecis et Iudaeis, felicitatis per Christum partae societatem, neque eam quemquam suo merito consequutum esse, sed Deum pro amore suo ita decrevisse, (Rom. 3. Eph. 2.) alterum, in hoc uno Christo omnem quidem salutis spem ponendam, sed hominis esse, ut eam partam oblatamque retineret et conservaret. (Eph. 4, 16. sq. 2 Cor. 5, 12. sq. 6, 1. sq. 1 Thess. 4, 1. sq. all.) Et illud quidem quam maxime necessarium fuisse, res ipsa ostendit. Nam gentiles quoque ad salutis communis, quam sibi hactenus Iudaeorum superbia arrogasset, (Eph. 2, 12. sq.) spem evocandi erant, ne summum et plane divinum servatoris periret consilium, de regno divino inter omnes homines, nullo gentium discrimine, instituendo, ut omnes, qui divinis praeceptis obtemperassent, salutem, doctrina meliori et peccatorum expiatione a Christo partam consequerentur. (Ioh. 10, 16. coll. 4, 23. Act. 11, 34. 35. coll. Rom. 2, 6-11. Eph. 1, 10. Col. 1, 16. sqq. 3, 11.) Quod, quum ipsi Apostoli, licet ipsius divini magistri institutione uterentur, serius demum perspexerint, facile intelligi potest, gentiles, ab omni vera religione

alienos, et suis numinibus quasi familiaribus gaudentes, ad altiorem spem excitandi et pervehendi summi laboris negotium fuisse. Quare in Apostolorum disciplina comparanda nullo id pacto negligendum est; quamquam praetermissum est a multis, qui scholae formulas sequuti, de divina doctrina non ex ipsius consilio, sed ex levibus verborum sonis iudicarunt. Apostoli enim, postquam intellexerant, quantum esset et quam immensum divinae benignitatis beneficium, ea disciplinae ratione usi sunt, quae, etsi vanae superbiae minime faveret, tamen pusillum hominum animum erigeret, novaeque et plane divinae spei lumine res humanas illustraret. Itaque de illo consilio non solum luculentissime exposuerunt, sed ei, quasi fundamento, universam doctrinam superstruxerunt. Et quoniam gentiles quoque sacrificiis confidebant, sed libertate ad morum licentiam utebantur, Apostoli, novis quasi vinculis eorum temeritatem constricturi, totam disciplinam ita instituerunt, ut vere καινὴ ἐν χριστῷ κτίσις nasceretur. Quamobrem Apostolorum disciplina, cuius exempla in eorum epistolis exstant, a disciplina Christi diversa fuit, ut diximus, docendi initio et dispositione rerum; adeo, ut mirandum non sit, Apostolos fundamenti loco in institutione posuisse res eas, quarum ne ullam quidem aut certe levissimam Dominus ipse mentionem fecisset. Sed, quod altero loco posuimus, Apostolos in rerum singularum delectu aliam rationem, quam Dominum, sequutos fuisse, id quidem non magna disputatione opus habet. Nam quum totius disciplinae instituendae ratio diversa fuerit, facilis est de rebus singulis divinatio. Quamquam nonnulli solent ita disputare, quasi aut nullum discrimen reperiatur, aut in ipso rerum delectu observando nulla sit temporum hominumve ratio habenda. Sed de hac opinione proclive est iudicare. Quodsi enim Apostoli nullam certam rationem sequuti fuissent, sed obstinato consilio eadem omnibus

tradidissent, facile eos incusaremus, quod, nullo rerum delectu servato, temere disciplinam instituissent. Sed quum et popularium et gentilium ingenia accuratissime nossent, et cuiusque moribus prudenter uterentur, ab eorum autem, qui suum ingenium sequi, quam aliis prudenter cedere malunt, superbia alienissimi essent, sine Apostolorum iniuria ferri non potest illa opinio. Apostoli nimirum eas res potissimum elegerunt, quae iis, ad quos scriberent, maxime necessariae essent, aut illis temporibus insignem utilitatem habere viderentur. Sic, ut exemplis nonnullis in re perspicua utamur, postquam ex Iudaeis et paganis coaluisset ecclesia, Christianos constat in duas quasi partes divisos fuisse. Una legis mosaicae studiosa, reliquos, quippe peregrinos et adventitios, spernebat alteramque partem, quae e gentilibus constabat, irritabat ita, ut haec legis mosaicae iugum pati mallet, quam illorum iniurias perferre. (Act. 15. Col. 2. inprimis a. v. 14.) Apostoli igitur nihil solemnius habuerunt, quam ut et illorum superbiam deprimerent, et horum animos confirmarent. Et quum iis, qui ab iuventute sacrificiis interfuissent, cultus Leviticus ita placeret, ut neque Messias ipsis placere, nisi sacerdos, posset, neque spem salutis sine piaculo facile concepturi fuissent; Paulus (sive quis alius scripsit epistolam ad Hebraeos, habuit is vero ingenium Pauli facile, versutum et πολύτροπον) hanc ipsam de Christo sacerdote doctrinam proposuit, ne daretur amplius obtrectationi locus. Neque vero potuissent eligere doctrinam ad illorum hominum opiniones minuendas efficaciorem, quamquam, si nostra aetate vixissent, eam nostris hominibus, οὐκ ἐν περιτομῇ οὖσι, sic tradituros fuisse vix credibile est. Eadem de caussa Paulus tam saepe et strenue adversus ἔργα disputationem instituit solamque πίστιν commendavit. Nam huc semper recurrit et, quavis occasione data, quasi impetu fertur eius oratio. Notissimae vero sunt prudentissimi magi-

stri disputationes, quibus salutem, per Christum partam oblatamque hominibus, non ἔργοις νόμου, sed sola πίστει contingere demonstravit. Quid vero? an non idem Paulus virtutem vitaeque sanctitatem commendavit, et honestatis studio, beneficentia, castitate, probitate, iustitia, fide, caritate et omnis virtutis laude deo nos gratos et acceptos reddi, gravissime docuit? Nonne Pauli verba sunt, in eadem ad Romanos epistola, in qua inprimis disputavit contra τὰ ἔργα τοῦ νόμου καὶ τὴν ἐν τῷ νόμῳ καύχησιν, dicentis: Θεὸς ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ; cf. 1 Cor. 13, 2. 13. Scilicet repugnat sibi ipse Paulus, contradicit et contraria docet. Quasi vero illi, ad quos ista scripsit, non intellexissent, quid sibi eius verba voluissent et adversus quae ἔργα disputasset. Quod utinam non essent obliti hi, qui bona opera ad salutem non necessaria, quin perniciosa dicere fas habuerunt. Sed ne illis quidem temporibus eius institutio malis interpretibus caruit; ita enim comparatus est animus humanus, ut facile in contraria ruat probetque dissimillima his, quae modo antea defenderit. Quare Iacobus necessarium duxit, his ipsis Christianis, quibus Paulus meram πίστιν commendasset, ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ, graviter scribere de assensu inerti omnique vi et fructu carente, et quasi contrariam collegae et συνδούλῳ sententiam haberet, dicere: ὁρᾶτε τοίνυν ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος, καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον. Enimvero omnes Apostoli eundem spiritum acceperant. Porro gravissima de resurrectione Christi doctrina ab Apostolis inprimis tractabatur propter tempora illa et homines, vix laturos servatorem generis humani, gravissimo supplicio affectum. Quamquam enim illam rem ita gravem esse arbitramur, ut a nullo Christiano negari queat, imo lubenter concedimus, quod Paulus, de communi mortuorum resurrectione disputaturus, dixit 1 Cor. 15, 17. tamen, quod eam in initio institutionis tradiderunt eamque quasi in-

dicem universi evangelii posuerunt, (cf. Act. 4, 10.) eius rei, nullam aliam caussam habuerunt, quam illorum temporum necessitatem. Denique quum loquuntur de consilio et fructu mortis Christi, eam vel dicendi ubertatem vel rerum varietatem produnt, quae satis ostendat, quam prudenter rerum tradendarum delectum observaverint. Praeterea enim, quod Christus ne potuisset quidem eodem modo de morte sua loqui, uti supra diximus, Apostoli, non cedentes tempori, sed ei summa solertia imperantes, nonnulla de eadem re docuerunt, vera quidem, sed illis tamen maxime hominibus necessaria, veluti morte Christi pacem inter gentes esse restitutam, legem Mosaicam abrogatam, inprimis finem factum esse expiationibus et modis luendi peccata; (Eph. 2, 16 ss. Rom. 3, 29. 30. Phil. 3, 3. Rom. 7, 4. Eph. 2, 14. 15. Col. 2, 14. 15. Gal. 4, 3. Hebr. 9, 22.) quae omnia dubitare licet, an recte fecerint, qui ad communem doctrinam transtulerunt. Sed pluribus exemplis haec res non opus habet. Atque sic lubenter concedimus, Apostolos multa nova tradidisse, multaque nova ratione proposuisse, atque universam doctrinam auxisse et amplificasse, quamquam nihil non ex consilio Christi fecerunt, eique, si summam doctrinae spectemus, nullo pacto repugnarunt. Enimvero alia tempora aliam disciplinam desiderant, alii aliis rebus imbuendi, corrigendi, emendandi sunt, aliis alia medicina propinanda est. Sed de omnibus idem consilium propositum esto, ut doctrinae divinae saluberrima medicina sanentur ab eo, qui morbos ipse nostros pertulit, et discipulos *μετάνοιαν* docere iussit et *ἄφεσιν ἁμαρτιῶν*.

Sed superest, ut de oratione Christi et Apostolorum diversa dicamus et primum quidem de inventione, deinde de eloquutione. Sed inventio duabus rebus cernitur, delectu argumentorum, et rerum, de quibus dicere velimus, describendarum et explicandarum ratione;

inventionis enim est proprie, quid et quomodo de re, quae oratione aut explicanda aut commendanda est, dicendum sit, circumspicere. Hoc igitur loco de vario res singulas oratione explicandi modo quaeritur, quo inveniendo, inventio constat. Inventio enim magnam in rebus omnibus circumspiciendis facilitatem et solertiam desiderat; nam illud quidem facilius nonnunquam intelligitur, de quo dicendum sit, sed qua ratione, quibus argumentis, quove modo oratio institui debeat, hoc vero difficillimum saepe est, quum non idem orationis genus omnes ferant homines, sed de iisdem rebus alii alia ratione edocendi sint. Habet itaque inventio hoc maxime, ut res, de quibus dicendum fuerit, ea potissimum ratione explicentur, quae ad captum, opiniones, mores et ingenia audientium sit accommodata; ita ut quodcunque doctrinae, quam tradamus, caput ab ea parte tractetur, quae aut commendationem maximam aut levissimam offensionem habeat, argumenta autem adhibeantur eiusmodi, quae ad edocendos, commovendos et confirmandos audientium animos maxime idonea fuerint. Hanc vero docendi rationem, quae, ut consilium institutionis et vera discentium utilitas desiderat, ad eorum mores, ingenia, imbecillitatem quoque et vitia diligenter respicit, accommodationem dicere solent, quam non dubitamus, ad inventionem solam revocare, id est, vel ad modum res singulas tractandi et explicandi, vel delectum argumentorum, quae hanc ob caussam argumenta κατ' ἄνθρωπον dicuntur. Atque sic etiam veteres theologi et sacrarum litterarum optimi interpretes de accommodatione existimasse reperiuntur; sed nostra aetate paullo latius imperare coepit illa opinio. Sed quoniam ad disciplinam tantum, nostra quidem sententia, accommodatio pertinet, hic locus, quem tractamus, desiderat, ut priusquam de inventionis discrimine dicamus, ante omnia de accommodatione nostram mentem explicemus, praesertim quod multi, qui ad

doctrinam ipsam referre accommodationem solent, opinionis suae argumenta e dissensu, quem dicunt, Christi et Apostolorum et diversa res singulas tradendi ratione petere solent, unde colligunt, doctrinae capita, varie a Christo et Apostolis tradita, ex illorum temporum ratione orta esse, sed ad ipsam doctrinam prorsns non pertinere. Est igitur accommodatio eius, qui eo docendi modo utitur, quo ad finem propositum opus est propter audientes, seu qui utitur ratione docendi commoda discentibus, ut quod ille dixerit recte intelligant et lubenter suscipiant: accommodatio enim e consilio docentis cum ratione eorum, qui instituuntur, diligenter comparato, oritur. Nam qnum hoc propositum docenti sit, ut instituat aut corrigat et ad id, quod rectum et honestum videatur, excitet alios, circumspiciendum est, quae sint auditorum ingenia, mores, opiniones, ut oratio, ad illa prudenter composita et temperata, commoda illis sit et vero illorum commodo inserviat. Quare, qui de accommodatione cogitant, hi ante omnia monendi sunt, ne eam in eo orationis modo quaerant, quo placeant et favorem captent auditorum. In quo qunm multos peccare videamus, qui alios instituunt, tum errarunt etiam haud pauci, qui de Christi et Apostolorum accommodatione disputarunt; quos mirari satis non possumus, semper fere eam prudentiam laudare, quae, dum placere aliis cupiat, eornm opinionibus et erroribus quoque indulgeat, assensionem simulet, dissimulet dissensionem, celet, reticeat atque non multum differat ab adulatione. Enimvero magna quidem magistri prudentia in eo quoque cernitur, ut placere discipulis possit, ut eos varie alliciat, excitet et ad suscipiendam doctrinam promtos reddat; saepe etiam, ne exacerbentur aut offendantur, omni arte cavendum est. Sed non haec una accommodatio est, sed species tantum accommodationis. Nam quum hoc propositum esse magistro debeat, ut veri cognitione et honesti

amore discentium animos imbuat; neque enim is aliam ob caussam placere vult aliis, nisi ut verum et honestum iis placeat; saepissime necesse est, ea oratione uti, quae, etsi illis ab initio non placeat neque habeat multum commendationis apud homines rudes, tamen ad eorum errores exstirpandos et vitia inveterata expellenda idonea sit; saepe enim vel invitis acerba medicina praebenba est. Quare in eo quoque accommodatio prudens cernitur, ut, si severiorem disciplinam et castigationem ingenia desiderent; graviori, acerbiori et vehementiori quoque orationis genere utamur; quemadmodum, qui pueros instituunt, mollia ingenia leniter tractant, timidis animum addunt, diffidentes rebus suis erigunt, duriora autem ingenia gravius corrigunt, superbientes deprimunt, et quae miti exhortatione non possint, acerbiori oratione vitia arguunt. Atque profecto Christus et Apostoli, dubitari potest, an illo, quod nonnulli unice laudant, accommodationis genere saepius usi fuerint, quam hac institutionis severitate, quae, a vanae assensionis captatione aliena, in tempore offensionem audientium non curaret, quum haec severior docendi et corrigendi ratio commoda et ad consilium efficiendum necessaria videretur. Sane possemus multis, si opus esset, exemplis id demonstrare, ut, quam sapienter in utroque accommodationis genere versati fuerint viri divini, intelligeretur; certe qui callidae adulationis tantum laude prudentis magistri solertiam aestumant, ut eam latius patere animadverterent. Sed quamquam non negamus, Christum et Apostolos illa, quam descripsimus, docendi ratione usos fuisse, seu, quod dicunt, ad auditorum ingenia, mores et opiniones prudenter orationem accommodasse, existimamus tamen, illam accommodationem non ad ipsam divinam doctrinam pertinuisse, quasi ut placerent auditoribus aut ut, quod vellent, efficere apud eos possent, quae divina non essent, pro divinis docuissent, et falsa quoque pro vera

tradidissent: sed eam tantum in ratione tractandi capita divinae doctrinae et in argumentorum delectu cerni arbitramur. Quod, quibus caussis ducti affirmemus, breviter exponamus. Omnino enim, ut sine ambagibus dicamus, si ea accommodatio dicenda esset, quae placet nonnullis, verendum foret, ne fraudis impiae et simulationis crimine divinae ἀληθείας magistri obruerentur et summa, quae divino magistro fidem facere potest, veracitatis laude privarentur, ipsa vero doctrina divina plane incerta redderetur et variis hominum consiliis et vano arbitrio concedenda esset. Primum enim, quae vera non sint, tradere propterea, quod aliis vera videantur, aeterna religionis decreta cum opinionibus humanis commiscere, aliorumque erroribus ita indulgere, nos ut eos probare simulemus, ea vero non prudentia est, sed callida fraus et turpissima simulatio, quam nos quidem a quovis viro honesto, sed a divino maxime magistro omni modo arcendam existimamus. Ab hac vero pessima arte hominum duplicium verborumque signis fallacibus ad alios decipiendos callide utentium, longissime Christus et Apostoli abfuerunt; sed quum ab omni gloriae cupiditate, quae mater esse simulationis solet, alienissimi essent, hominum invidiam, odia et malignitatem prorsus non curarunt, huiusque integritatis praemia iniurias, contumelias, persequutiones et crudelissima supplicia habuerunt. Fuerunt quidem omni tempore haud pauci, qui eiusmodi callidam accommodationem communis utilitatis consilio defenderent, quasi liceret omnia simulare, dissimulare, fingere, reticere in tempore, modo id ne fieret utilitatis propria caussa, sed propter aliorum commodum et ob veri docendi necessitatem. Sed hanc excusationem non dubitamus re ipsa, cuius caussa affertur, longe turpiorem dicere. Nam, quum fraude neque turpius quidquam sit, nec detestabilius, adeo ut mendacium vi extortum dici recte non possit, tum vero haec turpissima

ratio est, in divina doctrina tradenda fraudem committere ad eamque commendandam uti mendaciis; nescimus vero, si viri divini eum accommodationis modum tenuissent, quem nonnulli existimant, qua ratione a fraudis et mendaciorum crimine defendendi forent. Etenim, ut exemplo utamur, quum non fuerit aliquis legatus divinus, tamen profiteri se a Deo missum, doctrinamque, humano ingenio excogitatam, pro divina venditare, alios, fidem non habentes, acerbissime vituperare, apud incredulos et longe alia sperantes falsis argumentis sese iactare et obstinatos obtrectatores tamquam scelestissimos homines tractare: (v. c. Matth. 12, 31.) ea vero, nisi stultissimi hominis accommodatio sit, certe turpissimae fraudis et inhonesti mendacii simillima vanitas est. Quamquam scite a nonnullis, sed turpissime dicitur, quod inhonestum sit, si propriae utilitatis caussa committatur, id turpitudinem amittere, si quid inde boni apud alios proveniat. Neque enim, quod inhonestum et turpe est, ob consilium potest minus inhonestum et turpe videri; neque fraudem sibi licere vir bonus existimabit, ut boni quidquam efficiat. Nam fraudem non esse committendam ac turpe et indignum homine libero mendacium esse, illud quidem certum est hominibus; sed quid boni oriatur, et qua ratione oriri queat, incertum est; nam actionum nostrarum, qui regit, eventum solus etiam novit Deus; neque existimare fas est, divinam providentiam ad consilia sua fraude et mendaciis hominum indigere. Sed hoc quidem optimus quisque concedet, talibus sordibus castissimos doctoris divini mores nullo modo contaminandos esse. Illud denique certum est, si ea accommodatione viri divini usi fuissent, ut falsa capita religionis vera esse simulaverint, vera autem dissimulaverint, ipsam divinae doctrinae institutionem ambiguam futuram fuisse, incertam et arbitrio humano prorsus relinquendam. Nam ubi semel modum illum aliquis

excesserit, nullum finem prius inveniet, quam propriam indolem universa doctrina amiserit. Enimvero distinguenda est doctrina ipsa a disciplina et modo tradendi. Atque in hac quidem disciplinae parte, quae ex inventione pendet, dum eam tractandi singula rationem eligimus quae sit commoda discentibus, Apostolos inprimis ad popularium ingenio sese accommodasse, non negamus, sed hanc ipsam ob caussam eorum disciplinam a magistri divini institutione multis modis diversam fuisse existimamus. Verum haec res non unam difficultatem habet et magnam cautionem desiderat. Primum enim difficillimum est, definire, quibusnam rebus singulis effecta fuerit illa disciplinae diversitas i. e. quantam res quaeque vim habuerint in ratione capita singula proponendi mutanda et in constituendo modo tradendi. Varia enim ac valde diversa fuerunt, quorum Apostoli rationem habere debuerunt, sed quae nobis aut plane incognita sunt, aut difficillime reperiri et definiri possunt. Quis enim omnia tam accurate queat distinguere, ut quid singula effecerint, dicat, et, quatenus ad ea Apostoli respexerint, demonstret? Saepissime enim rebus minimis afficitur animus, quas tunc quidem a prudenti doctore animadverti facile erat, sed difficillimum est indagari ab eo, qui ab eiusmodi rebus et opinionibus alienus fuerit. Quare in explicandis rebus, ad quas Apostoli respexerunt, multa cautione opus est, ne vanis umbris et simulacris decipiamur, quod accidisse videtur his, qui verbis singulis commoti, aut suo ingenio freti, totum quasi scriptorum sacrorum animum se penetrasse existimarunt; aut, quod unum alterumve verbum reperissent, a quibusdam hominibus usurpatum, ad hos potissimum scriptorem sacrum respexisse arbitrati sunt. Neque minus difficile est, res ipsas a modo tractandi, tamquam materiam a forma, semper recte distinguere. Hoc enim loco vel propter rerum similitudinem facilis error est, vel pro-

pter dissimilitudinem temporum et opinionum. Nam interdum ambiguum est, utrum ad religionem haec vel illa res pertincat, an orta fuerit ex disciplina et modo tradendi; interdum etiam cum forma res ipsa ita cohaeret, ut utraque vix queat discerni. Et augetur haec difficultas etiam oratione, qua scriptores sacri usi sunt, populari et omnis artis et disciplinae experte. Hinc saepe factum est, ut res diversissimae copularentur, quas vero accurate secernere oportet eum, qui velit de doctrina Christi recte iudicare. Itaque dum Christi et Apostolorum disciplinam comparamus, si quo loco animadverterimus, capita quaedam alio modo tractari et exponi in libris Apostolorum atque tractata et exposita reperiantur in orationibus Domini, ne, diversa specie decepti, ipsam doctrinam diversam putemus, sedulo circumspiciendum est, quatenus cum summo Christi consilio cohaereant. Ex hoc enim totum pendet de summa doctrinae iudicium, inprimis quum de accommodatione disputatur. Etenim nisi eam ab ipsa doctrinae summa arceamus, omnis doctrina ambigua et incerta sit, necesse est. Illud igitur summum et maxime necessarium est, ut de summo doctrinae a Christo traditae consilio constet, quo et formam et materiam recte distinguere possimus et habeamus regulam, ad quam examinemus capita singula, a Christo et Apostolis varie tradita et explicata. Quo facto illud quoque utile erit videre, quomodo inter se cohaereant sintque propinqua his, quae evidenter et perspicue traduntur a Christo et Apostolis, quam ἀναλογίαν τῆς πίστεως solent non satis recte appellare. Denique quum religionis cuiuscunque et inprimis Christianae sit hoc, ut mores emendet, vitia exstirpet, honesti studium alat, mentemque, a rerum terrestrium cupidine metuque liberatam, ad rerum coelestium et aeternarum spem et cogitationem evehat; intelligitur, in disciplina Christi et Apostolorum, si quae in rebus tractandis diversitas reperiatur, ita ut incer-

tum sit, quid ad doctrinam ipsam, quidve ad disciplinam et παιδείας τρόπον referri debeat, videndum esse, qua ratione caput doctrinae, de quo ambigitur, illi religionis communi fini magis conveniat, ut temporanea ab aeternis et immutabilibus doctrinae divinae decretis recte distinguantur, atque existat corpus doctrinae divinae sanum et integrum, non autem artis humanae inventum et institutum. Quamquam et hac in re cavendum est ne modum excedamus, quod a nonnullis factum videtur. Sed redeamus ad propositum. Etenim disciplinam Christi et Apostolorum diversam fuisse modo tractandi singula et delectu argumentorum, quamquam ipsa librorum sacrorum lectio satis luculenter ostendit, tamen hoc loco accuratius de illo discrimine disputandum est, quia non una est illius caussa et ratio. Et primum quidem de modo tractandi singula; is enim varie spectari solet. Nam quum quaecunque res tradatur aliis eo consilio, ut eam intelligant, illud quidem certum est, eam tradendam esse sic, ut vera ipsius indoles ferat, nisi habueris certum genus hominum, quod non rem ipsam, sed rei formam tantum capiat. In singulis enim hominibus ex ingenio, moribus et opinionibus rerum intelligentia pendet; multum etiam valet educatio, et, si quis fuerit, genius popularis et genti proprius. Itaque duplex est cuiuscunque rei tractandae modus, vel communis et necessarius, vel temporaneus et singularis. Communis est, qui ex ipsa rei natura et indole ortus est, temporaneus et singularis, quem apud homines quosdam provida et solers magistri prudentia elegit. Sed huius innumerabiles quasi formae ac species locum habent, quia diversissima est ratio discentium. Illud vero certissimum est, Apostolos non solum varium tractandi modum adhibuisse apud homines varios, sed diversum quoque ab eo, quo Christus usus fuerat. Et illud quidem quamquam hic locus non desiderat, ut doceamus, utamur tamen aliquo ex-

emplo gravi et luculento; recte enim Seneca dicit: nunquam satis dicitur, quod nunquam satis discitur. Paulus quum Athenis commoraretur et caussam suam diceret in Areopago, postquam perhumaniter Atheniensium superstitionem perstrinxerat, totum iis dei institutum per Christum declaravit. Tum vero neque Messiae, neque sacerdotis, neque victimae et sacrificii mentionem fecit, sed simpliciter narravit, Deum iam omnibus imperare, ut resipiscant, ideoque diem iudicii de hominibus constituisse, habendi per virum quendam, cui fidem fecisset, dum a morte eum revocasset. Scilicet vidit vir acutus, quid ferrent ingenia Atheniensium, eumque modum tradendi elegit, qui neque illis prorsus displiceret, et a criminationibus philosophorum ipsum defenderet. Sed hic modus tractandi uti diversus fuit a consuetudine loquendi, qua Paulus apud Iudaeos utebatur, ita etiam universa ratio tradendi singula, quam Apostoli tenuerunt, a magistri divini disciplina multis locis valde differt. Cuius discriminis caussas necessarias fuisse in hominibus et temporibus diversis, ex iis, quae supra dicta sunt, intelligitur; sed quando quaeritur de hoc ipso discrimine, ut ipsa comparari doctrina queat, facilius errari potest; nam non unam ea res, ut modo diximus, cautionem desiderat. In epistola ad Hebraeos de praestantia personae et muneris Christi disertissime verba faciens, auctor ita loquutus est, uti hominum, ad quos scriberet, consentaneum opinionibus esset, quamquam Christus ipse nunquam eadem loquendi ratione usus est, sed simpliciter dixit, se vitam suam depositurum pro salute humana et sanguinem effusurum esse ad veniam peccatorum. Atque omnino totum epistolae argumentum illis magis accommodatum est hominibus, quam Christianis nostris, apud quos nullam sacerdos summus auctoritatem habet. Sed illi, nisi certum habuissent, Christum omnibus sacerdotis summi officiis satisfecisse, de beneficio divino, quod

morte Iesu contigit mortalibus omnibus, nunquam sibi persuaderi passi fuissent. Atque ex hac una notione tota illius loci tractandi ratio pendet, uti iam plures observarunt. Similem eiusdem loci tractandi rationem Paulus in epistolis tenuit multaque tam artificiose disputavit, ut, nisi formam doctrinae ab ipsa doctrina distinguamus, novam plane rem et a mente Christi alienam tradidisse videatur. Sed quoniam modus docendi argumentorum maxime delectu mutatur, hic quoque locus breviter explicandus est. Quamquam enim et Christus et Apostoli eadem quoque earundem rerum argumenta usurparunt, negari tamen non potest, Apostolos saepissime aliis argumentis usos esse, quam quae a Christo adhibita esse leguntur. Sed in huius rei iudicio ferendo proclive est errare, si argumenta nova, quibus Apostoli usi sunt, non per se vera omnia, sed temporanea tantum et κατ' ἄνθρωπον dicta existimemus. Sunt enim plura quidem eius generis, imprimis quum Paulus exemplis utitur et comparationibus, aut ex concessis, quod dicunt, cum Iudaeis disputat; sed multa quoque reperiuntur necessaria et in se verissima, a quibus Christus ipse abstinuit; multa etiam Christus egit docuitque, quibus non uti Apostolis licebat. Christus, ut hoc exemplo utamur, ut, se divinitus missum esse popularibus probaret, factis quidem plane divinis, nonnunquam etiam testimoniis sacris, usus est; sed magis apparuit divina eius auctoritas summa et constanti conscientia, super omnes res humanas, criminationes, opiniones elata, qua fretus plures, credo, asseclas nactus est, quam miraculis et argumentis, quibus nulla apud plebem incredulam fides fuit. (Ioh. 5,39-41.) Digna haec res est, quae ab omnibus observetur, inprimis quum historica argumenta hodie apud paucos inveniant fidem. Nam quod Paulus de Domino dixit, (Phil. 2, 6.) eum non cupidius sibi arrogasse τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, id ipse, dum de se loquebatur, luculentissime

demonstravit. Is enim sua maxime conscientia sustei tatus, non studiosius conquisivit omnia, quibus fide facere sibi solent hi, qui caussae suae non satis conl dunt, sed iudicio aliorum, tempori et veritatis ipsi virtuti commisit, ut, quod ipse ingenue dixisset, omne ποιήσαντες τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντος αὐτόν, intellig rent; ideoque satis habuit, factis dictisque qualis quai tusve esset, quasi exemplo demonstrasse; viderunt eni omnes τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ π τρός: sed quamquam fortiter et constanter illud fec tamen ea vel modestia vel tranquillitate animi et ser nitate usus est, quae divinum magistrum, divini num nis et mandati sibi conscium, luculentissime ostender Sed Apostoli diligentius conquirere debebant omni quae his, qui non ab ore Dominum nossent, fidem f cerent, ideoque multis novis argumentis usi sunt, qu bus ille ne uti quidem potuisset. Inciderunt enim p stea res ac tempora, quae, Christum τὸν ἐρχόμεν fuisse, plane ostenderent, veluti mors Christi, resu rectio et in coelos ascensio, quibus ipse Dominus, du viveret, vix fidem invenisset, quippe futuris et incerl apud homines incredulos et σκληροὺς τῇ καρδίᾳ. Il igitur novorum argumentorum caussas Apostoli nece sarias habuerunt. Sed ipsi etiam alia in rebus al demonstrandis argumenta elegerunt, inprimis acomm data his, quos docerent; qua in re Pauli inprimis f lix et solers ingenium admiramur. Is, ut hoc quoq loco uno sed luculento exemplo defungamur, quu vellet Christianis ostendere, legem Mosaicam esse sul latam, multa quidem protulit verissima, sed nihil apt homines illos efficacius, quam quod de sacrificio pe petuo a Christo, sacerdote summo, oblato, disputav in Epistola ad Hebraeos et in ipsa quoque ad Roman epistola, cuius maxima pars hoc ipso consilio occup tur. Quis enim hodie, ut sacrificiis non opus es ostendat, eodem genere argumentorum utatur, inprim

quum Christus ipse cultus Levitici, i. e. externi, vanitatem longe alia ratione demonstraverit? Quid vero? An is se victimam dixit, an mortem abrogatae legis caerimonialis caussam esse docuit? (Ioh. 4, 21. 23. 24.) Scilicet ita licebat illi *κατ' ἄνθρωπον* i. e. *κατὰ Ἰουδαίους* disputare. Sed haec quidem in tanta luce non multis verbis indigent; itaque ad ultimum perveniamus, in quo disciplinae discrimen animadvertitur.

Restat enim, ut de eloquutione dicamus, nam et haec pro hominum temporumque varietate diversa est. Constat autem eloquutio, seu idoneorum verborum ad inventionem accommodatio, non singulis tantum verbis, sed universo quoque genere dicendi, seu universae orationis quasi structura et habitu; quare de utroque deinceps dicemus. Atque universae quidem orationis genus varium est pro caussarum diversitate, quas quomodo distinguant rhetores, satis constat. Sed in hac disputatione, quoniam non magnam vim habet illa divisio, eam omittamus; nam partim in demonstrando, partim in suadendo vel dissuadendo, nonnunquam etiam in accusando Apostolorum oratio occupatur. Illud autem maxime observandum est, universae orationis habitum valde diversum esse, quum aut viva voce praesentes, aut per litteras absentes doceamus. Sed illa iterum duplex oratio est, aut continua, ordine et divisione partium artificiose composita, aut aliorum sermonibus interrupta et familiaris; utraque vero diversum dicendi genus diversamque sermonis rationem et eloquutionem desiderat. Itaque dicendi genus universum, quo Christus usus est, valde diversum fuerit necesse est ab eo, quo Apostoli usi sunt, quum Christus quidem viva voce docuerit praesentes, sed Apostoli per litteras; nam orationes ab ipsis habitae paucissimae supersunt. Quae res maioris momenti est, quam vulgo existimant. Valde enim absentis et praesentis differt oratio; aliter apud praesentes, aliter ad absentes loqui-

mur. Nam si praesentes instituimus, praesentium tantum cogitatione rerum tenemur et ea tantum tradimus, quae tunc quidem necessaria esse arbitramur. Sed quum scribimus, non plura solum cogitatione amplectimur, sed multa etiam scribimus, quae utilia putamus, ut in posterum saepius et a multis legantur. Interdum etiam inter scribendum multa nobis succurrunt, quae a consilio ad alia omnia paulisper avocant animum. Enimvero Christus viva voce docuit homines praesentes eosque familiares, aut quorum ingenia et consilia perspectissima haberet; unde sponte intelligitur, eius orationem diversam fuisse ab eo genere dicendi, quo Apostoli usi sunt. Hi enim scripserunt ad homines varii generis, quorum paucissimos de facie nossent, et saepenumero eo consilio, ut ad plures ecclesias perferrentur epistolae. Hinc factum est, ut dicendi genus Apostolorum esset paullo liberius, ad plurima sese diffundens et variis sententiis distinctum, quippe ad homines absentes et diversi ingenii. Quod quam diligenter observandum sit, quum in tota doctrina Apostolorum diiudicanda, tum in singulis locis recte explicandis, facile intelligitur. Neque vero levis caussa discriminis fuit, quod Apostolorum continua oratio esset, saepe ad artis quasdam leges quodammodo composita variisque argumentis et vinculis orationis artificiose cohaerens; Christi autem sermones, quales nunc quidem in commentariis de vita eius leguntur, populares fuere, saepius interrupti, et, etiamsi non ex antiquioribus nescio quibus Evangeliis, dudum deperditis, consarcinati, tamen non omnes integri, sed per partes tantum litteris consignati. In quo negotio etsi adiuti fuerunt et instructi divinitus amici Domini, non singula tamen verba referre opus erat, sed sufficiebat, eos doctrinam divinam vere, i. e. ex divini magistri sententia, posterorum memoriae sine vitio tradidisse. Itaque mirandum non est, genus orationis in sermonibus

Christi haud parum discrepare ab eo, quod in scriptis Apostolorum reperitur.

In verbis singulis denique diversitatem aliquam fuisse, et ipsa oratio docet, et res ipsa postulabat. Nam etsi et Christi et Apostolorum sermo popularis fuit, Apostoli tamen, necessitate coacti, multis verbis ac formulis, aut novis, aut novo saltem sensu usi sunt. Atqui verborum variorum et ab hominibus indoctis usurpatorum diversitate ipsam rerum formam atque universae institutionis rationem mutari, non est quod multis verbis doceamus. Nam quum scribit aliquis indoctus, longe alia est eius oratio, quam si praesens dicit; vulgaris enim orationis usus, dum ille scribit, varie mutatur et, licet in colloquio sufficiat, tamen meditatione aut animi quadam contentione alium quasi colorem trahit, inprimis quum de rebus gravibus novisque scribendum est. Vulgaris enim sermo quum ad res, a communi usu vitae alieniores, subtiliores et quasi spirituales exprimendas non satis idoneus sit, saepissime fieri solet, ut quamvis loquentis ingenium, exercitatione quadam subactum, facilius sese expediat, tamen is, qui scribat, varie vel linguae vinculis, vel verborum egestate impediatur, et, dum de rebus perspicue exprimendis unice cogitet, in verborum delectu et usu a subtiliorum scriptorum consuetudine et oratione longissime deflectat; praesertim quum res, quas scribendo explicat, fuerint eiusmodi, quas vulgus hominum singulis quasi imaginibus conceptas, non autem universis notionibus comprehensas animo tenere solet, cuiusmodi plurima esse constat, quae ad religionem spectant et res divinas. Quod inprimis in Apostolorum scriptis observandum est, qui non eo dicendi genere usi sunt, cui ex multa lectione et exercitatione quaedam elegantia, circumscriptio et constantia propria est, sed sermone vitae communis, vario, incerto, non satis finito et inconstanti, cuiusmodi esse solet hominum illitera-

torum oratio, aut eorum qui stylum exercere neglexerunt. Itaque qui Apostolorum verba recte intelligere et explicare voluerint, hos ea, quae vitae communis sermoni propria esse solent, penitus nosse oportet; quae res uberiorem disputationem desiderat, neque huius loci est, ut explicetur. Illud vero certum est, scribentium Apostolornm orationem ab oratione Domini, praesentes viva voce docentis, vel hanc ob caussam haud parum discrepare. Sed fuerunt etiam aliae caussae, quae dicendi genus Apostolorum mutarent. Nam quum res novas traderent, quibus exprimendis neque vulgaris sufficeret oratio, neque adsueta esset lingua graeca, necesse erat, ut verbis formulisque usitatis novas significationes tribuerent; rerum enim novitas antiquam sermonis naturam et verborum vim ac potestatem varie mutare solet. Qnod multis exemplis demonstrari posset, si exemplorum copiam res ipsa desideraret. Certe vocabulis πίστις, πιστεύειν, δίκαιος, δικαιοῦσθαι, δικαιοσύνη, πνεῦμα, χάρις, σάρξ, aliisque, vario imo diversissimo modo Paulus usus est, quoniam lingua graeca ad res novas, de quibus disputaret, verbis singulis et propriis exprimendas non sufficiebat. Qnot enim res, antea et Iudaeis et gentilibus prorsus incognitas, quot notiones, quas nemo ante mente concepisset, exprimere Apostoli debuerunt! Enimvero nova verba creare ob orationem popularem ne licuisset quidem, si vel maxime potuissent; ergo usitatis verbis, quibus possent, sed sensu novo et vario, usi sunt. In quibus multa occurrunt, quibus ipse Dominns aut prorsus abstinuit, aut sensn alio usus est. Sciunt denique, qui alios instituunt, quantam vim ad usum verborum mutandum aut ingenia discentium habeant, aut rerum tradendarum natura et indoles. Nam dnm ad aliorum captum nos accommodamus, verba eligimus intellectu faciliora, popularia, tropica, resque ipsas et cogitatione et ore volvimus, prout ab aliis possint facillime intel-

ligi, inprimis tunc, quum res tradendae sunt, vel difficiles propter novitatem, vel quae offensionis aliquid habeant propter opiniones discentium. Eas quamquam non curat magnopere is, qui scholam certam non habet, quod de Domino constat, tamen singulari studio circumspicere eum oportet, qui certum genus hominum instituere cupiat, ut in verborum singulorum delectu ad eorum ingenia se componat atque accommodet. Quae quum ita sint, discrimen disciplinae Christi et Apostolorum, quibus caussis ortum fuerit et quibus rebus cernatur, satis intelligi posse arbitramur. Restat, ut de *eius observandi ratione et modo* dicamus.

Est autem, nostra quidem opinione, triplex potissimum illius discriminis observandi modus, primum in universa ratione doctrinam Christianam tradendi, deinde in singulis eius capitibus explicandis et tractandis, denique in defendenda religione et in refellendis criminationibus adversariorum. De quibus singulis deinceps dicemus.

In universa autem ratione tradendi doctrinam divinam non unius modi est illius discriminis observatio; sed spectat partim ad caussas doctrinae constituendas, partim ad singula capita coniungenda et in artis formam redigenda atque omnino ad componendum systema, quod dicunt, theologicum, partim ad universum modum docendi vel in scholis, vel apud populum Christianum. In his omnibus enim illius discriminis observationem maxime utilem et necessariam esse existimamus; itaque, quo modo observandum sit, ostendemus.

Principio igitur satis constat, in tradenda universa doctrina Christiana ante omnia videndum esse, e quibus caussis illa pendeat et quae sint eius capita primaria, ut in scholis dicunt, et fundamentalia; qua de re et olim valde dissenserunt theologi, et nunc dissentiunt quam maxime. Sed hac in re aut nos prorsus fallimur, aut valde utilis est discriminis, de quo disputavi-

mus, observatio. Quod etsi iam intelligi potest ex his, quae supra diximus (p. 20. seq.) tamen paullo accuratius explicabimus. Nempe in hac controversia multi olim in eo errasse videntur, quod doctrinam ipsam a disciplina, res ipsas a forma rerum, non satis accurate distinxerunt, sed quae ad disciplinam tantum et modum docendi, quo primi religionis magistri apud coaevos usi sunt, pertinerent, ea vero omnia ad ipsam doctrinam retulerunt. Ex quo factum est, ut, quae illis quidem temporibus maxime necessaria fuissent, atque hanc ob caussam vel a Christo vel ab Apostolis in initio institutionis proposita, aut singulari studio tradita reperirentur, ea etiam primaria et fundamentalia existimaverint. Quod vero dici non potest, quantum detrimenti attulerit disciplinae theologicae, et sciunt omnes harum rerum periti; sed illud ego non dubitanter affirmaverim, universam studii theologici rationem hoc uno quasi corruptam vitio fuisse. Erat vetustum quidem hoc malum, a primis statim seculis ortum, cui, quum neque disputantium post Augustinum studia, neque subtilium artes scholasticorum mederi potuissent, mansit Theologia non satis recte constituta usque ad Sec. XVI. Et hoc seculo, quum sacrorum christianorum emendandorum initium fieret, a multis quidem vitiis purgata est doctrina Evangelii, sed universae disciplinae melius constituendae neque tempora tunc satis apta fuerunt, vel ob partium studium, vel ob linguarum et historiae ignorantiam, neque magnorum hominum, qui primi opus illud immortale adgressi sunt, consilium suffecit. Hi enim hoc agebant potissimum, ut doctrinam Christianam, innumerabilibus scholasticorum disputationibus laceratam et decretis Pontificum contaminatam, ad veteris ecclesiae formulas et sententiam revocarent. Quamquam igitur multos turpissimos errores, inscitia et perversis hominum studiis ortos, postea seculorum inertia ac stupore propagatos, strenue

et graviter reprehenderunt, tamen quam maxime caverunt, ne quam novam docendi rationem inducere viderentur: sed hoc unum egisse videri volebant, ut missis recentioribus commentis ad antiquae ecclesiae fidem christiani reducerentur; quod et ipsi in Confessione Augustana testati sunt, et Melanchthon ingenue professus est in Apologia. Ipsam igitur theologiam, seu universam rationem tradendi et explicandi subtiliter doctrinam christianam magna emendatione egere, imo quasi denuo exstruendam esse, aut ipsi non satis intelligebant, aut, quod vero propius est, ob vitiorum ignorationem et inopportunitatem temporum non satis docere poterant. Ipse enim Melanchthon iam dudum in praefatione Locorum Theologicorum declaraverat, sibi consuetam rationem tradendi in scholis doctrinam christianam non ita placere, quin ab ea prorsus recedendum putet: quamquam in Confessione et in Apologia aliud consilium vir prudens sequutus est. Quod non oblivisci oportebat eos, qui haeserunt in formulis, et, quae ob controversias olim agitatas placuit Theologis illius seculi docendi ratio, eam etiam ab iis, qui in scholis docent, non autem disputant cum adversariis, retinendam esse existimarunt. Sed illis temporibus primum quidem Melanchthonis auctoritas omnium, qui libros theologicos componerent, animis ita imperavit, ut immortalis viri verba, non autem consilium imitati fuerint. Sed postquam Melanchthonis fracta auctoritas erat, et novis formulis constitutis libertas docendi in invidiam cessit, vix incensum theologiae emendandae studium prorsus coepit refrigescere, donec post emendatam imo quasi denuo inventam veram libros sacros interpretandi rationem, antiqua Theologiae forma, scholasticae disciplinae quam doctrinae divinae similior, vix ferri diutius posse videretur. Quod sine invidia apud peritos dici posse arbitror. Quamquam pervulgata olim fuit opinio, Theologiam quoque illis tempo-

ribus ita constitutam esse, ut nulla emendatione amplius opus habuerit, sed si quis decreta theologorum tractaret alia ratione, quam in scholis olim obtinuisset, is ipsam doctrinam divinam violasse et vitiasse existimaretur. Itaque quum universam Theologiam superstructam esse viderent caussis his, quae, tametsi olim vel ob disciplinam necessariae fuissent, vel utiles πρὸς ἀντίῤῥησιν, tamen neque ipsius divini magistri summo consilio satis accommodatae, neque cum doctrinae ipsius indole convenire viderentur, coeperunt multi accuratius quaerere, e quibus caussis universa doctrina penderet, ne incertis formulis componeretur, sed quae aeterna essent et necessaria religionis capita, his maxime, veluti fundamento, superstrueretur. Tum vero orta necdum composita est controversia, qua ratione capita necessaria, quae naturam ipsam (essentiam in scholis dicunt) doctrinae constituerent, discerni possent a temporaneis, quae ad formam tantum disciplinae pertinerent. Est autem gravissima haec disputatio, quoniam sic demum certa ratione constitui doctrina Christiana potest, ut, quae ei necessario insunt, neque salva ipsius natura abesse possunt, distinguantur ab illis, quae quum primum traderetur Evangelium tanquam variae species disciplinae abhaeserunt. Theologia enim aut caussas non habet proprias, quod constat nonnullos voluisse, aut his potissimum caussis superstruenda est, quae ipsius doctrinae divinae naturam constituunt. Haec autem non ex ea, quam tunc quidem institutio Christi et Apostolorum habuit, forma iudicari potest, sed e summo Christi consilio intelligitur. Nam quae ad hoc universum consilium non necessario pertinent, ea non ad doctrinae naturam, sed ad formam tantum et disciplinam referenda sunt. Quod ne quid ambiguitatis habeat, brevi oratione efficiemus. Nimirum Christi consilium, satis constat, non ad illa tantum tempora et homines illos pertinuisse, sed ad omnes omnium tem-

porum homines spectasse. Non populares enim tantum a legis caerimonialis iugo, religione patria emendanda et amplificanda, liberare, aut doctrinam, quae temporibus illis salutaris esset, hominumque inertiae succurreret, tradere voluit; tametsi hi quoque non spernendi institutionis Christi fructus fuerunt; nam qui posteris inservire cupiunt, his cavendum est, ne aequales negligant, imo ut his prudenter tradant; quae futuris prosint seculis, maxime videndum est. Christo vero in doctrina divina tradenda hoc consilium fuit, ut omnium gentium et seculorum homines a superstitione, erroribus et vitiis liberati, ducerentur ad verum cognoscendum, ad honestum expetendum omnemque virtutem exercendam, spretaque rerum terrestrium lubidine ad res divinas et immortales adspirarent atque in his denique spem unicam collocarent immortalem, nunquam perituram. Sic enim provehendum ad altiora erat genus humanum, sic ab inscitia errorumque tenebris ad lucem perducendum, sic denique effici debebat, ut superbia, superstitione, inertia vanoque numinis divini cultu sublato, omnes homines, sanctiori pietatis et honesti studio incensi communique immortalitatis spe sustentati, per omnia secula crescerent vera sapientia, virtute et felicitate, donec, circumacto rerum humanarum circulo, unus omnibus imperaturus esset Deus. (1 Cor. 15, 28.) Atque ea profecto est doctrinae christianae indoles, quae dum et huius, quae nunc quidem mortales exercet, et futurae post fata vitae rationes complectitur, illi consilio plane divino optime conveniat; quod quum indies magis perspiciendum, illustrandum et felicius perficiendum sit, valde erraret, si quis limitibus, quibus tunc quidem contineri debuit, ingratus constringeret. Illud autem perpetuum Christi consilium in universa doctrina Christiana constituenda spectare necesse est, ne hominum, quibus primum patefacta est, ingenio, opinionibus vitiisque constringatur,

sed ad eas caussas revocetur, quibus illud immutabile consilium continetur. Quare omissis iis, quae vel temporum necessitas olim imperavit, vel hominum irae, contentiones et studia addiderunt, videndum est, ut tandem ex mente Domini divina doctrina constituatur. Nimirum is demum partes evangelici theologi recte agit, qui, quid verum falsumque sit, e sola scriptura sacra contestatur, humanam autem auctoritatem et formulas ab hominibus inventas non curat in caussa divina, sed magnorum virorum virtutes, non vitia imitatur. Non ii sumus enim doctores evangelici, qui in hominum verba iuremus; neque alium, praeter Christum, magistrum agnoscimus; μὴ γὰρ Παῦλος ἐσταυρώθη ὑπὲρ ἡμῶν, ἢ εἰς τὸ ὄνομα Παύλου ἐβαπτίσθημεν· neque aliter Lutherus sensit, cuius magnum animum non norunt, qui, modo verba eius repetant, satis ipsum colere sibi videntur; neque vero aliam rationem fert ecclesia nostra, quae hoc ipsum summum, cui superstructa sit, veluti fundamentum agnoscit, quod solum e sententia et consilio Domini omnia tradenda et constituenda sunt. Iam concedimus quidem, valde ambiguum quibusdam videri posse, quid ad aeternum illud consilium pertineat, quidve ad formam tantum et disciplinam referendum sit; et debet adeo incertum videri his, qui aut incertis verborum formulis temere inhaerent, aut de omnibus aliis rebus potius hoc loco, quam de doctrina divina e scripturae sacrae auctoritate constituenda cogitare consueverunt; sed existimamus tamen, illo, de quo disputamus, discrimine diligenter observato, facili negotio illam rem expediri posse. Primum enim, si animadverterimus, quibus modis Christi et Apostolorum diversa disciplina fuerit, intelligemus, universam rationem constituendi doctrinam non ex illius disciplinae forma metiendam esse, sed ex ipsius divinae doctrinae indole et fine, de quo valde verendum est, ut, qui systema theologicum composuerunt, recte semper cogita-

verint. Tanta est enim illius disciplinae diversitas, ut, ea observata, vel pertinacissimo antiquarum formularum propugnatori de earum necessitate non levis suspicio oritura videatur, si, quae ipse, Apostolorum ἐξύτητα, facilitatem et solertiam, non satis adsequutus, nostris temporibus, tamquam primaria et fundamentalia tradiderit, ea a Domino ipso aut leviter tantum tractata, aut longe alia ratione tradita reperiat. Nam illud quidem omnes concedent, caussas universae doctrinae communes haberi non posse, e quibus tunc quidem pendebat disciplina primorum magistrorum religionis, sed eas tantum instar θεμελίου ponendas esse, quae toti quasi imperent doctrinae divinae, sive ea gentilibus, sive Iudaeis, sive nunc sive in posterum tradatur. Deinde vero hoc ipsum illo discrimine observato intelligitur, quae certa sint et communia, quaeve ex illorum temporum et hominum ratione orta sint, ut theologia christiana ad caussas necessarias et divinae doctrinae proprias referatur. Sic enim facile erit, communia et perpetua distinguere ab his, quae temporum illorum ratio postulavit, atque universam doctrinam ad summum Domini consilium revocare; ne doctrinae christianae formam eiusmodi habeamus, quae Iudaeis et gentilibus conveniat potius, quam hominibus christianis. Nam quum in disciplinae initio atque fundamento institutionis Christus atque Apostoli diversam rationem sequuti fuerint, facile intelligitur, in quibus consentiant, in his capitibus universae doctrinae caussas primarias quaerendas esse, ac si qua nova docere Apostoli debuerint, de iis quoque e consilio Christi haud incertum iudicium esse. Quod quidem eo diligentius observandum est, quum doctrina christiana in libris sacris non ad caussas suas revocata, sed populariter, et veluti sparsis saluberrimorum decretorum et praeceptorum floribus, tradita reperiatur. De quo non tam graviter multi conquesti essent, quasi aut ambiguitatis nescio

quid haberet disciplina christiana, aut eius caussae certae et communes aliunde repetendae essent, si de consilio universae doctrinae ex mente Domini iudicare voluissent. Iam sciunt omnes, quam diversae, nostris potissimum temporibus, theologorum sententiae sint de primariis et fundamentalibus doctrinae christianae capitibus, ita ut, si quis quaerat e nobis, quaenam aut quot sint numero, ei vix habeamus quid respondeamus, adeo ut post viginti fere secula incertum adhuc quibusdam videri possit, unde petenda sint. Quod nisi nostra culpa acciderit, verendum est, ne de theologia christiana recte constituenda prorsus desperandum sit. Enim vero ipse Dominus in praestantissima oratione ea, quam Iohannes servavit cap. 17. luculenter dixit v. 3. *αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν·* atque eo loco, quo Nicodemo rationem consequendi per Messiam salutem exposuit (cap. 3.) declaravit eodem modo, Deum pro infinito in genus humanum amore velle, ut homines per se ipsum serventur, nimirum *πιστεύοντες εἰς αὐτόν*, et, quod alio loco adiunxit, *ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντος αὐτόν·* quare etiam dixit cap. 5. adesse tempus, *ὅτε οἱ νεκροὶ ἀκούσονται τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ οἱ ἀκούσαντες ζήσονται*, et de futuro aevo paullo post addidit, *οἱ τὰ ἀγαθὰ ποιήσαντες ἐκπορεύσονται εἰς ἀνάστασιν ζωῆς, οἱ δὲ τὰ φαῦλα πράξαντες εἰς ἀνάστασιν κρίσεως*, adeo ut nulla dubitatio esse possit, quin caput primarium et fundamentale fidei, ipso Domino auctore, hoc sit, ut, quicunque salutem per ipsum consequi velint, hi agnoscant et credant, ipsum divinitus missum datumque esse servatorem omnibus, cuius doctrinam suscipiant animo integro, fortiterque et pie omnia praecepta servent, atque sic emendati divinitus (*μετανοήσαντες καὶ ποιήσαντες καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας*) veniam peccatorum consequantur, cuius caussa ipse vitam suam devovisset. Nam mortem quo-

que pro salute hominum se oppetere, Christus pluribus locis dixit, inprimis Matth. 26, 28. Luc. 22, 19. 29. Ioh. 3, 14. 15.; 10, 14 - 18. coll. 11, 51. 52. et 12, 24. 32.; 15, 13. adeo ut hoc quam maxime necessarium et essentiale doctrinae caput haberi debeat, Christum mortuum esse hominum caussa, nominatim ad comparandam veniam peccatorum et aeternam salutem *πᾶσι τοῖς πιστεύουσι.* Sed Apostoli eandem universae doctrinae caussam idemque principium habuerunt, quamvis in institutione varias formas, aptas illis hominibus et temporibus, elegerint, quas in constituendis universae doctrinae caussis necesse est distinguere a re ipsa, ut supra exposuimus. Verum si illas accurate distinxerimus, non difficile erit, in illa disciplinae diversitate reperire commune Evangelii principium, cui doctrina divina superstrui possit omni aevo imperatura. Ipsum enim Dominum ab eiusmodi quasi formis externis et institutis religionem et pietatem alienam esse voluisse, quum universae doctrinae ratio ostendit, ab omni arbitrio humanae lubidinis libera, atque ad animum ipsum mentemque (*τὸν ἔσω ἄνθρωπον*) divino virtutis studio et immortali futurae incolumitatis spe non tam instituendam, quam prorsus imbuendam, divini spiritus plena contendens, tum vero etiam diserta eius dicta demonstrant. Sic, ut unum tantum afferamus, mulieri illi, quae de externo cultu maxime cogitabat, dixit instare tempus, quo *οἱ ἀληθινοὶ προςκυνηταὶ προςκυνήσουσι τῷ πατρὶ ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ* (Ioh. 4.); quibus verbis omnia, quae ad cultum externum atque omnino ad opiniones sacras Iudaeorum, v. c. de sacerdotibus, de sacrificiis, victimis, expiationibus, spectarent, a vero cultu et religione vera, cuius ipse auctor futurus esset, prorsus removit; atque hoc fecit eodem loco, quo salutis auctorem et vindicem, quem Iudaei ac Samaritani exspectarent, se professus est. Itaque, quum dispiciendum sit, quae communia sint atque ad omnes homines

pertineant, illo disciplinae discrimine observato, facile erit distinguere fundamentum disciplinae a fundamento doctrinae: nam de eodem consilio divino beandi omnes homines et Christus et Apostoli plane consentiunt; hoc igitur θεμέλιον esto, sed reliqua, licet utilia et necessaria aetate illa fuerint, tamen ad disciplinam tantum referenda sunt. Sed ad alterum perveniamus.

Nam quum in quacunque doctrina constituenda hoc maxime videndum sit, ut singulae eius partes accurate invicem nectantur et bene inter se cohaereant, vel hanc ob caussam utilis est illius discriminis observatio. Nimirum doctrinae partes singulae ita coniungendae et disponendae sunt, ut vera ipsius indoles et communis ratio postulat; eo etiam ordine omnia collocanda et tradenda sunt, qui necessarius sit non apud hos illosve homines, sed apud omnes, ut vera doctrinae divinae ratio et singularum partium necessitudo recte perspiciatur. Iam vero Christus atque Apostoli diversum ordinem servarunt, ut supra demonstravimus, inprimis Apostoli singula doctrinae capita non ita semper coniunxerunt, uti communis ratio desideraret, sed ut hominum, quos instituerunt, ingenia temporumque rationes postularent. Quod illi quidem prudenter fecerunt; sed dubitari potest, an recte facturi sint, qui, quum de doctrinae quasi membris ad unum corpus colligendis cogitant, illorum sequi rationem voluerint. Theologorum est enim, commuuem rationem observare, quam ipsius doctrinae indoles et consilium Domini desideret, non autem eum rerum tradendarum ordinem retinere, quem illis temporibus sequi Apostoli necesse habuerint. Nam quum hi quidem peculiari consilio docuerint, ideoque omnia ita coniunxerint, uti commodum illi consilio videretur, facile intelligi potest, doctrinam a nostris theologis non ea ratione disponendam esse, quae primis magistris placuerit; sic enim verendum esset, ne a communi doctrinae indole et natura

universa eius ratio plane aberraret. Quod etsi multis exemplis doceri possit, sufficiat tamen diligentes disciplinae Apostolorum aestumatores monuisse, in nectendis et coniungendis singulis doctrinae partibus non solum consilium varium, sed etiam diversum magistrorum ipsorum ingenium et propriam cuique sentiendi rationem, vim eximiam habere, ita ut, quicunque doctrinam arte quadam componere velint, his summa cautione opus sit, ne illorum virorum rationem temere imitentur, quae, licet prudentissima et maxime necessaria illis, quibus docuerunt, temporibus fuerit, neque tamen communis sit, neque universae institutioni accommodata apud omnes videatur. Utamur Pauli exemplo, de cuius disciplina ex iis, quae superstites sunt, epistolis omnium maxime constat. Paulus enim, sive quod ipse προκόπτων antea ἐν τῷ Ἰουδαϊσμῷ, ad summum taedium expertus fuisset τοῦ νόμου iugum et τὴν τοῦ γράμματος ἀσθένειαν, sive quod animadvertisset, hominum illorum de cultu levitico opinionem et τὴν ἐν τῷ νόμῳ καύχησιν verae religioni prorsus contrariam esse, universae institutionis hanc rationem maxime tenuit, ut ἡ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη appareret, atque omnes, non ἐξ ἔργων νόμου, ἀλλ' ἐκ πίστεως δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον, intelligerent. Quare non solum omnes eius disputationes ita dispositae reperiuntur, uti huic consilio esset accommodatum, sed singula quoque doctrinae capita, sive fundamentalia sive non fundamentalia, (ut in scholis dicuntur) ita disposita, collocata et nexa sunt invicem, ut, qui vel suo merito et gentis quasi praerogativa illud divinum beneficium sibi contingere debere opinarentur, vel cultu externo legisque Mosaicae observatione consequi se illud posse aut ipsi crederent, aut aliis persuadere vellent, hi veram rationem consequendi salutem per Christum discerent. Sed ex hoc facile intelligitur, doctrinae singulas partes non ea ratione coniungendas esse, quam Paulus secutus est; neque enim

Iudaeorum aut gentilium caussa a theologis nostris hodie Evangelium traditur. Quod valde veremur, ut semper observatum fuerit in ratione singulas doctrinae partes coniungendi, quae in theologia dogmatica reperitur. Negare enim, ut exemplo utamur, nemo potest, in systemate beneficium Christi describi fere totum ad rationes Iudaicas, et nominatim de venia peccatorum praecipi sic, uti singulae huius gravissimi capitis partes olim coniunctae et dispositae a Paulo fuerunt. Etsi enim, quod supra iam diximus, concedendum ab omnibus existimamus, veniae peccatorum et salutis consequendae caussam et spem ab iis repetendam esse, quae Dominus et olim fecerit ac passus fuerit, et nunc quoque faciat, et in posterum sit facturus, tamen non magnopere repugnabimus, si quis rationem, qua illae res dispositae traduntur in libellis dogmaticis, iudaicae magis quam christianae disciplinae convenire existimaverit. Coniuncta sunt enim illa omnia eodem fere modo, quo Paulus ea coniunxit, ut Iudaeis, καυχωμένοις τῷ νόμῳ, et gentilibus, ξένοις τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, vera illius beneficii ratio appareret. Quare disputationem huius loci ordiuntur a miseria, e peccatis orta, describenda, plane ut Paulus, qui sui temporis hominibus voluit demonstrare, eos ob vitae ante actae perversitatem non promeruisse tantum beneficium; deinde ad communem naturae humanae vitiositatem recurrunt, quamquam Paulus hoc loco non loquutus est de natura humana, sed de hominibus iam adultis et peccandi consuetudine corruptis, ut postea videbimus; tum vitia illa, docent, neminem suo opere expiare, neque suo studio aut merito futuram perniciem effugere et salutem consequi quemquam posse, quasi apud Iudaeos disputent uti Paulus, τῶν τοῦ νόμου ἔργων vanitatem graviter reprehendens; addunt igitur Christum nostro loco ea omnia fecisse et passum esse, quae Deus ab hominibus postulare potuisset, ipsi autem

homines neque facere per naturae suae imbecillitatem, neque pati sine felicitatis iactura potuissent, atque sic Deum, severum quidem iudicem, sed ob meritum Christi indulgentem et propitium redditum, cedere quasi sanctitate sua, et pro iustitia, ad puniendum parata, amore uti ad ignoscendum promtissimo, ut homines, quantumvis poenis digni, insontes declarentur atque tales tractentur, absolvantur a culpa et poenis peccatorum atque salutem aeternam consequantur sola fide, tametsi haec fides, ut vera sit, debeat necessario bona opera habere et novam obedientiam procreare, plane ut Paulus de his rebus adversus Iudaeorum vanitatem et superbiam disputavit. Nos vero quamquam non negamus, quae illis verbis insint, verissima esse omnia, et scimus quoque, ea a pluribus theologis recte, i. e. ex vera Domini et Apostolorum sententia exposita esse, hoc tamen non concedendum esse putamus, hanc rationem et veluti formam satis aptam esse ad veram Evangelii sententiam perspiciendam, quin eiusmodi potius illarum rerum nexum et ordinem esse arbitramur, cuiusmodi Iudaeis et gentilibus quidem, non autem Christianis conveniat. Sed hoc quidem loco satis est, monuisse, Christum de hoc beneficio divino, cuius ipse auctor et vindex esset, longe alia ratione docuisse. Ita is enim omnia, quae ad illam rem pertinerent, coniunxit et proposuit, ut vera illius beneficii cum generis humani universi fine necessitudo appareret, non solum Iudaeis aut gentilibus, sed quicunque essent homines, ad immortalitatem nati et, licet vario modo, eadem tamen aeterna voluntatis divinae lege ad virtutis et beatitudinis perpetua incrementa capienda, praeparandi et educandi. Omnino autem Christus quum in universum, tum de salute quoque ab hominibus, ipsius beneficio consequenda, non secundum rationes singulares docuit, veluti genti cuidam proprias et familiares, sed communes rationes circumspexit et totius generis hu-

mani aeternas necessitates vel cogitatione vel institutione complexus est; neque igitur ad hoc illudve genus hominum disciplinam composuit, sed ita, uti omnium, qui tanto beneficio beandi essent, hominum omni tempore rationes desiderarent et desideraturae essent usque ad finem rerum humanarum. Atque sic verissime τὸ Φῶς τοῦ κόσμου ille illuxit, Apostoli autem Iudaeorum et gentilium doctores fuerunt. Itaque si theologi Apostolorum et Christi disciplinam distinxissent, dubitari non potest, quin loci illius gravissimas sententias longe alia ratione coniuncturi fuissent. Sciunt autem omnes, e rerum dispositione, nexu et ordine veram ipsarum sententiam pendere, ita ut, si male coniungantur, aut plane non recte intelligantur, aut quasi formam accipiant a communi sententia alienam. Quamobrem ad componenda et coniungenda singula doctrinae capita vel maxime utile fuerit, discrimen illud disciplinae Christi observare, partim ut veram et communem nectendi singulas partes et disponendae doctrinae rationem intelligamus, partim, qui ab eiusmodi labore alieniores esse solent, ut eius necessitatem animadvertant. Non loquimur enim de populari institutione, sed de doctrina subtiliter ad artis formam componenda, cuius singulae partes ita coniungendae sunt, uti vera doctrinae ratio postulat. Illud autem discrimen plane docet, disciplinae formam hoc quoque loco a rebus ipsis distinguendam esse, neque satis recte versari eos, qui ordinem illum, quem Apostoli elegerunt, et singularum partium coniunctionem, quam illorum disciplina desideravit, sine omni discrimine sequantur. Nam quae in scriptis ecclesiae nostrae publicis doctrinae forma constituta est, ea non ad doctrinae divinae definiendae rationem spectat, sed ad doctrinam ecclesiae praesertim in capitibus controversis; habent enim libri symbolici tantum testimonium veritatis, non autem auctoritatem iudicis; atque aliud est officium theologi, qui ecclesiae

nostrae sententiam explicat; huic enim ea omnino ratio retinenda est, quae in scriptis illis publice proposita est; aliud est officium eius, qui doctrinam divinam e scriptura sacra constituendam sibi sumsit; huic enim ex mente et consilio Domini omnia peragenda sunt. Theologia enim nostra aut nullius pretii est, aut doctrinae divinae rectius intelligendae et verius tradendae inservire debet; nam non curiositatis aut subtilitatis caussa traditur et discitur, sed religionis et pietatis caussa, ut divinam doctrinam puram et integram servare et aliis tradere atque ab humanarum opinionum commentis defendere possimus; neque igitur humano ingenio aut secundum opiniones humanas componenda est doctrina divina, sed ita constituenda, ut saluberrimo divini servatoris consilio rectius perspiciendo et felicius perficiendo inserviat. Oportet vero non a gentilium κενοσοφίᾳ solum, sed etiam ab omni Iudaicae disciplinae φυράματι liberum esse theologum evangelicum. Quod non tantum ut fiat, illa disciplinae Christi et Apostolorum diversitas monebit; quis enim, hac perspecta, quid communis omnium temporum necessitas desideret, non statim intelligat; sed etiam, quomodo fieri debeat, necessario et perpetuo rerum singularum nexu demonstrato, clare ostendet.

De ratione denique universa docendi vel in scholis, vel apud populum christianum facilis est illius discriminis observatio. In scholis enim theologorum, qui docent, hos meminisse oportet, Christum non scholae, sed vitae, non subtiliter disputandi caussa, sed populariter ad homines instituendos, corrigendos et emendandos doctrinam tradidisse; Apostolos autem non theologiam docuisse, sed saluberrimis religionis praeceptis aequalium animos imbuisse, in eaque re ad tempora et homines prudenter respexisse, et, quamquam in virum bonum, ut Cicero ait, non cadit mentiri, rationem tamen praecipiendi non communem, sed eam

saepissime sequutos esse, quae oeconomica solet appellari. Unde factum est, ut disciplinae eorum forma universa haud parum discreparet a ratione docendi, quam Dominus sequutus est, quod supra satis demonstrasse videmur. Quamobrem non illorum disciplinam et formam eam, quae tunc quidem doctrinae convenisset, sed consilium divinorum virorum et doctrinae indolem spectare necesse est. Sed id ipsum ea maxime, de qua disputavimus, disciplinae diversitas vel postulat vel demonstrat. Nam quum ineptum fuerit, vanam scholasticorum in docendo subtilitatem retinere, tum illud maxime, christianum theologum et futurum doctorem hominum christianorum docere sic, quasi in scholis Iudaeorum futuros νομοδιδασκάλους instituamus. Tametsi semper fuerunt haud pauci, qui Iudaica disciplina illa, spinis scholasticis distincta, mirifice sibi placerent, formulasque docendi, divisiones et distinctiones, dudum ab optimis theologis reprehensas, tanta religione decantari vellent, ut, si quis aliam docendi rationem sequeretur, hunc pessima consilia suadere existimarent. Quod quum exemplis doceri possit fere innumeris, tum ii potissimum loci demonstrant, in quibus de munere Christi triplici, de iustificatione, de bonis operibus et de emendatione salutari disputatur. In his enim, omnes iudicant, plurimum esse ambiguitatis, elegantiae parum, sed malunt tamen ineptas formulas rectius explicandi ingratum laborem suscipere, quam meliorem sequi docendi rationem, quae rebus ipsis et verae decretorum divinorum sententiae melius conveniat. Sed de his singulis statim post uberius exponemus. Iam vero in universum hoc nobis concessuros esse putamus omnes, quibus vera doctrinae divinae illustrandae ratio, non autem vetustas formularum, distinctionum et divisionum placeat, universam methodum docendi, quae in libellis dogmaticis reperiatur, parum aptam esse doctrinae sacrae, quantumvis commoda olim fuerit dispu-

tantibus et altercantibus theologis. Quamquam enim longe abhorret animus noster ab eorum studio, qui ab omni praecipiendi subtilitate alieniores, populari oratione et methodo, nescio qua, traducunt doctrinam, inprimis nostra aetate, qua vel ob linguarum vetustarum contemtum, vel ob antiquae historiae ignorantiam, subtilem docendi rationem plurimi fugiunt, sed e libellis quotidianis opinionum farraginem corrasisse satis habere solent: tamen non ita nobis placet subtilitatis et eruditionis antiquae ostentatio, quin, si veritatem aut obscuret, aut invidiae exponat prisca docendi ratio, protinus relinquere artes nostras parati simus. Ac nescimus fere, an melius consuli disciplinae theologicae possit, quam si, centenis formulis, distinctionibus et divisionibus missis et in armamentario, ex quo, si opus fuerit, depromantur, depositis, ad eam redeamus docendi simplicitatem, quae τῷ θεοῦ ἁπλῷ λόγῳ melius conveniat, quam subtilissimae artes scholasticorum. Cuius quidem simplicitatis et ἀφελείας optimum exemplum ipsius Domini disciplina ostendit, quam in universa ratione docendi Evangelium vel in scholis satius erat imitari, quam formulas et disputationes Apostolorum. Certe si quis discrimen disciplinae Christi et Apostolorum observaverit, huic nulla religio erit, modum docendi in scholis mutare, ubi vera rei ratio suaserit, sed is Apostolorum ipsorum exemplum sequetur, non quid dicat curans unice, verum etiam ut recto modo dicat, et sibi et aliis caute prospiciens. De populari denique institutione brevis oratio sufficiat. Nam quum doceat illud discrimen, quae necessaria sint et perpetua, quaeve temporanea tantum fuerint, ut supra ostendimus (pag. 51. sq.) sequitur, in populo quoque instituendo hoc discrimen observandum esse, partim, ut quae ad institutionem hominis christiani necessario pertineant, recte intelligamus, partim ut ad hodiernos mores et homines nostram quoque disciplinam compona-

mus; ne homines christiani instituantur tamquam Iudaei aut gentiles, sed sic, uti consilium Christi desiderat. Quod si quis monere hoc loco non opus esse existimet, hunc velimus de vulgari institutione cogitare, utrum satis apta sit his, qui alieni sunt ab eorum opinionibus, quos Apostoli instituerunt, an Iudaeis et theologis disputantibus commoda sit potius, quam infantibus doctrina divina imbuendis. Abeat enim aliquis ad Afros Indosve, incipiat eos instituere de salute consequenda, doceat de lege, de sacrificiis, de expiationibus, de poenitentia, de sacerdote summo, de Messia, de victima cruenta, de abrogata lege, de bonorum operum necessitate, de satisfactionibus et quae sunt aliae formulae loquendi, quibus, inter theologos usitatis et ne apud hos quidem omni obscuritate carentibus, puerorum aures implere imprudentes magistri solent, sane hunc stupentes audient homines, *ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραήλ*, neque intelligent quid sibi velit, certe illa omnia ad se non pertinere, iure obiicient. Quid enim illi Abrahami posteros curent, aut *ἐπαγγελίαν τοῦ σπέρματος Ἀβραάμ*, quid sacrificia et *τὴν κατάραν τοῦ νόμου*, quid expiationes et *τὴν ἀποκαταλλαγὴν τῶν ἀμφοτέρων ἐν ἑνὶ σώματι*, quid satisfactiones humanas, de quibus nunquam antea audiverint vel cogitaverint. Sed doceat ille, ut Christus docuit, Deum, qui omnes homines salvos velit, adeo amasse mundum, ut filium suum unigenitum miserit, ut, qui ei fidem habuissent, eius praecepta obtemperassent, vitamque sincero virtutis et pietatis studio sacram egissent, huius et futuri seculi beatitudinem consequerentur, doceat ergo, Christum pro salute hominum vitam devovisse, ut hi a poenis peccatorum liberi esse possent, eoque consilio docuisse, ut doctrinae divinae obtemperantes puri ab omni scelere et a poenis vere immunes essent, eandemque ob caussam esse dominum omnium, summo a patre imperio ornatum, ut felicitatis, beneficio ipsius

partae, homines vere participes redderentur. Sentient omnes, eum ἐν δυνάμει Θεοῦ loqui, καὶ οὐχ ὡς οἱ νομοδιδάσκαλοι καὶ Φαρισαῖοι. Certe praestabat hoc quoque loco Christi disciplinam sequi, ne obliviseeremur, homines divina doctrina imbuendos esse, non autem Iudaeos et Graecos. Neque enim disciplinae formam, sed prudens magistrorum consilium imitari necesse est.

Sed ad alterum perveniamus, in quo discrimen disciplinae Christi et Apostolorum observandum esse videtur. Existimamus enim, in singulis doctrinae capitibus explicandis et tractandis non levem esse illius observandi modum, quod paucis demonstrare conabimur. Et in explicandis quidem locis doctrinae singulis, quoniam redeunt omnia ad scripturae sacrae interpretationem, statim vident omnes, quam late pateat illius discriminis observatio. Valet enim tum in singulis locis recte, i. e. ex mente scriptorum, explicandis, tum in dictorum omnium communi sententia reperiunda; de quibus breviter disseremus.

Primum igitur quicunque de loco quodam scripturae sacrae explicando cogitant, eos non satis est, singulorum tantum verborum sententiam nosse, sed ipsius sententiae rationem perspectam habere oportet; ex locis singulis enim, in tali praesertim genere scribendi, vera dictorum sententia rarissime reperiri potest. Et quum sciant omnes, qui in veterum scriptorum monumentis explicandis versantur, nullum vix paucissimis locis auctorem recte explicari posse, nisi totam eius indolem mentemque perspectam habeamus, tum vero in sacris libris explicandis, concedent nobis subtilissimi interpretes, feliciter versari posse neminem, nisi universam rationem disciplinae, qua viri divini usi sunt, plane perspexerit. Quare non rationem tantum, quam Christus in docendo sequutus fuerit, sed caussas quoque nosse oportet, cur eandem rem aliis verbis aliove modo Apostoli tradiderint. Nam quum verba non sint

nisi rerum signa et veluti involucra, ne verborum sc
nis decipiamur, formam rerum ab ipsa earum senter
tia distinguere necesse est. Quod etsi magnam diff
cultatem habet apud scriptores, qui incomposito, incor
stanti et ineleganti scribendi genere usi sunt, ut supr
diximus (p. 43. sq.); tamen, Christi et Apostolorum di
sciplina diligenter comparata, felicius, nostra quidei
opinione, succedet. Primum enim, in libris sacris ex
plicandis, nescimus, quid constantius observari debea
quam genus illud orationis populare et e vita com
muni petitum esse; tanti est enim haec res moment
ut sive rationem linguae grammaticam sive cogitan
consuetudinem spectemus, universus explicandi modu
hanc unam ob caussam valde mutetur. In quo etsi no
discrepat Christi et Apostolorum oratio, quatenus ec
dem vulgari dicendi genere usi sunt, valde tamen dil
fert, quod illius loquentis horum scribentium verb
sunt. Nam qui a scribendi subtilitate alieni sunt, l
etsi sermonibus praesentes, quid velint, facilius docen
tamen, quum scribunt, ab eo dicendi genere, quo vi
in scribendo exercitati utuntur, longissime recedun
adeo ut in libris sacris explicandis facillime errare pos
sit, qui illud discrimen loquentium et scribentium no
diligenter observaverit. Hinc etiam fieri solet, u
multi de Apostolorum disputationibus iudicent, qua
docti et subtilis auctoris verba explicent, multi etiar
epistolas ab indoctis hominibus vulgari sermone scri
ptas tamquam arte dispositas et elaboratas tractent
singulasque sententias, inter scribendum haud raro, u
fieri solet ab hominibus indoctis, interiectas, certe no
certa ratione connexas, veluti ratiocinationum vinculi
constringant, et libere dictis suorum λογισμῶν arten
ingrata subtilitate commodent. Quod quam inoppor
tune factum sit olim a nonnullis interpretibus in epi
stolis maxime Pauli explicandis, satis constat. Nemp
e singulis epistolis subtiles disputationes fecerunt, ii

quibus omnia finita ratione et veluti in elaborationibus, quae speciminis loco scribuntur, collocata proponerent, atque e singulis sententiis ac formulis integra dogmata aut dogmatum formas saltem extricarent. Enimvero male sedulam hanc curam esse, ipsa sermonis, quo scriptores sacri usi sunt, natura et indoles demonstrat. Quis enim, quum epistolam vulgari sermone scribit, omnia tam accurate disponit et coniungit, quin multa saepe interiiciat, et veluti se ipsum monens adiiciat, praesertim quum scribat pluribus, quorum paucissimos ab ore noverit? Alia vero Christi loquentis et viva voce homines populares instituentis ratio fuit, ut supra ostendimus; quamquam ex longo tempore hic fere mos fuit, ut in explicandis capitibus doctrinae, quid ipse Dominus de iisdem rebus docuisset, parum aut nihil curarent. Quare vel hanc ob caussam discrimen illud diligenter observandum est, ut de orationis genere, quo Apostoli usi sunt, vere iudicemus, atque singula eorum dicta ad veram Domini ipsorumque Apostolorum sententiam explicemus. Atque haec altera est illius discriminis observandi utilitas in scripturae sacrae interpretatione, quod non solum, quo consilio singula dicta ab Apostolis fuerint, rectius animadvertamus, sed etiam Apostolorum sententias, variis formis propositas, cum Domini dictis comparemus; atque illa ex huius potissimum sententia explicare consuescamus. Sic v. c. quae Apostoli de natura humana singulis locis dixerunt, ea tantum non ad dogmata, quibus ea res definita est, perspicue ex libris sacris N. T. demonstranda sufficere nonnullis visa sunt, ut multa arte opus fuerit his, qui dogmata illa contra Pelagianos aliosve his similes defendere cuperent; multi quoque clamoribus et declamationibus pro testimoniis Scripturae sacrae usi sunt. Sed si modum, quo de humana vel imbecillitate vel integritate Christus loquutus est, tametsi hoc ex instituto, ut aiunt, nunquam fecit,

comparassent cum locis his, in quibus Paulus hc
naturae, disciplina spiritus sancti carentis, in
tarditatem et imbecillitatem arguit, non de nat
se ille quidem loquutus, sed de hominibus, qua
sua aut aliorum culpa esse fierique solent, ver
est, ut tantam contentionum et irarum materiam
venerint. Sic enim facillime, putamus, intell
omnes fuisse, non e singulis Apostoli, liberius
superbiam sui temporis hominum disputantis,
sed ex universa veluti notione naturae humanae
candum esse, quae partim e praeceptorum, quae
stus dedit, puritate, partim ex universi consilii
minibus ad immortalem cursum praeparandis, s
tate luculentissime apparet. Sed monet nos is i
cus, cuius modo mentio facta est, ut de locis c
nibus, legitima interpretatione constituendis di
in qua re illius discriminis observationem plu
valere existimamus. Sunt autem loci communes
quibus scriptor sententiam communem exprime
luit; communis autem sententia est, quae de o
ad idem genus pertinentibus lata est; ex quo se
ut ex locis communibus potissimum universalia,
dicuntur, decreta petenda sint. Sed quantopere de
modi locis disputatum fuerit omni tempore inter
pretes et theologos, sciunt omnes, neque opus est
rare. Atque nos quidem, quamquam non ne
difficillimum esse, de illis locis certum ubique iu
ferre, praesertim in populari oratione, arbitram
men, si discrimen disciplinae Christi constantius
vassent, non adeo dissensuros certe de multis
theologos fuisse. Nescimus enim, an uberior, i
communibus constituendis errandi, fons repe
quam quod disciplinam Apostolorum non satis ac
observaverint, neque cum Domini ipsius discipli
ligenter comparaverint. Sic enim factum est, ut
loca, in quibus Apostoli singulari consilio loquuti

contra opiniones hominum sui temporis, ad communem sententiam transtulerint, multaque dicta Apostolorum, quibus peculiaris tantum sententia inesset, quippe de quibusdam tantum rebus aut hominibus prolata, quasi de omnibus dicta essent, explicaverint. Hinc loci communes extiterunt magno numero, qui quum postea visi essent quibusdam non satis idonei, ipsa dogmata, quae illis inesse non viderentur, multi negarunt, et quoniam dicta probantia, quae dicuntur, non recte et accurate electa a multis essent, res ipsas, quasi a scripturis sacris alienas, contemtui habuerunt. In quo quum saepe erratum fuerit, tum iis in locis maxime, in quibus universas rerum notiones (abstractas in scholis dicunt) inesse existimarent, quamquam Apostoli, ut homines indocti et populari oratione scribentes, rarissime eiusmodi notionibus usi sunt, quum, ut supra diximus, (pag. 43. sq.) res tales fuerint, quas vulgus hominum singulis magis imaginibus conceptas, quam universis notionibus comprehensas tenere animo soleat. Sed si disciplinam Apostolorum cum Domini ipsius institutione diligentius comparassent, facile, ut nos quidem arbitramur, animadversuri fuissent, locos plurimos non communem sententiam habere, sed ad illos tantum homines et tempora illa spectare. Cuius rei quum multa exempla in promtu sint, unum tantum proferemus, quod ad locum illum, de quo modo diximus, pertinet. Scilicet, quae Paulus dixit Rom. 7., ea putabantur olim a plurimis in communem sententiam dicta esse, quasi Apostolus illo loco communem naturae humanae imbecillitatem et perversitatem arguere et demonstrare voluisset. Quare hic locus ad probandum naturale vitium hominum omnium haberi solet classicus et vel maxime communis. Sed aut omnia nos fallunt, aut is locus minime est communis. Nam Paulus in tota illa disputatione non hoc egit, ut humanam naturam vituperaret, sed ut legem ad homines a sceleribus puros

servandos non satis idoneam fuisse ostenderet; neque demonstrare voluit, humanam naturam (in abstracto, ut aiunt, spectatam,) ad virtutem et sanctitatem necquidquam valere, sed legem (i. e. universam oeconomiam Mosaicam) non praestare hominibus integrum et perfectum virtutis studium posse. Quare etiam 8, 3. sq. concludit: quod lex illa praestare non potuisset, id beneficio divino praestare hominibus doctrinam christianam posse, ut iam puri ab omni scelere manere homines, κατὰ πνεῦμα περιπατοῦντες, et effugere possint futuram perniciem. Itaque, quae v. 14—23. dicuntur, ea non intelligi possunt de hominibus omnibus, etiam christianis, sed dicuntur de homine, qui vivit sub lege, sentitque legem non satis idoneam esse ad veram virtutem et sanctitatem conservandam, uno verbo de Iudaeo, diffidente rebus suis, quoniam id, quod velit, nequeat facere, sed, quod nolit, facere cogatur. Ex quo intelligitur, totum hunc locum ad demonstrandam universae naturae humanae perversitatem plane ineptum esse. Et quamquam omnino verum est, quod Paulus dixit singulari ratione, v. 8—11. tamen ad locum illum non pertinent, ad quem solent illa omnia referri. Quin repugnant his, quae vulgo doceri solent. Si enim ad vitii naturalis demonstrationem afferatur hic locus, necesse fuerit, ei inesse etiam hoc, hominem, nisi divinitus hoc ei datum sit, ne velle quidem bonum, imo eius voluntatem per se ad vitia tantum proclivem esse. At vero versus 18. plane contrarium docet: in hoc enim diserte dicitur, voluntatem quidem promtam esse, sed deesse ei vim, qua bonum, quod probet, efficere possit; quod si de hominibus regenitis intelligunt, obliviscuntur, his neque τὸ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν deesse posse. Denique v. 24. 25. et initium cap. 8. docent, comparari homines sub lege viventes, miseros propter peccata, certe perpetua pugna, quae v. 19—23. describitur, vexatos, cum hominibus chri-

atianis, in quibus *οὐδὲν κατάκριμα, μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα.* Sed totum hunc locum non habuissent communem, si Pauli rationem disputandi diligentius considerassent, et, an in Christi orationibus similes sententiae reperirentur, circumspexissent. Existimamus enim, in locis communibus constituendis hanc omnino legem scribendam esse, ut, si quis locus, universe explicatus, eiusmodi sententiam habiturus sit, quae ab universa ratione de iisdem rebus praecipiendi, in institutione Domini conspicua, abhorreat, eum nullo modo communem habeamus; quemadmodum etiam falsa est alicuius loci interpretatio, quae prodit sententiam, cui ne similis quidem in libris sacris reperitur.

Sed ex his omnibus, quae hactenus de scripturae sacrae locis singulis explicandis disputavimus, satis intelligi posse arbitramur, in singulis ipsius doctrinae locis explicandis et tractandis quam late pateat illius discriminis observatio. Nam quoniam Apostoli docendi genere oeconomico, i. e. praesentibus hominibus et temporibus apto et commodo, usi sunt, quae docuerunt, capita religionis ita intelligenda et explicanda sunt, ut veram sententiam ab illa oeconomia distinguamus. Plurimas enim res opinionibus, formulis, denique rationibus illis iunctas et expressas tradiderunt, multaque ex circumstantia, ut Quinctilianus dixit, repetierunt; quae omnia diligenter cognoscenda et discernenda sunt, ut vera dictorum sententia appareat. Quod a multis olim neglectum est, qui formulas docendi pro communibus decretis haberent, omnesque et gravissimos doctrinae locos ita explicarent, uti verba ostenderent, sed veram, quae illis subesset, sententiam non satis assequerentur. Quamquam enim vera interpretatio in eo tantum cernitur, ut sententiam eam, quam scriptor verbis suis exprimere voluit, indagemus et explicemus; alia enim non est veri nominis interpretatio; tamen haec ipsa inter-

pretatio, (quam grammaticam dicimus, non, ut nonnullis placet, quod verbis inhaeret vage explicatis, sed quod spectat τὸ γεγραμμένον, i. e. sententiam scriptam et verbis ab auctore expressam indagat et refert unice) nisi illa omnia diligenter observet, singulorum locorum veram sententiam non potest assequi. Itaque, quod recentiores quidam praeceperunt, grammaticam interpretationem, eam quoque históricam esse debere, id tantum abest, ut reprehendi iure possit, ut maxime laudandum sit. Nisi, qui forte modum excesserunt, eorum vitio crimen struitur reliquis. Quamquam pervetusta est illa observatio; sic enim Hieronymus dixit aliquo loco: multa in scripturis sacris dicantur iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non iuxta qnod rei veritas exigebat. Quod, quam vere dicatur, et quanta cum diligentia in locis singulis doctrinae explicandis animadvertendum sit, illius, de quo sermo nobis est, discriminis observatio docebit. Sic enim nemo putaverit, Apostolos, si hac aetate nostra doceant, iisdem formulis et verborum involucris usuros esse. Sunt vero multa dogmata, in quibus explicandis verba quidem Apostolorum non autem sententiam veteres expresserunt; quoniam illud aut ignorabant aut non satis diligenter observabant, Christum de rebus iisdem longe alia ratione, atque Apostolos, loquutum esse. At dicat forte aliquis, Apostolos Christi interpretes fuisse, ideoque, quae illi docuerint, ea omnia ad doctrinam referenda esse. Sed facillime tolli potest haec dubitatio. Primum enim, si verum esset, quae Apostoli ad illorum temporum homines scripserint, ea omnia ad doctrinam ipsam transferenda atque perpetuo in institutione retinenda esse, sequeretur, ut nostris temporibus doceri deberent multa, quae ab iis plane abhorrerent. Multa sunt enim, quae nemo facile dicat nobis scripta esse, veluti de lege Mosaica sublata, de mulierum ἐξουσίᾳ, de daemoniacis, de nominibus ange-

lorum, et haud paucae descriptiones, comparationes, argumentationes quoque, illis tantum hominibus aptae, non autem aliis, ad quos doctrina divina perferenda erat ex consilio dei. Deinde concedendum quidem est, Apostolos multa, a Christo brevius tantum proposita, uberius exposuisse, atque id facere debuisse, nonnulla etiam, quae usus et tempus docuisset, nova addidisse, veluti de morte Christi, quod supra dictum est. Sed ex eo non sequitur, omnia, quae ab Apostolis propter homines illos et tempora dicta fuerint, ad ipsam doctrinam pertinere. Quin e communi consilio Christi et doctrinae natura iudicanda sunt. Apostoli enim non sui iuris fuerunt; non suam, sed Christi doctrinam tradiderunt; ergo de doctrinae capitibus non ex institutione Apostolorum iudicare fas est, sed ad Christum omnia dirigenda, ex eiusque divino consilio omnia explicanda sunt. Tametsi non id quidem curare multi olim solebant, quid Christus dixisset, sed quid Apostoli loquuti essent. Enimvero Christus est *θεμέλιος ὁ κείμενος*, *καὶ οὕτως δὴ ἀποστόλους λογιζέσθω ἄνθρωπος, ὡς ὑπηρέτας Χριστοῦ καὶ οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ.* Et quamquam Apostoli divinum spiritum acceperant, ut nova quoque tradere possent, tamen Christus ipse dixit: *ὅτι ἐκεῖνος ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν.* Postremo Christi sumus, non Apostolorum cultores: hi autem apud illas quidem gentes Christi interpretes fuerunt, sed omnis eorum institutio ad consilium et mentem Christi explicanda est. *Χριστοῦ γὰρ πάντες ἐσμὲν, Χριστὸς δὲ θεοῦ.* Hinc autem sua sponte intelligi potest, etiam in tractandis capitibus singulis in theologia, eundem illius discriminis observandi modum esse; quamobrem paucis cum explicasse sufficiet. Nam quemadmodum universa doctrina tradenda est sic, ut ipsius finis summus spectetur, quod ex diversa disciplina Christi et Apostolorum maxime intelligi posse supra ostendimus, ita etiam singula eius capita trac-

ctanda sunt in theologia non ad disciplinam Apostolorum variam et temporaneam, sed secundum veram ipsorum rationem et consilium Christi. In quo vero illius discriminis observandi modus et ratio maxime cernitur. Nam quum Apostolos, etsi in rebus ipsis a Domino non dissenserint, tamen diversam eas tractandi rationem sequutos esse, et quibus de caussis id fecerint, animadverterimus, facillime intelligemus, qua ratione nobis singula tractanda sint, ne ea nunc forma eligatur, quae olim Iudaeis et gentilibus apta fuerit, sed quae communis sit, perpetua et ad omnes homines pertineat. Quod enim Apostoli facere debuerunt, id nobis non amplius opus est, ab illorum temporibus alienis; neque enim Iudaei sumus, tenaces legis patriae, neque gentiles, idolorum cultores. Nempe quum tempora mutata sint, disciplinae formam quoque mutare necesse est. Omnino enim Apostolorum prudens consilium magis quam verba et disciplinam oportet imitari. Ac possemus sane, si multis exemplis opus esset in re perspicua, plurimos locos ostendere, qui ita olim tractabantur, quasi inter Iudaeos, cultus levitici caerimoniis gaudentes et τῷ νόμῳ καυχωμένους, aut inter gentiles ἀθέους ἐν τῷ κόσμῳ esset disputatio. Sed utamur exemplis nonnullis tantum, quam maxime perspicuis. Si quis enim locum gravissimum de opere Christi salutari percurrat in antiquioribus libellis dogmaticis, is, ubi audiverit de sacerdote, victima, sacrificio et cruenta irae divinae expiatione sermonem fieri ab iis, qui nunquam sacrificium obtulerunt, ut peccata sua expiarent, sed qui a pueris norunt paternum amorem Dei, ab omni iracundia alieni, quem cruento supplicio iniuriam vindicare nefas putent vel suspicari, vix putabit a Christianis hunc locum tractari. Atque omnino dudum dixerunt et docuerunt theologi optimi, operis Christi, quod et olim in his terris peregit, et nunc peragit et peracturus est usque ad finem rerum huma-

parum, tractandi rationem neque accuratam satis esse neque aptam naturae rei neque vero scriptorum sacrorum consilio accommodatam. Sed nos hoc unum tantum repetemus, quam parum apta sit illa dogmatica operis Christi enarratio vero Apostoli consilio, cuius verbis et formulis uti solent. Est enim illa petita ex epistola ad Hebraeos, in qua quidem Apostolus, contra Iudaeos disputans, non hoc egit, ut similitudinis caussa Christum cum sacerdote compararet, sed ostenderet, Christum longe praestantiorem salutis vindicem esse, ideoque ut dissimilitudinem potius leviorum negotiorum muneris levitici et gravissimorum beneficiorum Christi, perpetui salutis auctoris, demonstraret. Theologi autem, illis formulis usi, mutarunt Apostoli sententiam, atque ad similitudinem Christi cum sacerdote opus Christi descripserunt, ex quo, constat inter omnes, quam parum apta de hoc opere divino praecipiendi ratio in scholas recepta sit. Quam dubitari potest, an tanta constantia defendissent plurimi, si observassent, Christum de negotio sibi a patre demandato longe alio modo loquutum esse. Quin mirati sumus saepius (liceat enim uti verbis Patris Venerandi, Opusc. theol. pag. 5.) theologos in explicando opere Christi salutari adhibuisse modos loquendi, quibus Paulus in Epistola ad Hebraeos sapientissimis quidem de caussis propter illorum temporum necessitates et utilitates usus est, et non potius sequutos esse auctoritatem Domini ipsius in ea re explicanda et inculcanda, neo usurpasse ipsa eius verba, propria illa atque perspicua, nulli difficultati aut interpretationis ambiguitati et perversitati obnoxia. Deinde gravissimum locum de modo conferendi in homines salutem per Christum partam et oblatam (τὴν δικαιοσύνην θεοῦ τὴν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ) sciunt omnes, tractari in scholis secundum formulas, quibus usus est Paulus in disputationibus, eo, quod paullo ante exposuimus, consilio institutis, nempe ut

ostenderet, illud beneficium, nominatim veniam pe torum, spem futurae incolumitatis atque ipsam fi aevi salutem neque contigisse tunc quidem cuiquar sua merita, sed mero amore Dei (χάριτι ἐστὲ σε μένοι) neque contigere cuiquam alio modo posse per fidem. Poterat vero Paulus quidem uti illis mulis, quibus eam rem descripsit, ac debebat e verba illa, δικαιοσύνη, δικαίωσις, δικαίωμα, δικαιοῦσ adhibere apud homines illos, quorum mentibus in beneficio aestumando iudicis notio obversaretur. has formulas neque satis aptas esse ad rem illam scribendam propter ambiguitatem, neque idoneas communem docendi rationem ob diversitatem con post multorum theologorum observationem, non c est demonstrare. Hoc vero certissimum est, totum iustificatione, quam dicunt, locum clarius et ad i strandam illius beneficii conferendi rationem aptius posituros theologos fuisse, si Christi institutionem consilium, quam Apostoli formulas sequi maluiss Quas si quis dicat librorum ecclesiae nostrae symb corum auctoritate receptas esse, hunc rogamus, ut rorum illorum, qui hos libros scripserunt, consilium theologi officio rectius distinguat. Illi enim non cuerunt ad subtilitatem scholae, neque verba ac mulas, e scripturis sacris petitas, ea ἀκριβείᾳ adhil runt, quam sequi oportet interpretem et theologum scholis, sed hoc potissimum egerunt, ut sentent suam contra dissentientes perspicue explicarent. Qu formulis illis usi sunt, eo sensu potius, qui ment ipsorum optime illustraret; veluti verbum ipsum stificationis usurparunt sensu strictiori, quam Pau illud adhibuit. Is enim δικαιοσύνην, et δικαιοῦσθαι tantum de venia peccatorum dixit, quamquam etiam hac pluribus locis usurpavit, sed de universo benef divino, per Christum parto hominibus, oblato per ctrinam et per fidem consequendo. Neque etiam πίσ

is semper dixit de fide speciali, quam dicere solent, neque reconciliationem, expiationem et iustificationem eadem sententia dixit; nam iustificatio, δικαίωσις, est beneficii universi collatio; expiatio et reconciliatio merito Christi contingit, ita ut expiationem reconciliatio sequatur; ἱλασμός enim Christi est, qui a peccatorum miseria nos liberavit, reconciliatio autem, καταλλαγή, non Dei est, sed hominum, qui per expiationem quasi in amicitiam cum Deo reducti sunt, ut ipsi iam desinant sibi timere a Deo, sed desinant etiam ei adversari. Sed haec omnia ipsa librorum sacrorum lectio demonstrat; nos autem ea commemoravimus tantum eo consilio, ne quis formularum illarum auctoritate veterem praecipiendi rationem defendi posse existimaret. Porro de bonis operibus quam praecipiendi rationem olim sequuti sunt, nemo nescit, quam ambigua, quam patens invidiae et obtrectationibus fuerit. Sed eius rei caussa nulla alia fuit, quam quod disciplinam Apostolorum a Domini institutione diversam non satis observaverint. Quodsi enim, utraque diligenter comparata, communem illius loci rationem adsequuti essent, facile meliorem et veriorem praecipiendi modum recepissent; acquievissent enim sine dubio sententia Domini, qui, quamvis ab omni vana superbia et ipse alienus esset, et suos quoque alienos esse vellet (καὶ γὰρ μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, Matth. 5, 3.) tamen verae sanctitatis et virtutis necessitatem nullo pacto imminuit, imo eam vel praeceptis suis vel perfectissimo exemplo demonstravit, adeo ut nulla theologo christiano dubitatio esse possit, quin virtutem, honestatem, probitatem, iustitiam, omnisque καλοῦ ἔργου exercitationem integram, constantem, imo in dies integriorem, castiorem et constantiorem, necessariam existimet ad salutem, Christi merito partam, vere consequendam. Sed quoniam de bonis operibus dicere constitutum illis erat, antiqua nominis in-

vidia effecit, ut multi beneficio Christi satis magno obtrectandi periculum adire maluerint, quam sententia Domini acquiescere. Nam quod puros ab omni scelere se servare, virtutis ac' sanctitatis studio ad felicitatem adspirare, recte sentiendo agendoque perfectiores indies fieri atque ad maiorem summi numinis similitudinem contendere homines possint, id vel maxime inter summa Christi beneficia referendum esse, ne ipsi quidem negaverint τῶν ἔργων obtrectatores et censores virtutis humanae severi, quum viderint Paulum, quo nemo fortius contra τὰ ἔργα τοῦ νόμου pugnavit, neque gravius quisquam τὴν πίστιν commendavit, in ipsa ad Romanos epistola, gravissimarum contra humanam καύχησιν sententiarum plenissima, deo gratias agere (7, 25.) quod beneficio Christi effectum fuerit τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, (8, 2. 3.) ut homines, a pestifera vi peccati liberati, puros et integros se servare, voluntati divinae obtemperare (τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληροῦν) atque futuram perniciem effugere, quin vincere etiam naturalem vitiositatem possint, siquidem spiritus eius, qui Christum a morte resuscitaverit, in Christianis habitare debeat, adeo ut per hunc ipsum spiritum, ipsis inhabitantem, corpora quoque mortua vitam consequi, i. e. a peccati et naturalis lubidinis imperio misero queant liberari (v. 11.). De mutationis salutaris ratione denique, quam parum apta sit et accurata in scholis praeceptio, saepe iam conquesti sunt graviter periti harum rerum arbitri, neque opus est, ut copiosa oratione demonstremus. Nam omnes formulae illae, quibus describere τὴν μετάνοιαν solent, neque aptae sunt ad ἀκρίβειαν, in docendo necessariam; sunt enim maximam partem figuratae et tropicae; neque conveniunt, uti in scholis quidem usurpantur, verae scriptorum sacrorum sententiae et consilio. Praeterea enim, quod verba illa omnia, regenerationis, conversionis, renovationis, poenitentiae, sanctificationis, plane non ita diversa sunt,

uti distinguuntur a theologis, quod multi iam monuerunt, tota descriptio illius loci convenit potius hominibus iam adultis, peccato deditis, certe multis falsis opinionibus et pravae lubidini obnoxiis, cuiusmodi fuerunt hi, quibuscum Apostoli disputarunt (et Dominus ipse eo loco, quem vulgo solent ad communem emendationis necessitatem referre, Ioh. 3, 3. sq.); sed ad rationem universam, qua homines per spiritum sanctum ad virtutis ac sanctitatis studium perducendi, emendandi et beandi sint, describendam plane non idonea esse videtur. Quin hoc quoque loco satius erat, saluberrima Domini ipsius de officiis praecepta tradere et inculcare, quam formulas eas, quas Apostoli apud illos homines adhibuerunt. Sed pluribus in hac re exemplis uti, idem profecto esset, ac solem, ut aiunt, facibus illustrare. Satis enim iam ex his intelligi potest, in constituenda non solum et tradenda universa doctrina christiana, sed etiam in singulis eius locis recte intelligendis et tractandis discrimen disciplinae Christi et Apostolorum observandum esse.

Restat, ut de eius observandi modo in defendenda doctrina divina et in refellendis criminationibus adversariorum exponamus. Erit autem bipartita haec disputatio; primum enim de doctrina divina defendenda in universum dicemus, deinde singulis exemplis utemur, nostrae potissimum aetatis rationem habituri, quia his maxime temporibus illius, de quo hactenus diximus, discriminis observatione opus esse existimamus.

Primum igitur, quicunque alicuius rei caussam susceperunt, hos haec duo ante omnia spectare necesse est, vel quid sit, quod velint defendere, vel qua ratione defendi possit; nam, ut tuta sit defensio, non honesta voluntas nec multarum virium magnum impendium sufficit, sed caussam ipsam perspexisse oportet, quae defendenda est, et rationem, qua felicissime de-

fendatur; utrumque vero, in doctrina divina defendenda, optime, mea quidem opinione, illius discriminis observatio docebit. Nam illud quidem omnes concessuros esse arbitramur, quod totius fere antiquitatis exempla docent; quum doctrina christiana defendenda esset, multos ignorasse, quae qualisve esset illa doctrina, cuius veritas defendi posset, sed saepenumero, nisi opiniones et dogmata hominum pro decretis divinis habuerint, certe in forma disciplinae, in scholas theologicas recepta, neque ad illustranda divinae sapientiae decreta satis commoda, defendenda vanam operam perdidisse. Et fuerunt ad nostra usque tempora haud pauci, qui pro divina doctrina formulas quasdam defenderent, et quum formam quandam doctrinae, humano arbitrio constitutam, omni studio tuerentur, divinam veritatem se defendere crederent. Quemadmodum etiam multi eorum, qui de contemtu fidei christianae conqueruntur et verae religionis raritatem accusant, de formis tantum quibusdam et dogmatibus loquuntur, quae quum pauciores in dies amicos inveniant, ipsius Evangelii ruinam imminere augurantur. Nos autem, quamquam non ita ab omni praecipiendi et disputandi subtilitate alieni sumus, quin accurata et promta eruditione ac philosophiae quoque studio vel maxime opus esse putemus his, qui defendere doctrinam divinam voluerint, inprimis nostra aetate, qua cum eiusmodi saepe adversariis res est, qui vel magna eruditionis laude conspicui sunt, vel multarum hypotheseon artificiosissime compositarum specie mirificam subtilitatem prae se ferre aliis videntur, tamen redeundum tandem ad priscam simplicitatem existimamus neque obliviscendum, non hominum commenta neque mutabiles disciplinae formas defendendas esse, sed doctrinam divinam, ex ipsis fontibus haustam, non autem ex libris humanis expressam, neque humano ingenio exornatam, sed compositam ex mente et consilio serva-

toris divini. Sed hanc ipsam ob caussam, ut intelligatur, quae qualisve sit doctrina divina, omni studio defendenda, discrimen disciplinae Christi et Apostolorum observandum esse putamus. Docet enim non solum hoc discrimen veram rationem et indolem ipsius doctrinae, atque singulorum decretorum divinorum veram sententiam demonstrat, ut supra ostendimus, verum etiam aeterna et communia divinae sapientiae decreta a quacunque eorum forma ita secernit, ut, quicunque hoc discrimen accurate observaverit, nunquam doctrinam ipsam cum disciplina, sive antiquiori, sive recentiori, commixturus sit. Intelliget is enim, disciplinam omni tempore variam ac mutabilem fuisse, et primis temporibus quoque, quibus nondum certis formulis constricta erat doctrina divina; sed illud quoque animadvertet, aliam esse doctrinae, omnibus hominibus divinitus destinatae, rationem, aliam disciplinae quibusdam aptae et commodae, aliam ipsorum decretorum divinorum veram et aeternam sententiam, aliud eorum consilium, qui saluberrimis illis decretis primorum auditorum animos imbuerunt. Quod non ita nos intelligi volumus, quasi eorum sententiam probemus, qui cum humanis legibus commiscent decreta divina, neque praeter ea, quae communia sunt universae, quam illi quidem dicunt, religioni, quidquam vel relinquendum vel defendendum esse existimant. Sciunt enim omnes, divinae sapientiae decreta et instituta, quae non sine magna nominis invidia (uti philosophis nonnullis olim accidit), positiva et arbitraria dici solent, ita sperni a quibusdam, ut, si quis ea defendere velit, hunc non operam solum perdere, sed ipsi adeo rationi repugnare, atque ad antiquam τοῦ γράμματος servitutem homines, dudum emancipandos, pessimo consilio reducere velle criminentur. Sed horum sententiam quamquam neque nos probamus, neque putamus probaturum esse quemquam, qui divinae doctrinae non ex libellis hu-

manis, sed ex ipsis sacris fontibus haustae veram indolem intellexerit, eiusque salubritatem atque aeternam rationem non curiositatis studio, sed ipso usu expertus fuerit, illud tamen certum est, adversus eos, quibus stulta videtur sapientia divina, (1 Cor. 1, 23. sq.) ipsius maxime, de quo exposuimus, discriminis observationem necessariam esse, ut, quae nunquam non defendi feliciter poterit, divinam doctrinam, immutabilem neque unquam perituram, ex vero divini magistri consilio defendamus. Non formulae enim, sive prudenti consilio olim adhibitae fuerint ab his, qui temporum suorum et hominum, quos instituerent, rationem habuerunt, sive hominum postea studiis constitutae, defendendae sunt, sed ipsa decreta divina, ad omnes homines, sive Iudaeos, sive Ethnicos, instituendos, corrigendos, summaque et immortali spe beandos perpetuo saluberrima et efficacissima futura. Sed quum veram eorum rationem discriminis illius observatio docere videatur, alterum etiam in promtu futurum est, qua ratione defendi optime doctrina divina possit ac debeat. Quanquam enim, qui doctrinam Evangelii contra adversarios defenderent, plurimas rationes excogitarunt, quas neque enarrare singulas huius loci est, neque examinare nunc quidem nobis est animus, sed hoc tamen omnes concedent, hanc defendendae doctrinae rationem optimam esse, eam ut puram ab omnibus studiis hominum, et ab rationibus singulis temporum hominumque liberatam, ex divina mente Domini exponamus, quo divinam eius vim, pulchritudinem et maiestatem protinus omnes intelligant, quorum a vero sentiendo et probando non prorsus alienus fuerit animus. Nobis enim, veterum Apologetarum libros diligenter pertractantibus, ingenue fatemur, semper hos omnium optime res suas gessisse visos, qui doctrinae rationem simplicem, quae in Domini ipsius institutione reperitur, tenuissent, atque sine omnibus ἀνθρωπίνης

σοφίας λόγοις et subtilitatis humanae artibus; oratione simplici sed gravi, qualis decet oratorem sacrum, effecissent, ut veram nudamque doctrinam intelligere adversarii potuerint. Ea est enim doctrinae divinae praestantia, melius ut defendi non possit, quam si efficiamus, ut rectius intelligatur. Nam ut maxima adversariorum pars hanc potissimum ob caussam alieni fuisse a doctrina divina videntur, quod eam aut ipsi non recte intelligerent, aut non recte explicarent Theologi, ita etiam vera et genuina doctrinae explicatio optima et tutissima defensio est. Et quamquam, ut modo diximus, eruditione quoque et subtilitate opus est, quia multi ad oppugnandam doctrinam christianam, magnam eruditionis speciem afferre solent, et subtilissimis argutiis, suspicionibus et fallacissima coniectura utuntur, ut homines leves et imperitos facillime tantorum ingeniorum ostentatione decipiant, existimamus tamen, et indignum divinae doctrinae defensore esse, uti artibus similibus, tametsi eas sibi ex antiquioribus quidam indulserint, veluti Tertullianus, Origenes et Hieronymus, imo longe felicius illorum superbiam deprimi posse, si vere et pure exponatur Evangelium, quod, qui recte noverit, verum esse statim intelliget. Non eget enim veritas artibus humanis, sed animum promtum et veri amantem desiderat; si recte intellecta fuerit, ut obtrectatores non habebit, ita neque defensoribus amplius indigebit. Sed, quoniam doctrinae divinae vera ratio intelligi non potest, nisi, quae necessaria fuit tunc, quum primum traderetur, ratio disciplinae distinguatur ab ipsis decretis divinis, quantum ad illius defendendae veram rationem reperiundam illius discriminis observatio valeat, sua quisque sponte animadvertet. Nam Apostolorum quoque disciplina, quamvis prudentissima, tamen illis maxime temporibus et hominibus apta fuit; tradiderunt enim doctrinam sic, uti tunc quidem vel intelligeretur optime vel facillime susciperetur; sed

haec ipsa doctrinae forma, quoniam nostris temporibus non est apta amplius, et a communi sententia decretorum divinorum abducit eos, quibus mores alii aliaeque opiniones fuerint, ad Evangelium omni tempore feliciter defendendum non satis idonea esse videtur. Quare a vera ratione doctrinam divinam defendendi aberrant, qui eam sic defendere volunt, uti olim, aliis temporibus et apud homines alios, vel explicata vel defensa est. Quin optimam rationem illius discriminis observatio docet, dum ad Christi consilium mentem revocat, atque de Apostolorum quoque institutione sic iudicare nos iubet, uti ipsi de se iudicarunt, quippe qui nihil amplius sibi tribuerint, quam quod essent οἰκονόμοι τῶν μυστηρίων Θεοῦ et ὑπηρέται Χριστοῦ. Satius enim profecto fuisset, si, quae nostra aetate defendenda essent, ea ratione proposuissent, quae omnibus hominibus conveniret; ea vero e Domini ipsius institutione, cum disciplina Apostolorum diligenter comparata, cognoscitur. Nam illud quidem facile fuerit ostendere, plurimos eosque gravissimos locos doctrinae divinae tot obtrectatores et adversarios non habituros fuisse, si propositi et defensi fuissent sic, uti vera ipsorum indoles et ratio postulasset, non autem secundum formam eam, quam prudens Apostolorum consilium et hominum illorum ingenia ac mores tunc quidem desiderassent. Sed ne temere hoc dixisse videamur, afferemus exempla quaedam, e quibus intelligatur, quam commoda sit discriminis illius observatio in refellendis dubitationibus et criminationibus adversariorum potissimum his, quae nostris temporibus quam maxime proferuntur. Foret enim longius, omnia ac singula recensere; itaque de nonnullis tantum videbimus.

Ac primum quidem (redeat enim oratio unde egressa est) quas ab initio commemoravimus, criminationes eorum, qui doctrinae Christi et Apostolorum dissensum

urgere solent, qnasi discipnli divino magistro pluribus locis repngnaverint, eius sententiam mntaverint, et nova quoque ex opinionibus vel suis vel aliorum addiderint, eae qnidem facillime, illo discrimine observato, refelli possunt. Scilicet cum doctrina ipsa commiscetur disciplina et modus docendi; qnae si accuratius distinguuntur, protinus evanescit totus obtrectandi locus. Nam quum disciplina Christi et Apostolorum diversa fuerit ob caussas, quas supra exposuimus, necessarias, intelligitnr, aequum interpretem hanc sibi legem debere scribere, ut, si quam diversitatem reperiat, disciplinae formam ab ipsa doctrina accnrate secernat, et rationem docendi Apostolornm de iisdem rebns cum Domini ipsius sententia comparet. Sic enim non rerum et doctrinae, sed verborum et disciplinae discrimen animadvertemus, atqne in doctrina ipsa maximum virorum divinorum consensnm, in dissensu autem snmmam sapientiam reperiemus. Verum hoc est in promtu et multis, qnae supra allata sunt, exemplis posset illustrari, si in sole faces adhibere quidquam interesset. Unum tantnm adhuc videbimns et sua gravitate illnstrissimum, et plurimis nostra aetate potissimum dubitationibus vexatum. De consilio enim et effectis mortis Christi, fuerunt haud pauci, qui multa secus docuisse Apostolos existimarent, quam Domini ipsius sententia tulisset. Sed facile minui potest haec opinio. Apostoli enim de illa re gravissima multa quidem dixerunt, quae Dominus non dixisse reperitur, ob caussas, quas supra exposnimus (pag. 16. sqq.); sed in eo, quod snmmum est, cum Domino plane consentiunt. Dicunt enim et ipsi pluribus locis, Christum mortem oppetiisse eo consilio ac fructu, ut qui fidem ei habituri fuissent, veniam peccatorum et salutem aeternam conseqnerentur; adeo ut hoc primarium fidei Christianae capnt haberi debeat. Sed quemadmodum Dominus aliquo

loco (Ioh. 16, 7. sq.) mortis suae et discessus ad patrem fructus quosdam commemoravit, qui ad discipulos potissimum et tempora illa pertinerent, ita Apostoli quoque gravissimam doctrinam illam varie exposuerunt, variosque mortis Christi fructus commemorarunt, qui, etiamsi saluberrimi fuerint, tamen ad communem illius rei sententiam referri non possunt, veluti de abrogata sacrificiorum necessitate, de sublata κατάρᾳ τοῦ νόμου, de ἀποκαταλλαγῇ τῶν πάντων ἐν Χριστῷ, de expiata ira divina et alia, de quibus Christus nihil dixit, quoniam de morte sua non Iudaeos aut Graecos instituit, sed monuit tantum familiares in universum, aut homines cupidos salutis docuit, quae ad omnes omnium temporum homines pertinerent. In his autem Apostoli prorsus consentiunt, neque dixerunt quidquam, quod Domini sententiam mutaret, aut de morte Christi secus statuere homines cogeret, quam ipse de ea docuisset omnesque sentire asseclas suos voluisset. Illa autem, in quibus discrepant, ad disciplinam tantum et veluti formam referenda sunt, qua tunc quidem tradi illa res et spectari apud Iudaeos et Graecos debebat. Quodsi multi in hoc capite deprehenderunt nonnulla, quae vix conciliari invicem possent, ipsorum id culpa factum est, quod disciplinam Christi et Apostolorum non satis accurate distinxerunt.

Sed aliud est genus opinionum, satis divulgatarum inter eos, qui sunt a doctrina divina alieni, quod vero, illo discrimine observato, facillime arceri posse arbitror. Inter eos enim, qui doctrinam revelatam impugnarent sic, ut quod huic detraxissent, rationis imperio addidisse viderentur, (cuiusmodi constat fuisse multos, rei invidiam honesto titulo minuendi cupidos) fuerunt haud pauci, qui dicerent, quae propria sint doctrinae christianae capita fidei, ea omnia temporanea esse, neque ad religionem pertinere, sed illis tantum hominibus accommodata fuisse. Ex quo genere gravissima

fidei christianae capita afferre solent, veluti de Iesu Christo servatore divinitus dato, de eius morte salutari, de venia peccatorum, de imperio Domini et multa alia, quae, quum negari non possit, esse Evangelio propria, dicuntur tamen a quibusdam ad illa tantum tempora pertinuisse, nostrorum autem hominum nihil aut parum interesse. Doctrinam enim, quam Christus et Apostoli tradidissent, manifesto accommodatam esse illis hominibus, qui, inertes tunc quidem multisque falsissimis opinionibus occupati, doctrinam alia ratione et veluti forma traditam non fuissent suscepturi. Et Christum quidem hoc egisse, ut futuris seculis ex illo quasi semine aliquando purior doctrina nasceretur, postquam e superstitione et erroribus emersisset tandem ratio humana, sed hoc tamen eum dedidisse humanae imbecillitati, ut rebus quibusdam et opinionibus, quasi imaginibus usus fuerit, quibus vera rerum species (liceat sic dicere cum Cicerone quam ἰδέαν Graeci dicunt) vel exprimeretur vel conservaretur, donec illis non amplius opus esset futurum; Apostolos autem aut eadem prudentia usos esse, aut, veram Domini sententiam non adsequutos, res illas et opiniones pro religionis decretis et ipsos habuisse et tradidisse aliis. Quare, quae propria sint doctrinae Christianae, ea omnia ad formam tantum pertinere, neque ad doctrinam ipsam nunc quidem diutius referenda esse. Vident omnes, arbitror, quam gravis sit et fere capitalis haec opinio: ea enim semel admissa, nulla mora est, quin, abiectis decretis divinis omnibus, doctrinam Christianam cum universali, quam illi quidem dicunt, religione commutemus. Sed illud quoque in promtu est, hanc opinionem, quemadmodum oriatur ex eo, quod forma doctrinae cum doctrina ipsa commiscetur, ita etiam, si discrimen disciplinae Christi et Apostolorum observetur, facillime posse refutari. Oritur enim haec opinio ex eo maxime, quod disciplinam a rebus ipsis

qui non satis distinguunt, his occurrere videntur multa, non communibus naturae humanae rationibus apta et necessaria, sed certis tantum temporibus et hominibus accommodata; quae ubi cum aeternis rationis decretis comparantur, neque ad nostra tempora amplius pertinere neque ad ipsam referenda doctrinam videntur, si quidem haec semper et apud omnes homines valere debeat. Quae res multos eosque subtiles homines non ita pridem commovit, ut formulas verborum et quasi formas rerum cum rationis decretis compararent, imo nova decreta rationis ederent, quibus illae formulae convenirent, atque sic doctrinam Christianam honore, nescio quanto, se affecisse existimarent. Alii autem eo progressi sunt, ut illa fere omnia, quae ipsis displicerent, doctrinae christianae capita propria, ex illorum temporum opinionibus repetere, nonnulli etiam e somniis et commentis Talmudicis explicare vellent, ne quid peculiare et proprium divinae institutioni relinqueretur. Quod quo iure illi fecerint, non huius loci est exponere; sed hoc tamen statim omnes intelligere arbitror, si discrimen disciplinae Christi et Apostolorum observetur, locum habere non posse illam opinionem. Sic enim, demtis iis, quae ad disciplinam tantum pertinuerunt, vera ipsorum decretorum divinorum indoles et aeterna ratio adparebit, eorumque salubritatem ac necessitatem intelligent omnes, qui non e somniis suis et immodicis opinionibus, sed usu et experientia de naturae humanae indole et necessitatibus iudicare consueverunt. Illa enim omnia decreta religionis Christianae, quamquam olim tradi debuerunt sic, uti ferret ingenium illorum hominum, habent tamen sententiam ad omnes homines instituendos, emendandos, erigendos et sanctissima spe beandos saluberrimam et efficacissimam, ideoque ad omnes pertinent, quibus contigit et contingere potest illud beneficium divinum; potest autem πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν. Ac possemus quidem, si hae

disputationis angustiae paterentur, singulis exemplis percurrendis efficere, ut intelligeretur, capita illa, quae propria sunt Evangelio, si e summa Domini sententia spectentur, temporanea haberi non posse, modo forma et modus docendi a rebus ipsis distinguatur. Nam ea quoque, quae Apostoli nova addiderunt, quoniam, ut statim ab initio dictum est, doctrinam divinam uberius tradere ex mandato Domini debuerunt, quamquam tradita sunt forma ea, quae illis temporibus aptissima esset, tamen cum Domini sententia optime conspirant, et ad doctrinae divinae naturam (οὐσίαν) necessario pertinent. Aeterna enim decreta sunt, sed modus tantum ea tradendi temporaneus fuit; quare illorum opinionem, qui ea omnia ad formam tantum referri iubent, optime arcendam esse putamus, si, discrimine disciplinae diligenter observato, communem illorum et perpetuam sententiam proponamus, doceamusque, illa eiusmodi esse, quae, nisi quis meliorem rationem subterfugere velit, tamquam immutabilia agnoscere debeat et perpetuo valitura. Quodsi quis vel sic putet formam a nobis cum rebus ipsis commisceri, eum meminisse oportet, religionis et rerum divinarum eam rationem esse, ut forma quadam, ad imbecillitatem mentis nostrae accommodata et imaginibus carere non possint, donec nos eo pervenerimus, ut, quae nunc obscurius praesentimus animo, ea aliquando πρόσωπον πρὸς πρόσωπον conspiciamus.

Sunt denique multi, non ab ipsa quidem doctrina divina, sed a formulis quibusdam et rerum formis alieni, quos quoniam vulgaris ratio tractandi decreta divina offendit, adversus ipsam doctrinam crimina proferunt, et quum antiquae formae illae non amplius placeant, res ipsas, ut fit, saluberrimas contemtui habere solent. Et quemadmodum universa doctrina multos, ut supra dictum est, adversarios habuit, quoniam non recte ab omnibus intelligeretur, sic etiam multis criminatio-

nibus et ludibrio hominum obnoxia sunt haud pauca fidei christianae capita propterea, quod externa eorum forma et ratio tractandi nostris temporibus non satis apta est. Saepe enim vel praestantissima spernuntur ab imperitis, quum externa species non satis grata est. Jam illud quidem ingenue profitemur, nos alieniores esse ab eorum studio, qui imperitorum hominum taedium vincere cupiunt sic, ut ad levitatem et male delicatam vanitatem popularium forment doctrinae divinae capita, atque ut ineptis indoctisve, nova et splendida verba aperto ore captantibus, placeant, docendi genere ab Evangelii ratione et indole prorsus alieno utuntur. Nam ut decet minime hominem gravem eiusmodi ambitiosa ostentatio, ita etiam operam perdunt, imo rem ipsam indies pessundant magis magisque, qui sic putant eam commendari posse his, qui torpent ad omnem sensum religionis et rerum divinarum, quippe inhiantes tantum rebus terrenis, τὰ τῆς σαρκὸς φρονοῦντες, ἀλλ' οὐ τὰ τοῦ πνεύματος. Vana sunt enim haec omnia, si integer, immortalium appetens bonorum et ad invisibilia adspirans animus desit; aut quae spes reliqua est, si ad cupiditates hominum deflectatur divina doctrina et Lesbia, ut Graeci dicunt, nobis fiat regula? Imo hoc unum videndum est, ut cum Domini doctrina et Apostolorum vera sententia institutio nostra congruat, ut mentem et vitam Servatoris referat, ut sine omni ματαιολογίᾳ divinae sapientiae decretis animos imbuat. Sed quoniam id ipsum docet discrimen disciplinae Christi et Apostolorum, ut supra dictum est, facile intelligitur, eiusmodi offensiones facilius tolli, atque ipsa doctrinae divinae capita felicius defendi non posse, quam si tractentur et explicentur ea ratione, quam discrimen illud ostenderit. Sic enim, non dubitamus, quin nullus amplius relinquatur obtrectandi locus, atque gravissima capita fidei tot vel imperitorum vel subtilium hominum dubitationibus non sint obnoxia futura. Quas

qui formularum auctoritate opprimere magis tentarunt, quam certis Scripturae sacrae testimoniis refutare, hi idem plane egerunt, quod facere solent hi, a quorum partibus esse noluerunt, et dum defendere, quae amplius defendi non possent, voluerunt cupidius, ipsam divinam doctrinam subtilium virorum suspicioni et levium hominum arbitrio exposuerunt. Ac profecto idem saepe accidit, quod legimus factum esse olim a physicis et astronomis, qui, ut falsas rationes suas defenderent, innumeris coniecturae artibus usi sunt, quibus aeterna naturae lex ita obscurata est, ut dudum ante Copernicum meminerimus Alphonsum, Castiliae regem, iactare, se, si Deus ipsum consuluisset, melioris rationis ei auctorem futurum fuisse. Rident vero omnes illius hominis ineptam superbiam; sed illud non omnes satis intelligunt, verum, si falsa forma et specie vitiatum sit, ineptissimorum hominum crimina incurrere, nedum contra doctorum et subtilium hominum dubitationes defendi posse. Scilicet eo iam res devenit, ut multis, qui non invident bonis humanis, universa disciplina Christiana ingentem aut fecisse ruinam, aut facturа videatur. Quod ne fiat, non externa antiquae disciplinae specie effici posse videtur, ea enim et olim varia fuit, neque unquam perpetua est futura, sed doctrina divina ad verum Christi consilium revocanda et exprimenda elaborandum est.

Quid consensus et differentiae inveniatur apud auctores N. T. in persona Christi τοῦ σωτῆρος adumbranda.

Scripsit

Henr. Planck, Theol. D. et Prof. O. Gotting. *).

Quapropter huius argumenti interpretationem aggressi sumus, nemo profecto quaeret, qui e vero religionis biblicae studio intellexit, sacros scriptores in optimo consensu de summis novae revelationis capitibus, nihilominus in singulis sententiis, vel appropiationibus ad vitam, saepius pro propria mente atque explicatione, quae cuivis placuit, in varietate reperiri. Haud uno tantum, sed frequentissimo modo haec varietas sese exhibet, eiusque formam praecipuam detegimus in nexu proprio doctrinae, huiusque veritatum coniunctione. Quo in loco primum et gravissimum nominare licet, Christi, filii Dei, ad homines delegationem, cuius ultimam caussam cuncti uno sensu ad amorem divinum in providentia pro genere humano ab initio clarum, referunt. Atque huius amoris divini praecipuum negotium in hoc actu haud mirabimur duplice interpretatione enarrari, una, quae Paulo, altera, quae Ioanni

*) Edita est haec commentatio ab auctore doctissimo ad indicenda Sacra Paschal. celebrata a. 1823.

debeatur. Prior beneficium summi numinis paternum τῇ δικαιοσύνῃ tribuit, qua Iesum filium mediatoris mortem pro peccatis hominum ingredi haud vetuit, et ut ipsius iustitiae satisfaceret, et ut hominibus denuo sanctis viam deperditam aperiret, qua iterum ad ipsius veram venerationem redire possent. Est quasi comparandum desiderio, a natura divina haud alieno, quo et sui ipsius, creatoris, et eorum, qui creati sunt, necessitatibus curari videtur. In Pauli igitur doctrina summi numinis amor, quo filium mediatoris nomini et officio adscripsit, duplice desiderio tenetur, et propriae iustitiae, et hominum salutis curam eloquente. Alter Ioannes e contrario eundem amorem in summo numine pro eodem negotio detegit, sed unius tantum personae, scilicet hominum, curam atque commoda suscepit: quatenus propriae naturae desiderium magnus Deus explevisset, id Ioanni prorsus ignotum est.

Sed praeter nexum doctrinarum, quo Scriptores Sacri inter se differunt, aliud gravius atque dignius restat, e quo eadem personae atque iudicii varietas, eadem diversae mentis atque ingenii indoles in lucem vocatur. Huc redeunt variae expositiones atque interpretationes, quarum a formatione multis in articulis religionisque veritatibus Scriptores haud abstinuerunt. Clarissimum exemplum exhibent idem Ioannes atque auctor Epistolae ad Hebraeos in Christi persona, qua Messiae, sanctissime adumbranda. Utrique antiquiores Iudaeorum doctrinas secuti sunt, et nihilominus diversa in imagine sibi placent, cuius ad probandam Messianae dignitatis veritatem communem usum fecerant, Ioannes scilicet, pro ingenio suo, in persona Christi inde ab initio vim internam atque ἐνέργειαν significavit, qua sola fieri potuit, quod factum est. Hic est ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, cuius communionem cum natura humana amittere noluit, sed hac sola laetatus est, ad eamque omnem dignitatem divinam reduxit. Epistolam contra

ad Hebraeos qui composuit, eum in consensu continuo personae atque historiae Christi cum antiquiore revelatione, in libris et traditione conservata, veritatem Messiae sibi probasse videmus. Utrique ergo via prorsus diversa ingrediuntur: unus summam virtutem internam, Sancti Spiritus divini possessionem, Messiae egregio fundamentum dedit; alter contra in externa historia, eiusque consensu cum antiquiore revelatione sese retinuit, eaque re praecipue laetatus est.

Iam aliud exemplum, priori huic haud dissimile, sumus aggressuri: eadem unitate, quoad fundamentum, eodem discrimine, quoad expositionem, ulterioremque analysin. Haec est doctrina de summo negotio, a providentia Christo mandato, quatenus ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου audiebatur: gravissimum haud dubie, quod revelationi divinae, inter homines exhibendae, inesse potest. Quem si accuratius cognoscere in animo habes, quonam argumento per se, quanam ratione ad alias doctrinas fuisset, ad Christi ipsius testimonia atque effata videas necesse est. Haec non desunt: pluries enim τὸ σώζειν τὸν κόσμον summum officium sibi traditum nominavit, huiusque professionis testem plenissimum Ioannem in Evangelio audimus. Quae huc pertinent, sequentia sunt: primo, quorum sub fine orationis contra Pharisaeos, eorumque praecepta de Sabbathi cultu Christus mentionem facit (5, 34.): Ἐγὼ δὲ οὐ παρὰ ἀνθρώπου τὴν μαρτυρίαν λαμβάνω· ἀλλὰ ταῦτα λέγω, ἵνα ὑμεῖς σωθῆτε. Ac deinde, quae sine eiusmodi praeparatione audiuntur (12, 47.): Καὶ ἐάν τις μου ἀκούσῃ τῶν ῥημάτων, καὶ μὴ πιστεύσῃ, ἐγὼ οὐ κρίνω αὐτόν. οὐ γὰρ ἦλθον, ἵνα κρίνω τὸν κόσμον, ἀλλ' ἵνα σώσω τὸν κόσμον. Quod σώζειν quonam sensu ac quanam significatione intelligi debeat, idem Ioannes ex ore Christi exhibuit (10, 10.): Ἐγὼ ἦλθον, ἵνα ζωὴν ἔχωσι, καὶ περισσὸν ἔχωσι. — Ἡ ζωὴ hoc in loco per ellipsin auditur pro ἡ ζωὴ αἰώνιος, quam ipse per Dei patris voluntatem,

ac praemium, piis mentibus addictum, interpretatur verbis, quae Ioannes tradidit (6, 38. sqq.): *καταβέβηκα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, οὐχ ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με. τοῦτο δέ ἐστι τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, ἵνα πᾶν ὃ δέδωκέ μοι, μὴ ἀπολέσω ἐξ αὐτοῦ, ἀλλὰ ἀναστήσω αὐτὸ ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. τοῦτο γάρ ἐστι τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, ἵνα πᾶς ὁ θεωρῶν τὸν υἱὸν, καὶ πιστεύων εἰς αὐτὸν, ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον.* Haud minus clarum, sed apertum est, quanam sub lege haec *σωτηρία* a summo Deo homini infirmo inducta sit. Est scilicet *ἡ πίστις, τὸ πιστεύειν*, et quis eius sensus, quaenam eius argumenta, de his simile testimonium Christi apud eundem Ioannem lucem praebet (12, 48. sq.): *Ὁ ἀθετῶν ἐμὲ, καὶ μὴ λαμβάνων τὰ ῥήματά μου, ἔχει τὸν κρίνοντα αὐτόν· ὁ λόγος ὃν ἐλάλησα, ἐκεῖνος κρινεῖ αὐτὸν ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. Ὅτι ἐγὼ ἐξ ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλάλησα· ἀλλ' ὁ πέμψας με πατὴρ, αὐτός μοι ἐντολὴν ἔδωκε, τί εἴπω καὶ τί λαλήσω. Καὶ οἶδα, ὅτι ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ ζωὴ αἰώνιός ἐστι.* In his audimus Servatoris professionem sanctam, quid doceat, ac docendo homines beatos reddat, id a patre summo esse praeparatum; viam ad salutem exhibet doctrina vera et unica, ideoque fide, *τῇ πίστει εἰς τὴν ἀλήθειαν* carere non potest. Ipse, qua *διδάσκαλος*, et *σωτήρ*, et *σωτηρίας* distributor auditur, ipsaque *ἡ σωτηρία* progreditur ex *τῇ ἐντολῇ θεοῦ*, quae in humanis mentibus sedem habet. Duo sunt, quae hio nobis occurrunt. Unum veteri dogmaticae oppositum apparet: haec, ut constat, Christi negotium, qua Salvatoris, eiusque *σωτηρίας* in expiatione hominum, per mortem eius peracta, reperit. Christus, qua *σωτὴρ τοῦ κόσμου* propter peccata mortalium mortem perpessus est, id, quod e Ioannis testimonio haud cum Christi doctrina convenit. Hic enim, morte nondum praesente, divinis effatis iamdum satisfecisse sibi persuasum habet (17, 4.): *ἐγώ σε ἐδόξασα ἐπὶ τῆς γῆς· τὸ ἔργον ἐτελείωσα, ὃ δέδωκάς μοι,*

ἵνα ποιήσω. Hoc est ultimum solatium, quod Apostoli ex ore Christi exceperunt, quodque seriore tempore, post mortem ac resurrectionem eius, haud abstinuerunt, quin ad summi mediatoris primum negotium, divinamque voluntatem referrent, ac humanum genus vere expiatum aestimarent.

Alterum, quod omittere haud licet, ad doctrinam Christi eiusque argumentum pertinet. Summum doctorem tantum de via ac conditione, quae mortalibus cognoscitur, haud de vi ac natura huius σωτηρίας vel ζωῆς αἰωνίου elocutum fuisse videmus. Inde summa differentia inter Christi et Apostolorum doctrinam enata est. Ipse scilicet haud dubitat, quin quod super sensus eorumque cognitionem elatum est, nullo modo ab humana mente atque intelligentia percipi queat, ut potius vitae et existentiae veritatem in fide habere, haud eius naturam atque vires intelligere possit humana mens. Nec in hoc articulo solo, sed in omnibus, quae de externis rebus, sensus egredientibus, docuit, hanc abstinentiam legem sibi praescripsit. Nullum exemplum reperitur, in quo eorum aliquid humanae rationi atque menti pro interna sua natura atque historia aperiretur: perpetuo vel antiquiores veritates religionis Iudaeorum in medium producuntur, iisque ad partem interpretatio nobilior adiungitur, vel sola est fides, quae exposcitur, in veritatem altiorem, ut vere sit, haud quomodo et quanam natura sit. Quod prius clarissime cuncta Christi effata de summo iudicio, idque praeeunte mortuorum resurrectione testantur, quarum doctrinarum fontem atque genesin tantum in Iudaeorum theologia detegere licet, quaeque inprimis ad symbola quaedam significationis ethicae revocantur. Posterius e contrario fidei desiderium in argumenta altiora, ut vere sint, haud quomodo sint, optime doctrina quadam illustratur, qua fundamentum totius revelationis Christianae continetur. Id est Christi cum Deo altior coniunctio, quam

saepius professus est, ac perpetuo tanquam factum significavit, cui fides haud deneganda, interna vero natura silentio tantum omittenda sit. Quod silentium, a Christo observatum, omnino reprehendi nequit: nam solam humanae intelligentiae naturam propriam atque indolem respici oportet, quae supra sensus, eorumque fines haud egrediatur. Cui bono ab eo interpretatio dari potuisset, cuius argumentum a mente humana haud attingitur?

Unum est, quod a Christo non neglectum videmus, via scilicet atque lex, quibus diligenter observatis, certissima spes in σωτηρίαν aperitur. Τῆς πίστεως nomine indicitur, τὸ πιστεύειν εἰς τὸν χριστὸν vocatur, quae notio non tantum religionis veritatem atque doctrinam, verum etiam legis totius, omniumque praeceptorum obsequium plenissimum exprimit. Idem est, quod Apostoli cuncti, nullo excepto, statuerunt, ut τῆς σωτηρίας fundamentum ad fidem referrent, eamque ipsam haud remotam videre vellent.

Sed quaenam ratio inter τὴν σωτηρίαν et τὴν πίστιν in Christi religione auditur? quanam natura atque indole praedita apparet? Ipse nihil, quantum nobis constat, de hoc argumento tradidit, ideoque nil aliud nobis superest, quam ut ad veritatem eius, aliaque praecepta indubitata illud definiamus, quod solum ab eo probari potuerit. Hic iam praecipue quaerendum erit, num haec ratio interna sit, ita, ut σωτηρία a fide haud removenda, sed naturali quodam nexu cum ea coniuncta cognosci debeat; an externa, ab humana agendi consuetudine haud dependens, sed e sola voluntate summi numinis egrediens.

Prius illud plurimi theologi nostro tempore probarunt, τὴν ζωὴν αἰώνιον interpretantes per internam laetitiam et salutem ethicam, quae fidem integram et obsequium perpetuum in observanda lege divina sequatur. Atqui hoc nobis non displicet; tertium tantum,

nostra opinione, deesse haud licet, idque est interna mentis quies, quae veritatem in cognoscendo, et virtutem in agendo comitatur. Hunc eius sensum Christum in mente habuisse, cuncta indicunt eius testimonia, in quibus τῆς σωτηρίας, vel τῆς ζωῆς αἰωνίου, tanquam praesentis status, vel temporis memoria datur. Haud e vita futura initium eius indicitur: in quibus potius fides sincera sese exhibet, iis τῆς σωτηρίας experientia haud diu post subsecutura promittitur. Testes sunt praecipue, quae Ioannes Christi effata hoc de argumento tradidit (5, 24.): Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν· ὅτι ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων, καὶ πιστεύων τῷ πέμψαντί με, ἔχει ζωὴν αἰώνιον, καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, ἀλλὰ μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν. Hic idem est, cuius in antecedentibus mentio facta fuit, qui scilicet Christi institutionem cum studio audiverit, et legationem eius a summo Deo indubitatam professus sit. De eo dicitur, nulli condemnationi esse expositum, a morte potius ad vitam viam sibi apertam videre. Τὴν ζωὴν ac τὸν θάνατον omnes hoc in loco de interno mentis statu, intelligentia scilicet et defectu eius, interpretabuntur, ac de actione subsequente, quae vel cum Deo, vel contra Deum in agendo sese exhibeat oportet. De θανάτῳ haec interpretatio supra omne dubium elata. Externum nihil ei attribuere licet: tantum ad internam mentem, indeque sequens obsequium in agendo referendus erit, et exinde verus τῆς ζωῆς sensus egreditur. Ex vi oppositi internum aliquid eius initium faciat oportet: ac hoc est, ut omnibus clarum, τὸ ἀκούειν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, quatenus non solum ad κλῆσιν, quae Deo attinet, verum etiam ad propriam voluntatem, quae hominis est, hoc reducitur. Quia consensus inter legem divinam ac propriam voluntatem exorietur, is optime τὴν ζωὴν significabit, ac cum ea τὴν σωτηρίαν ἀληθινήν, qualis sola a Christo intellecta esse potuerit. Neque eam pro interno homine

aliam interpretabimur, etsi externo homini in vita terrestri alia datur, ἡ βασιλεία scilicet τοῦ ϑεοῦ, cuius civis sit, cuiusque adventum exspectet. Haec sunt Christi effata de interni hominis imagine, indeque progrediente σωτηρίᾳ, quam ultimam e sui temporis religione mutuatus est, eique legem praescripsit, qua observata sola praemium distribuetur.

Transeamus iam ad Apostolos. Idem de Christo tradiderunt: ipsum τὸν σωτῆρα nominarunt; quod ei Deo iubente exsequendum fuisset, τὸ σώζειν, ac quod fidem habentibus promiserit, τὴν σωτηρίαν. Sed aliud quaerendum, num, ut Christus, huius σωτηρίας mentionem simplicem fecerint, naturam eius indolemque externam silentio omittentes, an auctiorem eius ac copiosiorem descriptionem tradiderint, idque amiserint, cuius ipse e veterum patrum religione usum fecerat. Hoc ultimum omnino factum esse videmus. Nam quod a Christo haud sine sapienti silentio omissum fuit, id ut supplerent studuerunt, ac id quidem haud uno modo, haud una ratione, iis adaequa, quae a Christo hoc de argumento sub mysterii forma proposita fuerunt. Proprium potius symbolum e proprio thesauro addidisse reperiuntur. Duplex fuit ὁ σωτήρ, cuius personam in Christo sunt venerati, duplex ἡ σωτηρία, quam ei attribuerunt, praesenti scilicet tempore ac futuro, vel interna et externa. Ultimam hanc, ut cum èa initium faciamus, omnes unam eandemque profitentur, communem nimirum futuri regni possessionem, cuius aditus, adveniente Christo, nemini clausus cogitari possit, qui fidem ei probasset. Nota sunt, quae cum Christi reditu exspectabantur. Praesenti aetate nondum peracta Christum fore rediturum, iudicium habiturum super fideles eosque, qui haud constanti fidei sese tradiderint, regnum ipsum iis aperturum, quibus maiestatis ac potentiae divinae fructum superaddere licuerit. Huius spei imaginem amplissimam ab auctore Apoca-

lypseos descriptam reperimus: sed etiam in Epistolis Apostoli pluries eam elocuti sunt; ac quidem semper una exstat, eadem sunt elementa, e quibus regni adumbratio composita elucet. Qui consensus unde oriundus, nemini perscrutatione dignum apparebit: nam haec una omnium interpretatio de futura σωτηρίᾳ ad unum eundemque fontem redire iubet, quem omnes ante oculos habebant, id est, Messiae personam atque nomen, quale ab Iudaeis exspectabatur. Restat alterum potius, quod ut inquiratur, dignius apparet. Id est, ut cum Christo fuissent Apostoli, ex eius institutione haud dubie sensum altiorem ethicum τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ experti essent, qualis ipsi significabatur: sed nihilominus τὴν βασιλείαν perpetuo ab omnibus sensu proprio intellectam, aliisque traditam videmus. Quidnam iam caussae fuit, ut sensum ethicum regni Messiani haud solum aestimassent, in eoque solo Christi σωτηρίαν, quam, Deo iubente, hominibus dono daro in mente habuit, veram atque unicam quaesiissent, duplicem de eo rationem cogitare licet. Una est, quae ad intimum nexum τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ cum externa persona τοῦ χριστοῦ, qualis in vita videbatur, attinet. Ethicum sensum, cuius veritatem Christus Apostolis saepius commendavit, ii haud contemnebant, sed ideo proprium sensum amittere haud voluerunt, quem vel ipse iis non interdixit, nec interdicere potuit, eo quod, ut constat, communis sodalium exspectatio de externo Messia tum temporis audiebatur, cui divina revelatio fundamento dabatur. Inde apparet, Christum quasi coactum fuisse, hanc sui temporis communem exspectationem ut eligeret, ad revelationem novam, quam ipse docuit, quaeque argomento alia tota audiebatur, tamen quoad formam, haud minus divinam atque coelestis originis, sodalibus in manus tradendam. Quae scilicet est divina veritas, mentique humanae ita proposita, ut cum interna libertate bene intellecta, excipi possit,

haud alienae possessionis instar conscientiae superiniiciatur, ea his praesentibus opinionibus sese inducere, earumque formam propriamque rationem respicere debuit. Nam qui hominibus intelligendi modus datus est, is sua lege continuatae cognitionis crescit et incrementa capit, ac si qua nova summa ad thesaurum hactenus collectum superadditur, locumque firmum reperiunda est, ipsa haec ne pristinis opinionibus contradicat oportet. Hoc igitur neutiquam a veritate alienum, ut Christus sapienti silentio hanc suorum exspectationem haud reprobasset, sed potius post abitum suum iis inscius quasi occasionem dedisset, antiquiorem Messiae imaginem ad ipsius tempus futurum reducendi. Neque minus alterum adest, cur ipse externam Messiae personam, ut in suorum religione exspectabatur, haud aperta via a se removere ausus est. Haec est ethica eius interpretatio, cuius usus ab initio ei probatus fuit, ac quam perpetuo elocutus est. Quam ut firmaret et commendaret, externam Messiae personam e medio tollere haud licuit: nam summum religionis fragmentum suo tempore apud Iudaeos hoc fuit: ac si iam externam personam denegasset, adversarii eius profecto prius eum in captivitatem Romani Imperatoris abduxissent. Certe haud diu temporis iam morati sunt, ut eum damnatum in manus gubernatoris ethnici exhiberent, qui etiam idem iudicium de eo dixit. Atqui discipuli eius et Apostoli, post eius resurrectionem et abitum e terra, haud cessarunt, terrestrem eius παρουσίαν praesenti adhuc aevo exspectare, ut e testimoniis eorum de hoc reditu Messiae elucet: idque pariter argumento est, ne Christus ipse, praeter silentium, aliud quid de externa Messiae persona atque nomine docuerit. Quod enim si fuisset, ipsi per sequens tempus haud eius παρουσίαν exspectare potuissent, sed tota mente sensum ethicum imaginis amplexi essent. Iam vero omnes uno e fonte fundamentum huius doctrinae cognoverunt: haec erant

prophetarum oracula atque effata, quae ad sensum ethicum a Christo electa, perpetuo ad eiusmodi sensum explicari debuissent. Quae si sensu proprio, ut ab Apostolis intellecta sunt, a Christo fuissent proposita, ipse quoque sensum ethicum haud potuisset adhibere. In eo habes caussam, cur a Christo nil de externa Messiae persona memoratum reperimus, ac nihilominus de hoc argumento omnia eum desumsisse videmus, quorum ad inducendam veritatem usum fecit. Duplici modo ipse hac imagine usus est. Ex parte pristinae Iudaeorum opiniones, atque Messiae elementa ad se adhibuit, ut in futura mortuorum resurrectione ac futuro iudicio, quod ipse pluries elocutus est: ex parte novum sensum iis addidit haud minus moralem, cuius recens creator fuit, pro simili imaginum continuatione. Sic haud dubie effata de reditu, de παρουσίᾳ interpretanda, quam ipse ante praesentis temporis aevum adhuc locum habituram significavit. Ante Christum de duplici adventu Messiae nulla spes, nulla cogitatio adfuit: ipse demum prima initia iecit, prima elementa condidit, ut hanc fidem firmaret, hanc veritatem stabiliret. Post abitum eius e medio suorum, hoc quoque unicum solatium restare potuit, propterea quod ipsi, qua Iudaei, nil sine Messiae nomine ac dignitate fieri posse arbitrabantur, ideoque eius effatis de reditu futuro plenam fidem praebebant. Haud minus, opinor, iam clarum est, quidnam necessitatis Christo fuisset, ut de altero Messiae adventu, de παρουσίᾳ locutus esset. Eam omittere non licuit, siquidem sub initio Messiae imaginem ac personam ingressus fuit, ideoque ipsum ad finem ducere oportuit, cuius initia tentaverat. Quae sub hoc nomine cogitabantur, sensu symbolico interpretatus est, hac via suis purius religionis lumen ante oculos ferre sperabundus, et profecto persuasus, haud diuturnum temporis intervallum adhuc restare, ut Messianam revelationem e vero sensu atque

vero argumento recte intelligerent, qui, ut ipse, religionem divinam venerarentur. Huius enim virtutes summae atque praecepta maxima in Messiae persona ad splendidissimam quasi vitam revocantur, ac ita quidem, ut duplice vi atque auctoritate quamcunque religiosam mentem obtineant, quae sunt summa unici veri Dei cognitio, eiusque voluntatis, ea scilicet ratione, qua hactenus nondum humanae cognitioni adducta fuerat, de summa eius gratia, de amore paterno, quo creator universi, perpetuusque eius gubernator apparet, de vera vitae humanae significatione, de plenissima officiorum humanae naturae enumeratione, de reliquis omnibus denique, quae religiosam mentem explere solent. Hanc ut Christus sub Messiae imagine atque persona professus sit, mirari haud licet, dummodo sui temporis religionem atque fidem a Messia oriundam videmus, eo consilio, ut qui revelationem divinam inter homines aperire vellet, haud destitutum sese reperiret iis adminiculis, quibus coram humanae persuasioni succurrere possit. Quapropter Christus ab initio sensu symbolico Messiae imaginem interpretatus est, et ad semetipsum transtulit, ut, quos doceret, hac via facillime ad veram religionem pervenirent, et ad eam, quae iam priori tempore a Messia futuro exspectassent, et ad novam, quam ipse recens Dei donum iis attulerit. Iam quae de παρουσίᾳ Messiae, eiusque externo altero adventu dixit, pari sensu symbolico, ut prioris religionis doctrinam, intellexit. Quemadmodum haec futurum Messiae aevum haud sine splendido exitu atque egregia victoria super inimicos ante oculos habuit, ita ipse similem rei suae atque sortis exitum tacere non potuit. Et hoc factum est cum eadem sapientia, qua reliquas partes imaginis sanctae in se adhibuisset. Quibus enim, ut imaginis sanctissimae continuationem sequeretur, ac ad finem legitimum transduceret, usus est, ea omnia sensu symbolico altioris veritatis thesauros fecit, sum-

masque sacrae revelationis doctrinas in iis recondidit. Miseriae externae conditio, qua superinductus, mors, quae insecuta, resurrectio, quam expertus est, clarissimum typum exhibent eorum, quae religiosae menti ut desint haud licet. Inde clare cognoscitur summa virtutis humanae operatio in calamitatibus constanter ferendis, vitae humanae vera indoles in certamine perpetuo cum fide obtinendo, testimonium maxime firmum pro persuasione de altiore pretio ac significatione futuri temporis prae praesente, de aeterna divina ad omnes vocatione, et praeterita et futura, certissima denique spes, quae nequaquam neganda, ne religiosae menti summa bona, summumque praemium umquam deesse queant. Quae omnia Christum et per ultimam vitae experientiam, et per promissiones de παρουσίᾳ futura significasse reperimus, eodem sensu symbolico, quo Messiae nomine atque historia ab initio pro veritate inducenda usus fuerat. Hoc initium continuam eiusdem imaginis adhibitionem iussit, necessariamque ei legem praescripsit, ut hac ratione splendidum rei suae exitum, sanctissimamque eius dignitatem ac pretium significaret. Hoc ut male intelligerent, ac proprio sensu exspectarent, ei nullum timorem dedit: nam summum in religione divina hominis officium statuit, terrestria cuncta pro coelestibus bonis relinquendi, aliudque a suis nunquam postulabatur, si propriam Messiae exspectationem haud ad eventum felicem pervenire viderent.

Et sic revera inter Apostolos factum est, quos scilicet sensum symbolicum Messiae integrum haud intellexisse, ex eorum scriptis elucet, quae solam externam Messiae σωτηρίαν innuunt, eiusque adventum certissimum exspectant. Hoc ut fecissent, haud mirandum: qua Iudaeis, iis adscribendum: nec Christus ipse hoc ne praevidisset, indicandus. Sed hoc ultimum nihilominus summam gratiam summamque caritatem

optimi doctoris eloquitur. Pro praesenti tempore eorum omnium communem in Messiam fidem usque ad finem sine impugnatione reliquit, pro futuro iis, insciis etsi, spem aperuit, fore, ut, Messiae reditum si amitterent, summum tamen sacrificium Deo cum purissimo amore proponere possent.

Iam alterum sequitur, quid Apostoli de interna vel praesenti σωτηρίᾳ Christi docuerint, quam, qua donum, sub nomine Dei a Christo, hominibus propositum venerati sunt. Nemo profecto est, cui hoc de argumento unitas et consensus in eorum doctrinis probabilis videatur. Plenum enim et abundantem commodorum numerum reperimus, quae Christus et per institutionem, et per vitam suis adduxerat, quorumque interpretationem unusquisque haud dubie ausus fuerat. Sunt vero tantum tres, quorum testimonia nobis restant, Ioannes, Paulus, et auctor Epistolae ad Hebraeos, qui ultimus hac in caussa a Paulo non discedit. Reliqui omnes in paucis meditationibus, quae supersunt, solam externam vel futuram σωτηρίαν apprehendisse sibi placent, unde vero haud sequi licet, de interna eos nullam omnino persuasionem habuisse. Hanc ultimam, qua praesentes verae pietatis divitias, nemo profecto inde a Christo sibi denegavit: ipse iam vario modo, pro variis suorum religionibus, symbola elegit, quibus usus veritatem altiorem iis adducere posset: illi haud parum viam indicatam continuarunt, et pro sua quisque necessitate elaborarunt. Ne quoque alio modo hoc exspectandum fuisset, comparatio inter Paulum et Ioannem optime edocet. Utrique scilicet unam et eandem praesentem σωτηρίαν, a Christo inductam, profitentur, reconciliationem Dei, hominumque cum summo numine novam amicitiam, renovatum foedus. Sed quomodo hoc factum sit, utrique diverso modo interpretantur. Paulus, ut cum eo initium faciamus, haud alio sensu Christum praesentem σωτῆρα nominavit, quam quatenus

peccatorum onera, indeque egredientis poenae periculum ab hominibus removisset, semet ipsum pro eorum iniustitia summo numini sacrificans. Hoc perspicue testantur ipsius effata atque expositiones, ut 1 Tim. 1, 15. *πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, ὅτι χριστὸς ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον, ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, ὧν πρῶτός εἰμι ἐγώ.* Haec ne alio sensu quam liberationis a peccatorum poenis intellexerit, propria eius interpretatio affirmat, quae eodem loco legitur 2, 5. 6. *εἷς γὰρ θεὸς, εἷς καὶ μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρωπος χριστὸς ἰησοῦς· ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις.* — et Tit. 2, 14. *Ὃς (χριστὸς ὁ σωτὴρ) ἔδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, ἵνα λυτρώσηται ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀνομίας, καὶ καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον, ζηλωτὴν καλῶν ἔργων.* Tertio praeterea loco eandem Chrisi dignitatem summis laudibus celebravit, nimirum Rom. 5, 8 sq. *Συνίστησι δὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀγάπην εἰς ἡμᾶς ὁ θεὸς, ὅτι; ἔτι ἁμαρτωλῶν ὄντων ἡμῶν, χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε. πολλῷ οὖν μᾶλλον, δικαιωθέντες νῦν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ, σωθησόμεθα δι' αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὀργῆς.* Quae verba Apostoli *τὴν σωτηρίαν*, quam Christo attribuunt, a cessatione divinae irae in hominum pravitatem deducunt. Iam vero nemini profecto obscurum esse potest, quo sensu Paulus praesentem *σωτηρίαν* Christi intellexerit, id est, plenam pravitatis humanae expiationem, et indubitatam peccatorum remotionem, quod utrumque ab eo pro impedimento declaratur, quo hactenus hominum reconciliatio cum Deo in nulla conscientia admissa fuisset. Videmus inde, Apostolo praesentem Christi *σωρηρίαν*, qua *caussam* et *conditionem* necessariam in mente fuisse, propter quam novum foedus inter Deum hominesque restitutum sit.

Deinde ad Ioannem si transeamus, alia prorsus significatione eum *τὴν σωτηρίαν* Christi percepisse audimus, haud qua caussam praeeuntem, sed qua *eventum*

atque *comitem* necessarium restitutae Dei cum hominibus amicitiae. Ipse enim perpetuo eam significavit per τὸ εἶναι ἐν θεῷ, per intimam coniunctionem cum Deo, quam Christus suis aperuerit, quaque praesenti tempore omnes fruerentur. Haec ipsa in cuiusque conscientia tum temporis haud prius exoriri potuit quam quousque pax inter Deum hominesque restituta fuerit, qua absente nulla eius exspectatio in aditu fuit. Atqui nova haec coniunctio summum solatii pro tempore amisso, summum spei pro tempore futuro, summos stimulos pro verae virtutis exercitatione Ioannem edocuit, ita ut in ea substiterit, eique in beneficiis divini doctoris primum locum dederit. Pro interna mente illi caritas atque amicitia praecipue placuit, haud plena legis durities, cui Paulus adhaesit. Utrique vero diversam naturam, nec minus quoque diversam educationem habuerunt. Qui in Pharisaeorum scholis auditor fuerat, Paulus non potuit non, quin huius doctrinae axiomata amplecteretur. Inter ea inprimis splenduit iuris strenua executio contra quaecunque peccatorum genera, unde eum mortem atque sanguinem Christi, quatenus mortalium peccatis expiationem apud Deum paraverit, maxime veneratum esse videmus. Aliam viam secutus est Ioannes: ei maxime placuit novus aditus, ad Deum patrem paratus, novusque usus divinae caritatis, a filio apertus. Ipse pro interna natura, maxime amore excelluit, ideoque facile ad oblivionem abductus videtur, quantum poenarum homini per peccata sua a Deo paratum sit. Praecipuum testimonium de eo legitur prima in Epistola 4, 14 sqq. Καὶ ἡμεῖς τεθεάμεθα, καὶ μαρτυροῦμεν, ὅτι ὁ πατὴρ ἀπέσταλκε τὸν υἱὸν σωτῆρα τοῦ κόσμου. Ὃς ἂν ὁμολογήσῃ, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ὁ θεὸς ἐν αὐτῷ μένει, καὶ αὐτὸς ἐν τῷ θεῷ. Καὶ ἡμεῖς ἐγνώκαμεν καὶ πεπιστεύκαμεν τὴν ἀγάπην, ἣν ἔχει ὁ θεὸς ἐν ἡμῖν. ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστὶ, καὶ ὁ μένων ἐν τῇ ἀγάπῃ, ἐν τῷ θεῷ μένει, καὶ ὁ θεὸς

ἐν αὐτῷ. Eundem ad sensum aliae nonnullae formulae exponantur oportet, quarum usus frequentissimus apud Ioannem reperitur, ut, τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ, ἐν θεῷ εἶναι, ἐκ τοῦ θεοῦ γεννᾶσθαι. Es iis clare cognoscitur, quam alius et diversus a Paulo in Messiae τοῦ σωτῆρος persona describenda Ioannes fuerit, et quam diversam utrique inde ab initio Messiae imaginem composuerint.

De caussis quibus nititur rectum super notione regni divini in N. T. passim obvia iudicium.

Scripsit

Carol. Godofr. Bauer, Theol. D. et ad aed. D. Nicolai Lips. Archidiaconus[1]).

Est notio subinde recurrens in omni Novo Testamento, in Christi maxime sermonibus, aliena illa quidem ab aetatis nostrae ratione, sed ipsa certe frequentia sua conspicua, antiquitate clara, ambiguitate memorabilis, gravitate insignis, usuque in religionis doctrina multiplici mirum in modum celebrata: βασιλείαν Θεοῦ — τῶν οὐρανῶν — Χριστοῦ nobis innui, vix est, quod significemus. Non est sane, quod moneamus, quaecunque de Iesu, sospitatoris nostri, persona partibusque, de negotio, quod exsequutus sit, exsequuturusque, de beneficiis ab eo in nos collatis, de officiis, quibus ei simus obstricti, praedicentur, ex illa notione nexa esse et ad eandem referri, ut adeo, dummodo satis de ipsa nobis constet, summam consilii divini in religione per Christum divulgata nobis perspexisse, eiusque quasi clavem invenisse videamur.

---

1) Edita est haec dissertatio ab auctore doctissimo pro summis in theologia honoribus consequendis ac simul pro iuribus magisterii Lips. adipiscendis a. 1810.

Quod tamen in omnem allegoriam cadere solet, ut, dum res extra sensuum ditionem positas, unius potius rationis iudicio obnoxias et ad interiorem mentis naturam conditionemque pertinentes declarare atque ad similitudinem rerum externarum vitaeque communis exprimere conatur, obscuritate interdum laboret non exigua, ut quae seiuncta cogitari et suis quaeque finibus circumscribi debent, eadem passim imagine complectatur, nec raro iterum molestiam nobis paret in diversis imaginis partibus ad eandem universam notionem revocandis, id nec ab illa regni caelorum adumbratione alienum esse, fatendum est, ideoque candidius fatendum, tum quod altius repeti oportet huius loquendi formulae origines et incrementa, tum quod ipsa per se est obscurior omninoque latissime patet. Mireris scilicet, quando nunc omne Dei consilium[2]) de beandis per religionem hominibus, nunc[3]) universa fidem christianam profitentium caterva, nunc piorum[4]) egregius inprimis coetus, nunc ipsa salutaris[5]) doctrina, nunc leges praesertim, ad quarum observantiam aut neglectum hominum christianorum vivendi rationem olim exactum[6]) iri edocemur, nunc boni piique cultorum Dei[7])

---

2) Matth. 3, 2; 4, 17. coll. 23; 10, 7; 6, 10. similesque apprell. loci — Luc. 14, 16—24.

3) Matth. 11, 12; 13, 41. 47; 21, 31. Marc. 12, 34. Luc. 18, 24. 25.

4) Luc. 7, 28; 12, 32. Col. 1, 13.

5) Matth. 13, 52. Luc. 18, 17. Marc. 10, 15. additur ut plurimum εὐαγγέλιον — λόγος τῆς βασιλείας, Matth. 4, 23; 13, 19—23. μυστήρια τῆς βασιλ. 13, 11. sed et simpliciter Marc. 4, 26 ss. sic et quodammodo Matth. 21, 43. explicari potest.

6) Matth. 22, 2. coll. v. 11—14; 13, 47.

7) Luc. 17, 21. 22.

sensus, nunc fata[8]) religionis per omnia secula, nunc eius quem Deus salutis ducem nobis praefecit et antesignanum[9]), dignitas in dies crescens et maiestas, nunc felicitas, qua probos Christi sectatores[10]) ultra sortem humanam evectos cum divino magistro simul frui persuasum habemus, βασιλείας Θεοῦ nomine insigniuntur[11]) — mireris inquam in tanta notionum farragine ac diversitate, quibus una eademque imago mox simul fere omnibus, mox iunctim compluribus, mox seorsum singulis adumbrandis inservit, tricis te passim impediri nec tibi semper de sensu constare, qui per adiuncta et orationis seriem diversis in locis huic denominationi tribuendus sit, teque haud raro haerere, quomodo isthaec et utrum omnino ad locum quendam communem referri cuncta queant? — Enimvero cum tantum huic omni rei caussaeque ponderis tribuatur in ss. ss., cum tot et tam gravia inde repetantur argumenta, cum vel ipsa ambiguitate sua peculiarem adtentionem sibi nostram vindicet: non poterunt non eius constituendae investigari principia, ut inde clarius elucescat, tum quid nobis significet, tum nostra quid intersit.

---

8) Matth. 13, 31. 33. et plura hui. cap. loca, Act. 1, 3.

9) Luc. 1, 33. 1 Cor. 15, 24. Apocal. 11, 15. 2 Tim. 4, 1. Luc. 9, 27. Marc. 9, 1 coll. Matth. 16, 28.

10) Matth. 25, 34. Luc. 22, 30; 23, 42. 1 Cor. 15, 50: Ephes. 5, 5. 2 Tim. 4, 18. et loci alii paene innumeri, quos partim videre est in Lexico Schleusneri, Viri S. V. et magna industria collectos magnoque ingenii acumine inter se collatos reperies in libello eximio academico C. A. Th. Keilii, Viri Magnifici et Summe Venerandi: *Historia Dogmatis de Regno Messiae Christi et Apostolorum aetate ad illustranda N. T. loca adcommodate exposita* nec non in Koppii N. T. Vol. I. Excurs. 1. ad 1 Thes.

11) Paucis, sed mira, ut solet, perspicuitate deinceps haec exposuit b. Morus in Epitome Theol. Christianae p. 170. ed. 1.

SECTIO I.

De re in universum exponens.

In hac omni nostra caussa ut recte versemur, non inutile fuerit, ad varias adtendere vias, quae in illa notione explicanda iniri possunt, quibus ipsis et eos, penes quos ius fuit quaestionis huiusce, incessisse intelligimus.

Potest in sensum inquiri, qui singulis locis, in quibus illa obvia est formula, per rationes grammaticas, per orationis nexum, per parallelismum (et membrorum unius eiusdemque loci et scriptorum, qui rem eandem diversis verbis tradiderunt), per rerum gestarum seriem et opportunitatem tribui debeat, et inde, si fieri possit, quasi familia constitui significationum, quae passim in hanc dictionem cadant.

Possunt simul origines formulae in monumentis historiae et antiquitatis investigari, ut inde etiam pateat, annon illa per decursum temporum vario modo sit intellecta et usurpata, et quomodo quibusve de caussis significationes, quae ei deinceps alia post aliam tributae sunt, sese exceperint, denique quid inde fluxerit, ad usum verbi et notionis in N. T. toties obvium.

Patet utramque, grammatici pariter atque historici provinciam, (in qua quidem Lexica N. T. commentarii in singula ss. ss. loca, historiarum scriptores et antiquitatum interpretes recte subsistere existimandi sunt,) ut in omni sana interpretatione, ita et in huius notionis et locorum, quibus inest, explicatione seiungi non posse; et constat egregias post hominum memoriam exstitisse summamque doctrinae copiam et elegantiam testatas Virorum Eruditorum curas in hanc rem caussamque nostram subsidiis illis illustrandam, quarum grammaticas et historicas observationes vix aliquis ausit novis cumulare, utut omnis antiquitatis eximia no-

litia instructus, ego vero pro exiguo doctrinae modulo omnium minime ausim. Enimvero si quis in his, licet iis gravissimis maximique faciendis ac nunquam non fundamenti loco ponendis, adquiesci posse contendat: expendenda est singularis notionis dignitas. Possis optimo tuo iure hac tali ζωῆς, φωτὸς, θανάτου, σκότους, imo etiam gravioris momenti verborum illustratione tibi satisfecisse videri; sed βασιλείας Θεοῦ formula talis est, qua non modo nulla crebrior in ipsius Iesu sermonibus occurrit, sed quae longe etiam saepius, quam his ipsis verbis, innuitur et urgetur, cui tantum non omnia per omnem sospitatoris institutionem ac disciplinam tanquam fundamento suo superstructa sunt, quo non est ullus gravioris momenti doctrinae locus quin referatur, quemadmodum et ipsa ad unumquemque refertur. Est, si qua alia, quin prae reliquis omnibus notio dogmatica, ipsique divino magistro hoc loco habita, ex qua scilicet omnia ac singula doctrinae, quae ab illo est et de illo agit, capita tanquam ex caussa sua pendent, quae fili Ariadnei instar per omnes huius disciplinae partes viam nobis commonstrat, qua una fit, ut omnino exstet doctrina Christi. Quam si cognoscere et ex librorum sacrorum lectione eruere nobiscum constituimus, quomodo et ipsi tali illius notionis pertractatione et investigatione carebimus, quae dogmatica dici debeat, i. e. quae omnes ac singulos doctrinae Christianae locos cum ea conferat, ad eam examinet, eique significationem suam ac dignitatem hac via constituat? Nec temere quis hoc neglectum esse et ea maxime, quae nostram mox antecessit, aetate, utut non levia sibi illa vindicaverit in rem christianam merita, neglectum esse doleat, at ideo fortasse neglectum censeat, quod allegoriae, quae visa esset, minus commode doctrina de rebus extra sensuum ditionem positis superstrui posse videretur. Sed non magis haec allegoria est, quam plurima pars verborum, quibus in do-

ctrina de iure, de moribus, de religione, de rerum natura caussisque, et si qua alia est maxime a rebus sub sensus cadentibus remota, quotidie utimur, cuius in locum ne aliud quidem, quod propius ad rem accedat et cui maior insit proprietas, verbum substituerimus. Quod autem posthabita est haec formula, quod cum aliis, quibus minor vis, minor ambitus, minus finita significatio, quae ei ex parte tantum respondent, permutata, id ipsum caussa mihi videtur exstitisse, cur peculiaris fidei Christianae indoles recentiori maxime aetate vix satis recte dispiceretur, cur doctrinae Christi et doctrinae de Christo minus adpareret et discrimen et intima necessitudo, cur de ratione, quae naturalem inter et revelatam intercedit religionem, amicoque utriusque consensu tam parum plerisque constaret.

Est tamen cavendum, quod non omnes cavisse dixeris, (non enim defuere, qui huic dogmaticae rei pertractationi[12]) operam dare sibi sumerent,) ne, in quo peccare solent disquisitiones dogmaticae, etiam haec nostra peccet, scilicet ut ponat e recepta religionis doctrina, placitisque ac definitionibus praeoccupatis, quae sintne pro partibus illius doctrinae omninoque pro veris ac certis habenda nec ne, doceri demum debent, et qualia sint, ex illa notione diligenter explicata recte demum perspici queunt.

Imo in id nitendum est, ut examinatis et inter se collatis singulis, quae particulam tantum notionis (*βα-*

12) Inter quos satis sit prae reliquis nominasse Hessium Vir. S. V. in libro inscripto: *Von dem Reiche Gottes, ein Versuch über den Plan der göttlichen Anstalten und Offenbarungen.* Turici 1796. Notus est etiam b. Crusii liber *Plan des Reiches Gottes* — Constat praeterea in omnibus decretorum doctrinae Christianae compendiis, si non alibi, certe ubi de regio munere Christi exponitur, hanc notionem adtingi.

σιλεία Θεοῦ, τῶν οὐρανῶν, Χριστοῦ) innuunt, significationibus una eruatur rei universa notio, qua illae singulae contineantur, ut nobis omnino constet de caussis momentisque praecipuis, quae ad illam universam atque primariam notionem eruendam faciant, quibus rectum omnino super illa re, qualis nimirum ex mente Iesu et Apostolorum ea fuerit, iudicium niti possit.

Et sunt hic in censum vocanda I) ipsa βασιλείας formula per se spectata cum variis adiunctis, mox aliquam etiam significationis diversitatem innuentibus, mox, et longe quidem saepissime, eodem redeuntibus; II) eiusdem formulae synonyma, ut et III) opposita; IV) finis, qui illi regno adsignatur, et beneficia, quae inde feruntur ad nos redundasse; V) instituta et praesidia, quae ad finem istum et beneficiorum usum fructum valuerunt, una cum legibus, ex quarum observantia ius civitatis in illo regno unice pendet; VI) modus, quo summus rerum humanarum arbiter regnum auspicatus est nosque de consilio suo certiores fecit; VII) dignitas, res gestae et negotium eius, qui regni divini particeps celebratur et inter nos administer, nec non munera et officia eorum, qui illius ad homines fuere legati; VIII) primordia notionis [13]) historica, quae antiquitus cum invaluisset, a

13) Hunc si quis locum prae reliquis omnibus tractandum fuisse censeat: equidem non inepte regerere posse mihi videor, cum omnino non absonum, tum a consilio nostro non alienum esse, ut primum, quid per se rei insit, quid cum ea conferatur aut ei ex adverso ponatur, quid ab ea pendeat, eruatur, deinde vero, unde origines traxerit, investigetur, licet lubens et ipse largiar, posse etiam satis commode ac feliciter inversa via procedi: id autem mihi dari velim, utramlibet ineas, ab uno loco tibi haud raro ad alterum quasi provocandum fore, et quae proximo non prorsus satis.

Iesu singulari modo excepta est et usurpata; IX) denique adtributa, quae, expugnatis temerariis opinionibus, ut plurimum cum illa dictione tum ipsa tum eius synonymis iuncta reperiuntur, omninoque collatis omnibus mox indicatis ei tribui debent. His scilicet momentis diligenter expensis, inter se comparatis atque ad interpretationis grammaticae et historicae (cui nunc finis non in singulis duntaxat locis et significationibus explicandis, sed in materie ad notionem universam concinnandam suppeditata adsignatur) leges exactis, quae res facti sit dispiciemus, eiusque, quatenus ex institutione Iesu et App. peti potest, notitiam nobis comparabimus.

Sed ne in hac ipsa quidem subsisti poterit. Non ideo tantum quae in libris sacris exstant addiscimus et ex iis doctrinae Christianae quasi corpus efformamus, ut, quid illi doctrinae insit et quomodo alia ipsius particula ex alia nexa sit, teneamus, ut et iidem, quid Iesus et discipuli de moribus praeceperint, de religione decreverint et instituerint, ex caussis satis idoneis diiudicemus: agimus et hoc ac vel maxime agendum censemus, ut nobis constet de disciplinae illius ad nos delatae veritate, de notionum, quae insunt, in omni morum et religionis doctrina dignitate, ut perspiciatur, quomodo illae ad iustam vitae rationem et moderationem, ad tranquillitatem animis per omnes rerum vicissitudines ingignendam, quid quod ipsius futurae vitae ac felicitatis spem stabiliendam se habeant.

Itaque in hac ipsa etiam nostra quaestione profligare demum existimabitur disputationis genus illud, quod, ubi nobis comparata fuerit notionis extrinsecus suppeditatae, tanquam in facto positae, notitia, ipsius

---

sequutum te sentias, remotiori demum tibi penitus plana fieri posse.

examinata rei natura, fontes ἰδέας, quae subest, in mentis humanae indole, quid quod in omnis omnino rectae rationis principiis ac praeceptis anquirit eiusque cum cultu supremi numinis ac de religione doctrina necessitudinem[14]) demonstrat atque illustrat. Adiunget se his disquisitio, annon posita religione, cui singuli per liberi arbitrii et rationis praeceptorum conscientiam atque mundi contemplationem rationis decretis consentaneam adstrictos se sentiant, poni etiam debeat in universum eiusmodi βασιλείας Θεοῦ notio, qua una fortasse fieri possit, ut exstet omnino singulisque sua servetur religio, annon, ut istius, non dicam ἰδέα existat et innotescat, sed forma in rerum ordine adspectabili adpareat visque se exserat, opus sit rebus in facto positis, quarum quidem, utpote in facto positarum et adspectabilium, peculiaris natura ratione constitui non queat, sed, qualiscunque fuerit, excipi tantum possit, at cum fine tamen et cum ἰδέας, (qua careri non posse persuasum habemus), elementis congruentia ratione di-

14) Id ipsum mihi sibi velle videtur infelix illa, ad nauseam usque his nostris temporibus decantata, pessime sane haud raro in invidiam solidioris doctrinae historicae pariter ac philosophicae usurpata, at eadem etiam misere interdum vexata moralis, quae dicitur, (non satis commodo utique nomine) interpretatio: nimirum ut expiscetur ac diiudicet, quomodo res in facto positae earumque usus in religione ac de his omnibus sententiae scriptorum sacrorum, (quae quaenam fuerint et quid significent, ars critica, grammatica et historica nos prima omnium edocuerit, necesse est), ad ideam universalem menti humanae infixam, ad complexionem omnis, quae a ratione proficiscitur, veritatis se habeat. Quod quo pacto ab interprete in ulla qualibet caussa (fac v. g. de philosophorum placitis exponi) negligi et ab eius partibus seiungi queat, non video, dummodo concedatur, boni interpretis non tantum esse, commonstrare *quid* sit, sed etiam *quale* sit, quod sibi interpretandum sumserit, nec posse rem, nisi recte indicatam, recte intelligi et explicari.

iudicari debeat; verbo: annon inde revelatae religionis pateat et natura et cum ea quae ex ratione principia repetit intima necessitudo. Adsunt denique consectaria non levis et ipsa momenti, dum scilicet innuunt, quaenam ex placitis istis omnique gravissimae quaestionis dirimendae ratione ad publicum religionis exercitium pariter ac publicam religionis disciplinam et institutionem popularem, nec non ad mores et vitae rationem in iis, qui publicae atque communis religionis vinculis tenentur, praecepta fluant.

Est igitur bipartita haec omnis disputatio, cuius prior pars hermeneutica non inepte audierit, quoniam subsidiis grammaticis et historicis ad doctrinae christianae locum in primis insignem collustrandum et ex scripturis sacris explicandum utitur iisque recte adhibendis momentisque, quibus iustum efficitur super omni re iudicium, gravissimis adtendendis praecepta tradit; alteram, ethico-dogmaticam iure suo vocari, non eget demonstratione.

Cum tamen utrique, nisi re ardua et ambigua defungi velis incredibili eademque non excusabili levitate, vix volumen integrum, idque non exigui corporis, nedum libellus academicus ad disceptationem propositus sufficiat, ad ethico-dogmaticam vero, nisi pertractata hermeneutica disquisitionis parte, recte procedi nou queat: nos intra prioris limites substituri, ne huic quidem absolvendae otium nobis spatiumque concessum, suscepto negotio, intelligimus. Itaque cum arctius inter se cohaereant partis hermeneuticae Capita I—III., his pertractatis gradum sistemus, demonstraturi scilicet, quid dictio βασιλείας per se considerata cum diversis adiunctis, quid synonymorum, quid oppositorum huius formulae recensio ad eruenda, quae subest, universae notionis elementa faciat et quomodo in his nos versari oporteat.

Speciminis loco haec scripta sunto non eo quidem sensu, ut rei peritioribus viam, qua in ardua quaestione procedendum sit, nos praeivisse ac munivisse, particulam saltem viae emensos, existimemus, (quod quidem ut nemo ab homine rudi et talis exercitii experte, quin a prima inde iuventute ad religionis usum et disciplinam popularem delegato exspectabit, ita nos talis immodestiae et arrogantiae crimen nos contraxisse non meminimus), sed hoc potius consilio, ut iis, quos arbitros in hac caussa suspicimus, pateat, an et quatenus, quicquid in nobis est virium, quod non ignoramus, quam sit exiguum, huius talis negotii exiguae saltem particulae satisfecerit, ipsi autem ut edoceamur Virorum doctrinae et sagacitatis laude clarissimorum iudicio, an in hac, quam inivimus, via ulterius nobis sit procedendum.

SECTIO II.

De caussis quibusdam, quibus nititur rectum super regni divini notione biblica iudicium, sigillatim disserens.

PARS I.

De formula βασιλείας per se spectata cum variis adiunctis.

Videbimus rei varias eiusdem denominationes, clariorem ipsius notitiam et uberiorem in primis non parum sane iuvantes; quas tamen antequam lustremus, dispicere nos oportet de digerenda rerum haud minori copia, quae uni eidemque denominationi, verbo nimirum βασιλείας Θεοῦ, respondent.

§. 1.

Ac primum quidem constat, mutatis adiunctis verbum illud βασιλείας usurpari, commemorari passim

βασιλείαν Θεοῦ, τῶν οὐρανῶν, ἐπουράνιον, Κυρίου, Χριστοῦ, υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ut et utriusque simul, Θεοῦ et Χριστοῦ. Non nostrum est, singulos recensere locos et inter se contendere, in quos haec adiunctorum cadit diversitas, (quippe quod negotium Lexicis et Concordantiis permittendum est); veruntamen primum inter praecepta hanc omnem caussam diiudicandi obvium nobis est illud: anquirendum esse, utrum adiuncta ista simpliciter inter se permutentur et unum idemque denotent, an res plus minus diversas adumbrent, ac si qua rerum exstet diversitas, quinam eius sit fons et unde repetendus, in verborum duntaxat, quod de plerisque certe valet locis, quaenam et huius sit caussa censenda.

α) Solenne fuit Iudaeis, quaecunque ad Deum auctorem, legislatorem, iudicem etc. referrent, adiuncta השמים insignire voce[15]), v. c. legem coelorum, iudicium coelorum etc. pro divinis dicere. Patet inde, βασιλείαν τῶν οὐρανῶν et τοῦ Θεοῦ[16]), cuius in libris Iudaeorum thalmudicis crebra est mentio, per usum loquendi familiarem aequalibus Christi et App. idem plane valere, quod et comprobant loca N. T. parallela, v. c. Marc. 4, 11. et Luc. 8, 10. cll. Matth. 13, 11[17]). θρόνον Θεοῦ vel in ipso N. T. subinde caelum dici (vide Schleussneri Lex. in N. T. v. θρόνος)

15) cf. Wetsten. ad Matth. 21, 25.

16) vid. id. ad Matth. 3, 2.

17) Est longe frequentior Matthaeo βασιλ. τ. οὐρανῶν formula, quam reliquis N. T. scriptt., eidemque longe rarior βασιλ. Θεοῦ mentio, quod non mirabimur in scriptore, quem Hebraeis idiomate hebraico commentarios scripsisse et prae reliquis ad evangelii Hebraeorum exemplar concinnasse verisimile est.

ad modum Ies. 66, 1. satis notum est. Ac possit hoc unum nobis satis declarare videri usum formulae illius in ss. ss. et iudaicis frequentissimum, dici nimirum regnum caelorum, ut simpliciter Dei innuatur regnum. Enimvero cum Deo in omnia sit imperium, in his autem peculiaris illius imperii ratio et quasi provincia significetur: non temere rursus quaeritur, quaenam regni divini ita insigniti sit forma, et quae caussa, cur οὐρανῶν dicatur βασιλεία. Iam constat, caelum, quod oppositum terrae[18]) ex Hebraeorum usu loquendi antiquissimo excelsi, splendidi, infiniti notionem expressit, ut gentibus Sabaeismo deditis fuit sedes numinum, quae sideribus inesse aut praeesse sibi finxerant, ut Graecis valuit habitationem Deorum, ita in Iudaeorum de angelis doctrina subinde exculta habitum esse angelorum domicilium, denique postquam serius aevum a Christi aetate haud ita remotum animos agnovit immortales et praemia poenasque vitae futurae, sedem beatorum vita functorum in caelis, quorum quasi gradus formaeque plures statuebantur, esse collocatam. Nonne[19]) hinc factum censeamus, ut rerum ordinis celsioris, non adspectabilis, spiritualis, moralis, aeternaeque post vitam in terris exactam felicitatis, nisi clara et plena notio, at certe huius notionis stamina existerent ac

18) Cf. quae in libro b. Herderi *Geist der hebr. Poesie* Th. I. p. 53. 54. Ed. I. de parallelismo coeli et terrae exponuntur.

19) Quod ad loca N. T. hunc illius epitheti varium ac multiplicem usum demonstrantia adtinet, de *caelo*, *angelorum domicilio* cf. Ioh. 1, 52. *de rerum ordine sublimiori*, *invisibili*, (2 Cor. 4, 18.) *morali* vid. Philipp. 3, 20. Ioh. 3, 13. Ephes. 1, 3; 2. 6. de *sede beatorum vita defunctorum* cf. Matth. 6, 20. Luc. 16, 19 ss. collatis aliis locis, ubi Abrahami commoratio in caelis innuitur, v. c. Matth. 8, 11.

per regnum caelorum insignirentur, quod tale veniret Dei regnum, cuius cives Deum agnoscerent mundi rectorem et gubernatorem, omnisque naturae intelligentis legislatorem pie colerent et sibi pietatis aliquando remuneratorem gratularentur.

β) Quae ἐπουράνιος 2 Tim. 4, 18. κυρίου (Χριστοῦ) occurrit βασιλεία, licet coniugatum οὐρανοῦ sit ἐπουράνιος, licet alibi (Ioh. 3, 12.) τὰ ἐπουράνια τοῖς ἐπιγείοις opposita in universum res divinas (oppositas humanis) denotent, arctioris tamen est significatus, quam βασιλεία τῶν οὐρανῶν, nec aliud quid indicat, quam felicitatem aeternam, regni divini per Christum constituti finem et consummationem. Sunt sane loci N. T. bene multi, ubi inter reliquas omnes βασιλείας Θεοῦ et οὐρανῶν significationes haec una eminet, nec tamen illi sola per se inest denominationi, quippe cuius multo latius patet sensus, sed ex adiunctis et orationis nexu illic agnosci debet ac potest.

γ) βασιλείαν Χριστοῦ, υἱοῦ τοῦ Θεοῦ l. τῆς ἀγάπης Θεοῦ (Coloss. 1, 13.) eandem ut plurimum dici, quae alibi Θεοῦ appellatur aut οὐρανῶν, non eget demonstratione; et ut per se tantum pars illa sit immensi imperii divini in naturas intelligendi eumque colendi facultate praeditas, quae post multa demum elapsa saecula comparuerit, (μυστήριον ἐν καιρῷ ἀποκεκαλυμμένον): at quae in N. T. commemoratur βασιλεία Θεοῦ l. τῶν οὐρανῶν, ad hos ipsos plerumque fines restringitur, nec alia est, nisi quam Deus per filium condidit; quid quod et ipsi Christi regno tantus ad tempus tribuitur ambitus, quantus omnino fertur divini[20]) (1 Cor. 15, 25 — 28. Ebr. 1, 8. Apocal. 11,

20) Non aliam Apostoli divini regni notionem mihi videntur tenuisse, quam eius, quod per Iesum Messiam Dei filium exstiterit, cui tamen exstruendo Deus antiquitus res humanas praeparaverit. At Iesus universam regni divini, quod nun-

15.). Patet tamen, locos, in quibus iudaicae de Messiano imperio opiniones tum ante[21]) Iesu adventum, tum ipsius aetate recensentur, aut ubi peculiaris eorum, qui Christo nomen dederunt, coetus per *βασιλείαν* ipsius insignitur, latiori sane Dei regno opponi[22]). Est et ipsa simpliciter dicta *βασιλεία*, (quae manifesto Θεοῦ intelligitur) sensu maxime angusto, dum Matth. 8, 12. *υἱοὶ βασιλείας* appellantur Iudaei, tanquam haereditarii regni cives, quod penes eos antiquitus Dei floruisse fertur. Latius eadem patet et proxime ad Deum Christumque refertur Luc. 12, 32. nec non Matth. 4, 23. *εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας*, ubi quale fuerit illud evangelium, quod docuerit Christus, patet cll. Marc. 1, 14 ss. Luc. 4, 14.

§. 2.

Non deest, ut vidimus, adiunctorum *βασιλείας*, quae toties celebratur in N. T., aliqua varietas, unde et ipsa sensus quaedam nonnunquam nascitur diversitas;

---

quam non adfuit et nunquam non adfuturum est, ita excepit, ut sibi administri divini in hoc regno partes demandatas agnosceret seque eum profiteretur, per quem deinceps regnum illud hominibus patefieret et inter eos stabiliretur Matth. 28, 18. Ioh. 14, 9. Non prorsus tamen etiam ab App. discrimen inter universum Dei regnum et regnum Christi negligi, evincunt loca 1 Tim. 6, 14. 15. 16. Apocal. 12, 10.

21) vide Lexic. Schleusn. sub voce βασιλεία 9. Pertinere etiam huc videtur Luc. 1, 33.

22) vide huius oppositionis exemplum Matth. 13, 41. ubi βασιλείᾳ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, coetui sectatorum Christi promiscuo, respondet βασιλεία τοῦ Πατρὸς in qua siderum instar λάμψειν praedicantur δίκαιοι — status proborum felix; et alia rursus sensu v. 41. venit βασιλ. τ. οὐρ. ut nempe innuat ius civitatis in illo regno.

sed maior profecto est, quae ex latiori allegoriae ambitu, usuque liberiori, ex περιστάσεων, quae eius toties repetendae ansam praebuere, consiliique, quo repetitam subinde videmus, diversitate oritur significationum eiusdem formulae discrepantia. In qua diiudicanda nihil antiquius censebimus, quam ut ernatur significatio quaedam primaria, e qua reliquae omnes tanquam rami e stirpe profectae recte videantur. Ea non aestimabitur eo, quod reliquis frequentior nobis occurrit: (fuerit enim derivatae ac secundariae longe saepius fortassis urgendae et usurpandae opportunitas, quam primariae) nec magis eo, quod usus ipsius satis videtur commodus in explicandis locis nonnullis difficilioribus: (possit enim commoda videri et orationis seriei consentanea explicatio, quae longe tamen absit a veritate: possit esse per se vera, sed cuius parum recte perspecta sint principia caussaeque, nec rectam nos invenisse sententiam ideo nobis persuadeamus, quod ea posita multa commode explicare possumus, nisi alia magis diserta et, ut ita dicam, antiquiora adsint veritatis κριτήρια.) Imo primaria illa significatio censebitur nobis α) ex ipsius rei natura, talis scilicet, cui reliquae tanquam generi suo formae subsint, cui, ut aiunt, implicite saltem insint notae simul omnes, singulae illae singulis significationibus derivatis propriae, quae una nobis caussa pateat, cur per contextum et περιστάσεις singulis in locis singulae significationes, (suis quaeque peculiaribus praedita notis), valeant. Agnoscetur β) deinde ex diserta, si qua exstat, Iesu declaratione, non illa quidem logica, quae nos edocuerit, hanc principem et reliquarum omnium fontem accipi debere significationem, (talem enim per omnem institutionis, quam divino debemus magistro, naturam, quis exspectaverit?) sed populari, qua ipse sensum dictionis huius do industria

explicaverit, eandemque talem nobis iniunxerit[23]), ad quem in primis adtendi oporteat. Patebit γ) porro ex rerum nexu et opportunitatibus, quibus factum est, ut hac imagine passim uteretur Christus, et e consilio, quod singulis vicibus in ea usurpanda sequutus est. Plurimum δ) denique lucis mutuabitur ex rei origine, quae demonstrabit, qualem Iesus inter populares hanc notionem et loquutionem invenerit, qualem in rem utilitatemque suam converterit. Quibus scilicet propius visendis enucleandisque Partt. ss. opportunitatem demum largitura essent, si iis quoque absolvendis vacare liceret.

§. 3

Quas oratorum disciplina rhetoricas enumerare solet figuras, metonymiam, synecdochen etc., iis per dicendi genus ab omni dialecticorum ἀκριβείᾳ alienum et ex media vita communi depromptum, quale Iesu et App. plerisque usu venisse constat, in vocabulo latissimi ambitus, (βασιλ. dico Θεοῦ), locum maxime fuisse, quis ignorat? Itaque tralatitium est, per synecdochen inprimis mox statum regnantis, mox conditionem eorum, quibus imperatur, mox regem ipsum, mox eius subditos, mox leges et instituta regni divini etc.[24]) βασιλείας Θ. formula significari. At parum his iuvamur, nisi constituta et satis definita notione universa, ad quam isthaec referantur, sed cui constituendae demum undiquaque materiem congerere satagimus; unum hoc

23) Palmarios eiusmodi, sed rem magis ab erroribus defendentes, quam integram exhaurientes, quis v. c. non agnoscit locos Luc. 17. 20. 21. Ioh. 18, 36. 37. nec non eorum pleraque, quae Matth. 13. per parabolas de hoc coelorum regno exponuntur, quorum usus infra patebit.

24) vide locos pterosque in praefat. laudatos.

ponitur agnitis eiusmodi figuris, adcsac partes univers notionis, quas uti sunt per contextae orationis ratione sumimus, donec et his omnibus inter se collatis et al subsidiis adhibitis genus cui formae, subsunt, nobis r pertum fuerit. Est quoque ad figuras illas non paru utilis respectus in diiudicandis formulae nostrae syn nymis, finiendaque omnino synonymi notione.

§. 4.

In constituenda quacunque notior universa, ad quam singularum dictioni illius significationum diversitas refera tur, maxima nobis opus erit cautione, ı quae peculiaris est rei natura obumbretur, quid quc tota quanta obscuretur, ne caussarum series ordoqı invertatur et ad rem explicandam trahatur id, quo ex ipsa illa re explicari ac definiri debet. In vulgı notum est, v. c. Iesum, ubi *βασιλείαν* dicit suam aı patris aut *οὐρανῶν*, ubi eam describit et cum rebus su sensus cadentibus, iisdemque e vita communi depron tis comparat, ut plurimum ad doctrinam suam religic nemque a se patefactam non raro itidem ad coetum as seclarum respicere. Enimvero tantum abest, ut qu alterutram illarum notionum primariam et reliquarur dictionis illius significationum fontem ac principiur recte dicat, ut vix idem unquam religionem Christi au coetum hominum ei deditorum *βασιλ. τ. ο.* simplicite denotari nobis persuaserit. Ipsius nempe religionis pe Christum promulgatae peculiaris haec nota est, quo regnum caelorum adpellatur. Rogas, quare? Absonur foret respondere: quia regnum caelorum est religic quae a Christu nomen traxit. Simili modo se res habet[25]

25) Liceat hic in memoriam revocare discrimen *sensus* et *significationis* tanta subtilitate, doctrinae copia et elegantia i usum interpretationis ss. ss. illustratum a. S. F. N. Moro

cum societate Christianorum, cum aeterna, quae hos manere dicitur, felicitate. Possunt sane ex istis erui notae, quae βασιλείας Θεοῦ notioni dilucidandae inserviunt, sed male quis unquam βασ. Θ. per ullum aliquid ex istis simpliciter explicare ausus fuerit, quippe quae individua et sola per se consistit notio, eademque cum aliis comparari quidem iisque illustrandis adhiberi aut ab iis lucem mutuari, at permutari cum iis minime potest.

Pars II.

De βασιλείας Θεοῦ in N. T. synonymis.

CAPUT I. Praemonenda.

§. 1.

Unde synonyma agnosci queant.

At arctioribus cogimur limitibus, dum huic uni βασ. Θ. formulae inhaerentes, quid de re, quae ei inest, statuendum sit, penitus compertum iri speramus. Imo similibus vocabulis ac dicendi modis, si qua obscurior est loquutio et rei significandae ratio, eam passim illustrari videmus. Quid autem? Haeccine nobis patebunt synonyma et a nobis dignosci poterunt, nisi constituta primum notione, cuius hanc vel illam synonymam invenisse arbitramur, at in cuius definiendae demum principiis elaboramus? Enimvero poterit sane ex sermonibus eius, qui in locum formulae saepius a

---

Viro immortali, quem olim praeceptorem et fautorem compellasse inter gratissimas vitae nostrae recordationes reponimus. *Sensus* utcunque locorum βασ. Θ. prae se ferentium is est, ut innuatur doctrina, religio Christi, societas Christianorum, vita post mortem beata — *significatio* et quidem primaria, quae caussa exstat, cur passim hic, passim ille sensus insit eidemque ulterius definiendo inseruit, altius radices egit, altioris indaginis est.

se usurpatae alias passim substituit, eiusmodi συνωνυμία repeti indeque praegnantis et subobscurae dictionis sensus colligi: id quod nusquam magis locum habuit, quam in diversis de vita ac rebus gestis Iesu Christi commentariis (evangeliis), quorum loca parallela eiusdem rei, nominatim huius nostrae notionis, varias denominationes aut rem eandem diverse spectatam ideoque diverse etiam insignitam exhibent (cf. Marc. 11, 10. cum Luc. 19, 38.). Orietur συνωνυμία, dum alios mutatis verbis[26]) mutatas fortasse περιστάσεις eandem rem loqui manifestum est. Haud parum itidem in membrorum parallelismo, qui ad hebraici sermonis exemplum in N. T. dictione ut plurimum et ipse invaluit, ad caussam nostram adminiculi paratum nobis inveniemus. Ipsa denique res, dum per particulas sensim nobis elucescit, cognatarum notionum vestigia nos indagare docebit, quibus agnitis synonymis rursus in re dilucidanda etiam atque etiam proficiemus.

§. 2.

Notio Synonymi.

Nimirum synonyma (de quorum natura quaedam praemonuisse liceat), verbi alicuius intelligo ea, quorum praeter **sensus**, qui inde redundat, et **argumenti**, quod inest, similitudinem etiam par est aut similis certe **forma**, quae ad idem aut simile notionum genus pertinent. Ita nemo non intelligit, ubi Iesus Χριστὸς dicitur, aut βασιλεὺς aut Κύριος etc. regnum eius

---

26) Ita longe rarior fuit App. formulae huius nostrae usurpandae opportunitas, passim ad Christianos e gentilibus, passim ad promiscuum saltem coetum verba facientibus, iisdemque haud ita pridem a temeraria dictionis illius interpretatione abstractis. Quid igitur mirum, quod per formulas alias, quas mox lustrabimus, partes saltem rei significare sategerunt?

describi; at regni Messiani synonymon quis hoc dixerit? Sed fac, v. c. ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς l. πᾶσαν ἐξουσίαν ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς filio Dei concessam dici, (Ioh. 17, 3. Matth. 28, 18.) nonne tale agnoscis? Sunt enim haec correlata, quae nuncupari solent, quibus scilicet utrobique innuitur unius in plures auctoritas. Ac patet quidem, ut omnis omnino per gradus augescere potest eademque decrescere similitudo, ita eius etiam in synonymis gradus esse tum quod ad formam adtinet, tum quod ad materiem; fore igitur, ut et hic exstent, quae ab alterutra parte plus minus synonyma dici queant. Patet itidem notionis tam praegnantis et individuae, cui tantus est ambitus, tantaque ambiguitas, cuius tam singulares sunt origines, cui, sive argumentum respicias, quod inest, sive formam, qua id exprimitur, non ullum aliud ferme verbum respondet, patet, inquam, huius quae proprie et omni ex parte synonyma dici possint, nulla reperiri, nobisque adquiescendum esse, si quae sint, quae aliqua ex parte similitudinem eius referant atque cum singulis dictionis illius significationibus tum forma tum argumento congruant.

CAPUT II.

Synonymorum recensio.

Non temere igitur (etsi subtimidus nomenclatoris partes in me suscipio), si synecdochicum et per figuras varias frequentissime immutatum ipsius βασιλείας usum respicimus, haec quae sequuntur illius adpellabuntur synonyma:

§. 1.

Synonyma, quae notioni potentiae respondent.

Θρόνος, ῥάβδος βασιλείας, θρόνος δόξης Hebr. 1, 8. Matth. 19, 28. Hebr. 8, 1. (δεξιὰ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλοσύνης) 12, 2. (δεξιὰ τοῦ θρόνου Θεοῦ) Apocal.

3, 21. quatenus βασιλεία τ. Θεοῦ l. Χριστοῦ non dignitatem, splendorem et officium regnantis sign Luc. 1, 32. 33.[27]) (ubi ipse parallelismus θρόνου (λείας synonymon evincit) 2 Tim. 4, 1. cum rell. Io 109. not. 9. laudatis.

Κράτος Coloss. 1, 11. Ephes. I, 19. (cf. Heb 14., ubi manifesto Satanas dicitur imperium, arbit habere mortis, et est Hesychii explicatio κράτος· σία, βασιλεία) 1 Tim. 6, 16. 1 Petr. 4, 11; 5, 11. cal. 1, 6; 5, 12. 13; 4, 11. mox iunctum cum αἰ τιμή, mox cum δόξα aliisve potentiae et status e: notis — δεξιαὶ δυνάμεως Matth. 26, 64. Marc 62. cll. Luc. 22, 69. qui addit Θεοῦ, Matth. 6, 1 — ἰσχύς Apocal. 5, 12; 7, 12. — ἐξουσία M 28, 18. cll. 19. Ioh. 17, 3; 5, 27. — δεξιαὶ (Matth. 22, 44. — ἐν τοῖς ἐπουρανίοις Ephes. 1, 2 ἐπιφάνεια Χριστοῦ 1 Tim. 6, 16. item παρουσ cf. Schl. Lex. quod ille nempe se regem gerit, qui

27) Non me fugit, promiscua in his omnibus loca ex ante Christum, ex ore aequalium Christi, quibus alienae de Messiae regno opiniones infixae haeserunt, sius Christi sermonibus et ex scriptis App., qui et i latiorem ἰδέας omnis ambitum sese extollere vix et ubique ausi sunt, laudari, cum diversae diversor re notiones probe distingui debeant. Sed fuerit hui scriminis exponendi locus in Part. tractationis VIII, quo bus de caussis remotiori loco potuerit asservari, sup posuimus. Id mihi constare videtur et a plerisque c aum, esse formulas huius nostrae notas quasdam ne ab iis quidem, quibus multa perversa de regno I tuerentur, sublatas quis censeat et e quibus recte q omnem caussam valeat synonymia repeti queat.

28) Ut ista doxologia orationis dominicae sit spuria, quam antiquum est additamentum tum quae per hebr eiusque δοξολογίας rationem synonyma valuerunt c gens, tum et ipsum ad alia ss. ss. loca, ubi βασιλεί νάμεως, κράτους, δόξης notiones sibi respondent, confer

aliud est quam regni Christi synonymon [29])? et omnium maxime — δόξα Matth. 6, 13. 1 Thessal. 2, 12. (ubi diserte tanquam synonyma iunguntur βασιλεία et δόξα) Matth. 16, 27. (similis locus illius Joh. 5, 27.) Joh. 17, 5. et in primis 22. Luc. 24, 26. (ubi vix aliud innui putem, quam fieri debuisse, ut perpessionibus regnum Christus auspicaretur, cf. 1 Petr. 1, 11. Hebr. 2, 7. 9.) Joh. 1, 14; 2, 11. [30]) Marc. 10, 37. (quem merito insignem Schleussnerus, Vir S. V. locum praedicat; licet enim praeiudicata sit, quae illic perhibetur, discipulorum et aequalium Iesu opinio: at clarissime demonstrat in primis συνώνυμον δόξης vocabulum ac notionem βασιλείας formulae tunc temporis valuisse, unde et loci superiores haud parum lucis sibi vindicant). Poterunt et ad hunc locum referri ἔσχαται ἡμέραι et συντέλεια τοῦ αἰῶνος τούτου, (de quibus doctissime et subtilissime egit Keilius, Vir S. V. in libello saepius laudato) cum in iis passim consummatio regni Messiani describatur; videtur tamen de ἐσχάταις ἡμέραις valere, quae infra de παλιγγενεσίᾳ notata sunt, neo mihi plane constat, sitne ubique eadem alterius formulae, v. c. Matth. 13, 40. et 24, 3. significatio. Patet autem, haec omnia βασιλείᾳ tum simpliciter tum adiunctis notata in tantum respondere synonyma, in quantum ei inest notio imperii, potentiae, maiestatis ac splendoris, quae imperantis personam et officium omniumque rerum ordinem sub imperio rite constituto comitari solent.

---

29) In quo sane fatendum est ἰδέαν saltem regni divini magis universi a regno Christi posse distingui, illud autem regni Messiani tantum aut divini arctiori sensu synonymon cum similibus posse agnosci.

30) Est omnino Ioanni tam in evangelio quam in Apocalypsi mirum in modum familiare δόξης vocabulum, cum idem in evangelio rarius, in epistolis, quod equidem meminerim, nunquam βασιλείας formula utatur.

§. 2.

Synonyma, quae ad felicitatis notionem pertinent.

Est et aliunde δόξης ut et θρόνου similiumque notionum cum βασιλείᾳ Θεοῦ et Χριστοῦ συνωνυμία: scilicet quatenus [31]) illa felicitatem piorum Dei et Christi cultorum maxime post mortem denotat — v. c. quod ad δόξαν adtinet, 1 Cor. 2, 7. 8. Hebr. 2, 10. Rom. 5, 2. 2 Cor. 4, 17. 1 Petr. 5, 4. Coloss. 3, 4. etc. quod ad θρόνον, Matth. 19, 28. Luc. 22, 30. nec minus huc referri debet

Ζωή per se et αἰώνιος Matth. 18, 8. cll. Marc. 9, 47. Matth. 25, 46. cll. v. 34. Joh. 3, 15. 16. 36. Actt. 11, 18. μετάνοια εἰς ζωήν, nec non Actt. 13, 46. ubi fortasse non tam ipsa futurae vitae felicitas quam tranquillus et beatus in praesenti vita status et eo innixum ius in aeternam felicitatem innuitur.

Πόλις Θεοῦ ζῶντος, ἐπουράνιος πατρίς Hebr. 12, 22; 11, 16. consummatio regni divini, felicitas aeterna, animo obversata, imagine ad hanc illam nostram prope accedente.

Κληρονομία in locis Hebr. 9, 15. et 1 Petr. 1, 4. ubi manifesto inest significatio aeternae felicitatis. In aliis autem dictis, v. c. Actt. 20, 32. ubi est κληρονομία ἐν τοῖς ἡγιασμένοις, Ephes. 1, 14. 18. Coloss. 3, 24. ut et 1, 12. μερὶς κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί, et Ephes. 5, 5. κληρονομία ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ, cum significatio valeat usus fructus bonorum ad animum pertinentium Christi cultoribus communis, quis

---

31) Vide p. 109. not. 10. et magnam locorum vim, quae laudantur in Schl. Lex. N. T. voc. βασιλεία sub β) et γ) quorum tamen nonnullos ut huc referam, vix a me impetrare possum.

neget eatenus συνωνυμίαν exstare cum βασιλεία Θεοῦ et Χριστοῦ, quatenus ea pios ac probos sensus a nobis postulare et in nobis alere, quid quod eiusmodi sensibus interioribus contineri (Luc. 17, 21. 22.) nosque bonis, quae animum sustentant, omnigenis locupletare et ad eorum communionem convocare fertur Rom. 14, 17. Ephes. 5, 5. cll. v. 8. 9. Coloss. 1, 13. Matth. 13, 44—46. Refertur huc merito πολίτευμα ἐν οὐρανῷ, ius civitatis coelestis Philipp. 3, 20.

Est in his etiam locus κλήσει, quae ut ἡ ἄνω κλῆσις Philipp. 3, 14. aut ἐπουράνιος dicitur Hebr. 3, 1. ita cum regni coelorum notione, sive originem respicias coelestem sive finem et consummationem, quae in coelo exspectatur, sive quod Christus ipse regnum suum cum convivio, ad quod invitantur homines, et cum ipsa hac invitatione subinde contendit, maxime cognata haberi debet: videtur autem non modo ad ipsam aeternam felicitatem, sed maxime etiam ad animi perfectionem et bona mentis quaecunque, quibus in regno divino opera datur et quibus omnis vera felicitas nititur, hoc vocabulo respici.

Habet in his etiam locum κοινωνία τοῦ υἱοῦ Θεοῦ, Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν 1 Cor. 1, 9. licet vel iis, quae §. 3. recensentur, annumerari possit.

Pertinet ad hoc genus itidem παλιγγενεσία Matth. 19, 28. et alio quidem significatu Tit. 3, 5. quae tamen est magis rei peculiaris nota et singulare adtributum, quod et in aliam rem conditionemque cadere possit, (v. c. si a Romanorum dominatione liberati fuissent Iudaei) quam quod proprie synonymon dici possit. Similis est ratio τῆς ἐξουσίας τέκνα Θεοῦ γενέσθαι aut τοῦ ἐκ τοῦ Θεοῦ γεννηθῆναι Ioh. 1, 12. 14. nec non υἱοθεσίας, φωτός etc. Pertinet horum recensio ad Cap. IV. de bonis singulis, quorum in hoc regno per Christum nobis copia facta est.

Commemoranda est etiam περιποίησις tum activa significatione, qua ius denotat participandi bona mentis et vitae futurae, 1 Thessal. 5, 9. περιποίησις σωτηρίας 2 Thessal. 2, 14. δόξης τοῦ Κυρίου Hebr. 10, 39. τῆς ψυχῆς — tum passiva, qua peculium indicat in modum נחלה et ad nos refertur quos Christus sibi tales vindicavit Ephes. 1, 14. εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως i. e. περιποιηθέντων. — Deducimur quippe ad aliam eamque nobilissimam notionum familiam, cuius cum βασιλείᾳ Θεοῦ et Χριστοῦ cognationem et συνωνυμίαν gravissimi quilibet agnoscet momenti.

§. 3.

Synonyma, quae societatis Deo sacrae notionem innuunt.

Λαὸς εἰς περιποίησιν 1 Petr. 2, 9. aut περιούσιος Tit. 2, 14. quem scilicet Ἰησοῦς περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος Actt. 20, 28. (עם־סגלה Exod. 19, 6.) λαὸς Κυρίῳ κατεσκευασμένος Luc. 1, 17. ἐπὶ τῷ ὀνόματι Θεοῦ in rerum nexu et orationis perquam memorabili Actt. 15, 14. λαὸς Θεοῦ Hebr. 4, 9. λαὸς simpliciter Hebr. 2, 17. —— ἐκκλησία Θεοῦ, Χριστοῦ l. simpliciter Matth. 16, 18. ubi per ipsum membrorum parallelismum mihi videtur respondere βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν — estque hic unus, quod sciam, locus, ubi ab ipso Iesu hoc vocabulum fertur usurpatum aut potius quod ei respondit וקהל 1 Cor. 10, 32. Ephes. 3, 10. 21. Ephes. 1, 22. ecclesiae tanquam σώματι κεφαλή praeesse dicitur Iesus, ut et Coloss. 1, 24. Ephes. 5, 23—33. qui loci prae reliquis classici sunt censendi, nec non insignis ille 1 Tim. 3, 15. οἶκος Θεοῦ, ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος, collato v. 16. quemadmodum Ephes. 3, 21. ναὸς Θεοῦ[32]) ἅγιος, κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ

32) Dixeris, imaginem eiusmodi, quae non saepius quam semel occurrat, synonymon haberi non posse, sed omnis illa

ἐν πνεύματι Hebr. 12, 23. *ἐκκλησία πρωτοτόκων ἐν οὐρανῷ ἀπογεγραμμένων* — (Hinc derivandi et huc referendi etiam *ἐκλεκτοί* [Schl. Lex. no. 3. 4.], *ἐκλογή*, *κλητοὶ ἅγιοι* [33]), *ἡγιασμένοι*.) — *Ποίμνη*, *ποίμνιον* Luc. 12, 32. Ioh. 10, 1 — 16. ubi sub uno *ποιμένι* una *ποίμνη*, quam ille vel morte oppetenda sibi conciliaturus sit, exstitura praedicatur — *Κοινωνία Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν* 1 Cor. 1, 9. et Ephes. 3, 9. *κοινωνία τοῦ μυστηρίου τοῦ ἀποκεκρυμμένου ἀπὸ τῶν αἰώνων ἐν τῷ Θεῷ τὰ πάντα κτίσαντι διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ* — Philipp. 1, 5. *εἰς τὸ εὐαγγέλιον* 2, 1. *τοῦ πνεύματος*. Quodsi omnis eorum, qui per Dei filium ad bona mentis sibi comparanda deducuntur, piorum maxime coetus, haud raro *βασιλείας Θεοῦ* et *Χριστοῦ* formula significatur, (vid. pag. 108. not. 3. 4. et sub 6. Matth. 13, 47.) si paene in omnibus, ubi illa formula occurrit, locis haud obscure id agi innuitur, ut communis nobis eiusmodi bonorum usus fructus et ad salutem aeternam praeparatio existat: nos profecto non iniuria hanc uni-

---

classis imaginum, quae sensui, qui formulae *βασ. Θ.* passim inest, respondet, non immerito synonymis adnumerabitur.

33) Quos tamen 1 Cor. 1, 2. nuncupatos bi Michaelis (*Einleit. ins N. T.* T. II. p. 1212. ed. 4.) ad genus quoddam Sectariorum et Separatistarum eximiam sanctitatem affectantium Apostoloque infestorum refert in similitudinem מקרא קדש qui *τοῖς ὅ* sunt *κλητοὶ ἅγιοι*, tales scilicet, qui sibi diebus festis in aede conveniendi legem scripserint et quibus oppositi sint *πάντες οἱ ἐπικαλούμενοι τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰ. Χ.* Sed contorta mihi videtur explicatio et parum idonea omnisque orationis color talis, per quem in fronte epistolae malevolam eiusmodi salutationem vix aliquis exspectaverit, cum potius omnia satis commode ad promiscuam Christianorum Corinthi degentium nuncupationem referri queant.

versam notionum familiam *βασιλείας* v. 6. cognatam et *συνώνυμον* salutasse videbimur. Nec praeteriri hoc loco ac nomine potest nobile illud

Ἱεράτευμα βασίλειον 1 Petr. 2, 9. ut et *βασιλεία ἱερεῖς* (*ἱερέως*) sive legas *βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς* Apocal. 1, 6. cuius dictionis origines Exod. 19, 6. exstare constat, de quo loco, ut de omni re satis insigni, Pars. VIII. uberius tractandi materiam praebitura esset. Addant Colophonem.

§. 4.

Synonyma, quae ad animum eius, qui regnum istud condidit, et sensus, quibus institutum suum a nobis excipi voluit, respiciunt.

Χάρις et *πίστις*, quarum illa significatione quadam peculiari atque solemni, vel simpliciter dicta, praesertim ubi opponitur *νόμῳ* Rom. 5, 21. Galat. 5, 4. Ioh. 1, 17. Rom. 6, 14. non alia ut plurimum intelligitur, quam quae alibi *χάρις Θεοῦ* audit *δοθεῖσα ἡμῖν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* 1 Cor. 1, 4. 2 Tim. 2, 1. et Tit. 2, 11. *χάρις σωτήριος*: Ac ne vagum nimis dicendi genus videatur, adtendendum est ad dignitatis, quae nomini inest, notionem, liberum beneficium, quod benigne nobis exhibuit Deus per Iesum regem a se constitutum. Nonne hoc, qua parte in regni conditi notitia spectari potest voluntas eius, qui condidit, maxime synonymon fuerit *βασιλ. Θ.* quemadmodum et *λόγῳ χάριτος*, qui Apostolis celebratur v. c. Actt. 14, 3. adprime respondet *εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας*; ita ut similitudini demonstrandae locis in hanc rem multis excitatis vix opus esse censeam. Quod autem ad *πίστιν* adtinet (obiectivo scilicet sensu fidei, quae creditur et quidem peculiari modo creditur — sed fatendum est, propter hanc, quae simul inest, notionem aegre haud raro in scriptis Paulinis fidem subiectivo et obiectivo sensu discerni posse —)

tum quoniam eadem etiam aeque ac χάρις opponitur νόμῳ, tum quoniam βασιλείας Θεοῦ formulae passim inest notio doctrinae de regno caelorum (vid. p. 108. 5.), inter verba et notiones, quae hic locum habent, non immerito videtur referri.

§. 5.

Synonyma, quae ad notionem universam pertinent.

Unum est, quod omni ex parte tam forma, quam materia mihi videtur formulam nostram exhaurire, synonymon, scilicet ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ — ἥτις ἐστὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν Galat. 4, 26. (bene illa distinguenda ab Apocalypseos καινῇ Ἱερουσαλὴμ, quae partem tantum notionis universae exprimit et indici verborum sub β. annumeranda est,) per quam quis non videt omnem religionis formam omneque ad mores et religionem respiciens institutum, quae Christo debentur, una cum bonorum mentis usu fructu et futurae felicitatis spe, quae inde nascuntur, adumbrari? Quodsi Ephes. 2, 6. omnem orationis nexum contemplor, vix possum mihi temperare, quin illic et 1, 3. nec non 3, 10. τὰ ἐπουράνια simpliciter eandem rem, βασιλ. τῶν οὐρανῶν, significare existimem; scilicet non assequor, quomodo aptius et ad grammaticam verborum proprietatem adcommodatius συνεκάθισεν ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ explicari possit, quam fecit nos cives et participes regni coelestis, quod Christo subest et per eum consistit. — Simili modo per orationis nexum Ioh. 3, 12. τὰ ἐπουράνια opposita τοῖς ἐπιγείοις ad regnum Dei referuntur, sed in loco Ephes. 3, 10. verba ἐν τοῖς ἐπουρανίοις cum γνωρισθῇ tanquam instrumentum sunt iungenda, non cum ἐξουσίαις, qui est dativus obiecti.

CAPUT III. Epimetron.

§. 1.

Subtimidum me nomenclatoris munere in hac synonymorum formulae βασιλείας τ. Θ. X. recensione fungi fassus sum et etiamnum fateor. Quis enim dissimilitudinem ignoret, qua notionum illarum verborumque plurima pars per se a βασιλείας notione distat et quae tanta est interdum formae, interdum argumenti et ambitus, interdum utriusque, ut si de synonymo omni ex parte quis praedicare vellet, quae de verbo, quod cum eo contenditur, aut vice versa, ad prorsus absona delapsurus esset? At nos quidem quemadmodum concessimus, quid quod ipsi posuimus, quod in totum respondeat βασιλείας biblicae notioni συνώνυμον, nullum inveniri, imo ne quaeri quidem posse: (quo latius enim patet notionis ambitus, quo magis ipsa est ambigua et peculiaris formae atque argumenti, eo minus συνώνυμον sibi reperiet): ita et nobis dari velimus, quae ex parte cum singulis formulae illius significationibus passim obviis iisdemque ab una primaria pendentibus (ac dum singulae dignoscuntur, qua et illa primaria eruatur, viam munientibus,) conveniant, synonyma utique nec temere quaeri, nec nulla reperiri; tantoque lubentius id datum iri confidimus, quanto constat certius, vix ullam exstare notionem et formulam, quae magis per figuras (quas dicunt rhetores) a latiori ambitu ad arctiores limites restricta et formae et argumenti admittat συνωνυμίαν.

Quae quidem posita in hac omni caussa nostra quis non videt gravissimi esse momenti? Ut enim uniuscuiusque rei aut notionis mirifice auctam mihi video notitiam per ipsius cum aliis rebus comparationem et dum per partes, quid ei insit, ex similibus colligo: ita haec nostra formula, cuius monumenta historica dudum cor-

ruere, cuius in vitae nostrae ratione usus est rarior, non parum inclarescit similitudine verborum ac rerum, quae propius a nobis absunt, quibus, etiamsi singulae singulis tantum illius formulae significationibus respondeant, inter se collatis et invicem iunctis perfectior integrae notionis aestimatio existit.

§. 2.

Pauca nobis de recto synonymiae usu monenda restant, antequam variis, quas ex illis formulae nostrae homonymis didicimus, significationibus in unam notionem cogendis ab hoc loco discedamus.

1) Patet ante omnia, non ulterius ex quocunque synonymo ad notionis cognatae naturam colligi posse, quam quoad eius cum illa valet *συνωνυμία*.

2) Sed patet haud secius, intra iustos huius cognationis ac *συνωνυμίας* terminos nil negligi debere, quod uti cadit in *συνώνυμον*, hac parte spectatum, ac de eo recte praedicatur, ita, licet in cognata notione non ita diligenter adhuc sit observatum aestimatumque, etiam in hanc cadere, eiusque notitiam mirifice interdum iuvare censendum est.

3) Proderunt nobis synonyma, ut quisque videt, qua parte clarior et paratior eorum nobis adest notitia, quam notionis cognatae; nec magis eorundem negligendus est usus, ubi et ipsa maiori nobis premi videntur caligine, quam nostra formula. Dum enim illi ambiguitati removendae et illustrandae operam damus, non deerit quod et nostrae caussae lucem accendat. Talis est fortasse formula *λαὸς περιποιήσεως* cll. Tit. 2, 14. Ephes. 1, 14. et multo etiam magis *βασίλειον ἱεράτευμα*: quae, si *περιποιήσεως* ratio aestimetur, si, quid insit notioni populi, cuius singuli cives sacerdotali honore habentur et quasi ad familiam regis pertinent, perpendatur, naturam regni coelestis et *ἰδέαν* (licet illam ru-

diorem et subobscuram) mentibus humanis dudum infixam nobis patefacient. Posse tamen haec et alia huius generis, ut ordine suo per partes procedat rei omnis disquisitio, in locis sequentibus, ubi regni divini iura atque emolumenta et negotium Christi peculiare recensentur, plana demum fieri ac tunc demum nobis omnem *συνωνυμίας* usum aperiri, quid quod ipsum synonymorum numerum quodammodo succrescere, vix eget demonstratione.

4) Ut de synonymis, quae recte censeantur, nobis constet, ut de synonymi cuiuscunque natura et ambitu et ad cognatum (vellem brevitatis et perspicuitatis caussa novum nobis vocabulum permitti — synonymatum —) ratione idoneum sit iudicium, adtendendum est ad *συνωνυμίας* origines, sintne in ipsa rerum ac notionum natura, an in historia rerumque deinceps gestarum ordine ac vicissitudinibus, an in ingenio eius, qui alteram notionem alteri illustrandae inservire voluit, ductus et ipse nonnunquam peculiaribus *περιστάσεσι*. Ita *λαὸν Θεοῦ*[34]), *ἐκκλησίαν*, *ἁγίους* per naturam suam *βασιλείας Θεοῦ* synonyma censebis — *κληρονομίαν* — *μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί* ex usu loquendi et iudaicis antiquitatibus — *υἱοθεσίαν*, *χάριν Θεοῦ ἐν Χριστῷ*, *πίστιν* etc. ex singulari scriptt. ss., Pauli inprimis indole et pugna, quae ipsi fuit cum doctoribus iudaizantibus et *νόμου* observantiam flagitantibus, *ναὸν Θεοῦ*, *τὴν ἄνω Ἱερουσαλήμ* ex animi ad poeticas imagines se efferentis affectione ad synonymorum ordinem in hac nostra caussa se adiungere perspicies.

5) Quemadmodum angustior ut plurimum ambitus est synonymicae notionis quam synonymatae, ut adeo ea tantum huius particula, quae illi respondet, inde illustrari possit: ita et latior interdum reperiri potest,

34) licet hanc quoque denominationem historia niti largiendum sit.

ubi tamen maxime cavendum erit, ne quae insunt synonymato peculiares notae evanescant. Sic religionis in universum notioni tanquam latiori angustiorem βασιλείας Θεοῦ et Χριστοῦ notionem subesse nemo infitias ibit, sed praeter religionis per se omnis et ipsius etiam christianae argumentum adtendenda est singularis religionis forma, quam per regnum Christi et in isto regno peculium tenemus. Similis est ratio felicitatis futurae ac spei nos olim ea beatum iri universum, quae licet nobis in regno coelorum parata sit, est tamen peculiaris civitatis divinae per Christum stabilitae felicitas et spes felicitatis, quae regni divini formulae passim respondet.

Iam si ad synonymorum in superioribus indicem respicimus, quorum quadruplex fere forma se nobis obtulit, notasque illic dispersas in unum colligimus, existet nobis notionum quasi compages ferme haec: Maiestas Dei in morali hominum cultura et gubernatione conspicua, ab hominibus per unum ducem legatumque divinum coniunctis, huius ipsius reverentiae quam maxime adstrictis summisque animi bonis ac spe futurae felicitatis instructis publice agnita et pie culta. Quam utut tibi notionem ex ipsis, in quibus βασιλείας formula occurrit, locis inter se collatis aperiri contendas: at non diffitebere tamen, synonymorum comparatione non parum eam firmari et inclarescere. Est hinc commodus nobis transitus ad

PART. III.

De βασιλείας Θεοῦ I. Χριστοῦ Oppositis.

CAPUT I.

De oppositorum in universum notione.

Si verum est, quod dicunt, opposita iuxta se posita magis elucescere et a se invicem mutuari lucem;

acceptum utique nobis erit, quod adsunt in sermonibus Iesu et discipulorum, quae diserte regno coelorum opponuntur, eademque mox ipsa naturam huius regni illustrant, mox, quae sint, ex illa clarius nonnunquam descripta agnoscuntur. Cum tamen non admodum frequens sit diserta talis oppositio, ne quae eiusmodi occurrunt: notitiam nostram subterfugiant, de industria ad huius generis loca adtendere fas est et, quales sint, recte dispicere. Id autem vel maxime fiet tum, cum non modo, quae ipsi βασιλείας Θεοῦ formulae opponuntur, (sive cum illa coniunctim obviam sint, sive seorsim), verum etiam quae illius formulae nostrae synonymis tanquam opposita respondent, in censum vocaverimus. Est autem duplex oppositorum familia: altera defectiva, cum ei, quod est, opponitur, quod non est, cum, quae rei sint notae, inde colligitur, quando notae istae desiderantur, altera privativa, qualis in mathematica disciplina est quantitatis positivae et negativae, cum sibi opponuntur res diversae, quarum utraque per naturam suam alteram compensare ac tollere nititur aut re vera tollit. Itaque ab utraque parte spectanda nobis erunt tum ipsius, quae fertur, βασιλείας Θεοῦ, tum synonymorum eius opposita.

CAPUT II.

De defective oppositis notionis nostrae.

§. 1.

Defective quae regno coelorum opposita merito censeatur, fuerit ἀναρχίας conditio, in qua nulla legum divinarum auctoritas, nullum iis parendi studium, nulla eius, penes quem est summum ordinis rerum moralis arbitrium, reverentia, nullus beneficiis ab illo in usum communem exhibitis utendi animus aut certe propter ignorantiam l. praeiudicatas opiniones horum omnium levis admodum aestimatio, imo sua tantum se-

ctandi ac suopte duntaxat sensu vivendi libido, aut denique propter neglecta beneficia divina et contemtum eius, quem principem Deus Optimus Maximus illorum constituit administrum ademtum ius civitatis in regno coelorum. Quorum nonnulla βασιλείας Θεοῦ mentioni diserte ex adverso poni, constat ex locc. Luc. 14, 16—24.[35]) cll. ss. a v. 26—33. Matth. 22, 5.[36]) 11—14; 8, 11. 12.

§. 2.

Ex synonymis supra indicatis quod ad illa adtinet, quae maiestatem, potentiam ac splendorem divini imperii insigniunt, et ad vim numinis in animo nostro, prouti eius notionem infixam menti tenemus, referuntur, possent his defective opposita haberi, quae occurrunt Rom. 1, 21. 22. 23. sed insunt multa, quibus contemplandis aptior locus erit in recensione eorum, quae privative opposita sunt β. τ. ο.

§. 3.

Felicitati, quae civibus regni divini aeterna promittitur in vita futura et quae ut saepissime regnum coelorum audit, ita et δόξης ζωῆς, κληρονομίας αἰωνίου

35) Demonstrat v. 15., suppleri debere in fronte parabolae formam Matthaeo maxime solemnem: „Simile est regnum coelorem homini etc." aut certe quae sequuntur ad institutionem Iesu de regno Dei pertinere. Respicit nimirum ista exclamatio convivae cuiusdam quae iterum a v. 14. pendet, ad exspectationem Iudaeorum de convivio olim cum Abrahamo et rell. patriarchis in caelo celebrando, ad quae Iesus regerit, deesse tamen plerisque eam animi indolem, quae bonis in regno divino oblatis religiose excipiendis idonea sit.

36) Nam quae insunt vv. 6—8. ad alterum oppositorum genus referri debent.

vocabulis significatur, in hac nostra oppositorum classe non quidem d e f e c t u s f e l i c i t a t i s respondet, (nil enim, quod sciam, medium aut quasi neutrum inter statum vitae futurae felicem et miserum in N. T. commemoratur, nec adest in rerum natura, nam felicitate, quam appetis, carere et quidem ita, ut huius defectus tibi conscius sis, id ipsum est miserum esse) — respondet vero d e f i c i e n s s p e s f e l i c i t a t i s i l l i u s, quid quod omnis omnino vitae post mortem continuandae, qualis ἐν τοῖς λοιποῖς — hominibus a Christi coetu alienis, quibus nulla luctus ob morte ademtos consolatio — carpitur 1 Thessal. 4, 13. cll. Ephes. 2, 12. 1 Cor. 15, 32. feruntur que alibi οἱ ἄρχοντες τοῦ αἰῶνος τούτου, potentissimi aevi illius homines, hanc δόξαν a Deo nobis destinatam prorsus ignorasse, quippe qui alioquin Κύριον τῆς δόξης (qui viam ad eam monstravit munivitque) cruci non adfixissent 1 Cor. 2, 8.

Notandum tamen praeterea ab hac parte σάκρξ καὶ αἷμα naturam hominum corpoream, ipsi Θεοῦ βασιλείᾳ defective opponi et ab illa secludi, quoniam scilicet ἡ φθορὰ τὴν ἀφθαρσίαν[37]) οὐ κληρονομῇ, quod per se sit corruptioni et eversioni obnoxium, naturae immortalis compos fieri atque cogitari non queat.

Qui κληρονομίας potissimum vocabulo piorum Christi cultorum iam in hac vita non parum beatus depingitur status, idemque iure suo homonymis βασ. Θεοῦ eximiam iam in praesenti civium conditionem insignien-

37) En iterum quod ex oppositione et parallelismo noscitur. βασιλείας Θεοῦ ab hac parte spectatae ὁμώνυμον — σὰρξ καὶ αἷμα φθορᾶς: cognatum igitur, quod huic opponitur, συνώνυμον est eius quod illi respondet. Sensus autem loci illius est, quoad animalem nostri partem nullo nobis est in regno Dei civitas nec fas est sperare, hoc vile et fragile corpus eo translatum iri, ubi regni divini erit consummatio. cf. Matth. 22, 30.

tis adnumeratur, ab illis, qui nulla quidem sua culpa notitia Christi caruerant, at caruerant tamen, aut ante eius aetatem vixerant, abfuisse eosque, licet non diserte Deo reprobarentur, defecisse innuitur Ephes. 2, 1—12. Cum tamen huic et similibus locis v. c. 4, 18. multa etiam adsint, quae privative regno coelorum, (quatenus denotat felicitatem, quae cum usufructu bonorum mentis iam in hac vita inchoatur), opposita censeri debeant, commodius in his tractabuntur.

§. 6.

Restant ab hac parte spectanda, quae ἐκκλησίας et similium notionum defective opposita inveniuntur utpote gravissimorum βκσ. Θ. synonymorum. In his quis non agnoscit loca, ubi partim ipse Iesus populum velut oves pastore destitutas oberrare et communi ad salutem duce egere (Matth. 9, 36.) aut a pravis magistris in errorem deduci et praeceptis arbitrariis onerari conqueritur (Matth 11, 28. 30.), partim Apostolus 1 Petr. 2, 25. nobilissima vaticiniorum Iesaiae verba (Ies. 53, 6.) ad depingendam tristem humani generis inprimis inter gentiles conditionem ante Christi labores exantlatos excitat, suisque ποιμένα et ἐπίσκοπον ψυχῶν gratulatur, ad quem confugiant, et ut ille ipsorum curam gerat, ita in eum tanquam in exemplar tolerantiae intueantur et constantiae. Idem etiam magis perspicue innuitur ab eodem 2, 10. ubi qui לא־עם fuissent iidemque misericordia divina adhuc destituti, singulari tamen Dei gratia in populum Deo sacrum coacti et ex tenebris in lucem vidicati praedicantur. Pertinere huc etiam videntur τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ τὰ διεσκορπισμένα Ioh. 11, 52. et si quae alia sunt in N. T. loca, ubi homines, quibus promtior ad meliora animus, solitarii virtutis tramitem quaerentes, at genio passim indulgentes, ad peiora rursus delabi dicuntur, donec ad commune pie-

tatis studium Christo duce convocati feliciora facerent virtutis incrementa.

Χάριτος oppositum et quidem satis memorabile cognoscemus in altera classe, ad quam nunc pergendum est.

CAPUT III.

De privative oppositis regni coelorum.

§. 1.

Privative regno Dei opposita existimabimus ea, quae ubi perstiterint, emerserint et incrementa ceperint, natura sua et vi quadam ingenita in regni divini ruinam vergant, necesse est, quorum in partes ubi concesseris, regni istius civitatem illico amisisse censendus es, quibus evertendis regnum Dei et Christi destinatum esse intelligimus.

§. 2.

Regnum Satanae.

Et constat quidem, quae latissime pateat, huic Dei regno ex adverso positam notionem esse *βασιλείας* l. *ἐξουσίας τοῦ Σατανᾶ*, *Διαβόλου*, *Πονηροῦ*, *Ἄρχοντος τοῦ κόσμου* etc. Actt. 26, 18. etc. Non nostrum est, hoc loco in caussas huius notionis, quae in philosophiae orientalis placitis altissimas egit radices, inquirere, et multo etiam minus, quid de re in se spectata statuendum sit, dirimere, quamquam, quod obiter moneam, non temere quis forte coniiciat, vel ipsam regni divini ac coelestis *ἰδέαν*, non quidem politicam (quam hebraicae originis esse nemo facile infitias iverit), sed

moralem[38]) et metaphysicam ex illa de pravi principii imperio opinione primordia traxisse et inde excultam aut, quo excoleretur, effectum esse: id unum abs re non fuerit adtigisse, quidnam sit illud, quod in Christianorum libris sacris ad Satanae regnum referatur, deinde vero etiam, quaenam sit Christi ac discipulorum hanc in rem communis sententia, quid isti pro re nata et occasione oblata peculiare sibi vindicent, denique quid inde ad regni divini indolem perspiciendam colligi queat.

Tribuitur ergo Satanae in Iesu sermonibus, quod λόγος passim a singulis flocci penditur et ex eorum pectore quasi eripitur Luc. 8, 12. ubi id ipsum notandum est, hunc Matth. 13, 19.[39]) finitius λόγον τῆς βασιλείας nuncupari, ut adeo, quod huius doctrinae de regno

38) Est mali et molesti antiquior nobis sensus quam boni ac iucundi; et licet expergefactae sui conscientiae hominibus obscure saltem prima omnium exorta statui debeat divinae naturae in universum cogitatio ac reverentia; at tot illi tamque ingentibus vexati malis, quorum plurima pars ex prava voluntate et late grassata vitiositate, quid quod ab ipsorum vitiis iis nasci visa est, de pravi principii per mundum imperio prius cogitasse, quam de Dei regno morali, imo ut de hoc cogitarent, per illam notionem adacti demum videntur.

39) Fueritne minutum, observare, quod in iis, qui ob nimiam in servando λόγῳ τ. β. inconstantiam aut divitiarum curam partim sementi in agrum petrosum delapsae partim frumento a spinis oppresso aequiparantur, nulla est Satanae mentio, (nimirum illic non est infensus et temerarius in λόγον istum animus), et quod Matth. 15, 18. 19. pravissima quaeque animi sensa in vita et moribus hominum conspicua ex pectoris latebris prodire narrantur, nec rursus hic et alibi, ubi privata tantum et peculiaris cuique vitiositas urgetur, Satanas commemoratur, quod vel in illo loco nobilissimo Luc. 16, 19 ss. ubi tristis in inferno conditio hominis vita functi, qui dum viveret, divitiis abusus erat, depingitur, nullus est ad Satanam molestamque eius societatem respectus.

Dei tanta sit in quam plurimis negligentia, a m
late grassante derivetur. Fertur itidem diabo
factum, ut inter frumentum zizania propullul
13, 28. 39. ut civitas Dei vexetur ab immi
num alia omnia sectantium et pacem lacessenti
quae tamen absque graviori civitatis illius d
adhuc inde divelli non possit. Describitur id
siae et regni ab illo condendi acerrimus ad
quasi pater eorum, qui filium Dei reprobent
rem gerere detrectent Ioh. 8, 44. et ἀνθρωποκτόν
humanae ἀπ' ἀρχῆς, oppressor v. 45. qui Messi
dio tollere satagat Ioh. 14, 30. Luc. 22, 53.
tamen hac ipsa Christi morte et rebus eam pra
tibus nec non πνεύματος discipulis illius opitula
sidio debellatum et damnatum Ioh. 12, 31; 1
quid quod in extremo, quod Christus de adve

40) Non possum mihi temperare, quin ἐξουσίᾳ
hoc pravi genii imperium innui putem in similit
corum Iosuneorum.

41) Angelum mortis eundemque diabolum (Hebr. 2,
cupari principem mundi testimoniis rabbinicis
demonstravit Wetsten. ad h. l. eiusque rei causa
mum hanc narrat, quod Deus ei mundum integ
nationes omnes praeter iudaicam gentem interim
miserit et omni modo pessundandas. Nonne
causa in illis etiam Ioanneis locis valere existime
ficari nimirum ἄρχοντα κόσμου, qui ut dudum o
tes, excepta iudaica delere secum constituerit, ita
Messiae regnum solos inter Iudaeos condi et quic
tre voluerit nec aliud quidquam condi permiserit
ne, inquam, ἄρχου κόσμων illud potissimum h.
principium significet, quod hac tali opinione et
ne tantum consiliis Christi exsequendis impedime
trimenti adtulit? Solo in loco 14, 30. significa
mortis per se solus quadrat. Aliam denominatio
ipsum locum caussam adfert Lightfoot. hor. hel
nunc non moror.

coetus sui insectatoribus sumturus sit, supplicio cum adseclis ad πῦρ αἰώνιον relegatum iri certum sit Matth. 25, 41.

Semel ipse Iesus ex Lucae narratione 22, 31. singulorum constantiae a Satanae insidiis periculum imminere dicit, quemadmodum etiam Lucae 22,2. Ioannisque 13, 2. et 27. verba sunt, εἰσῆλθε ὁ Σατανᾶς εἰς Ἰούδαν — τοῦ διαβόλου ἤδη βεβληκότος εἰς τὴν καρδίαν Ἰούδα — ἵνα αὐτὸν παραδῷ — manet tamen et hic, id agi, ut Messiae eiusque regno officiatur, Satanaeque ἐνέργειαν inde repeti, quod illis infestus sit, quam et Schleussneri V. S. V. ipsum Ioh. 13, 2. locum excitantis laetus cognovi sententiam [42]).

Cum tamen etiam saepissime ab aegrotis iisque potissimum vesanis ac morbo comitiali adfectis, nonnunquam etiam imbecillibus (Luc. 13, 11 — 17. putem mente captam et membris quasi solutis infirmam ab epilepsia [gelähmt und blödsinnig] describi) impuros spiritus propulisse Iesus narretur, ipse etiam se id patrasse profiteatur Luc. 11, 20. et 13, 16. 32. (ubi verbis ἐκβάλλω δαιμόνια statim additur καὶ ἰάσεις ἐπιτελῶ, quemadmodum Matth. 12, 22. simpliciter extat ἐθεράπευσε δαι-

42) Si verum est, quod cum omni Iudae Cariothensis agendi ratione satis bene concinit, non eum tam odio magistri aut dolo malo prodendi illius partes suscepisse, quam potius hoc consilio et hac exspectatione, fore, ut Iesus per eximiam potentiam, debellatis hostibus, regnum tandem conditurus esset, dummodo pressus ab adversariis consilii inopiam et dubitationes frangere, vires colligere ac potenter exserere cogeretur, possit etiam ideo a Satana actus videri, quod Iudaica opinio, quae terrestre desiderabat Messiae regnum et hac parte Iesu consiliis acerrime adversabatur, omnium maxime ad Satanam referri solita est, cf. quae supra ad Ioh. 14, 30. monuimus, nec inepte, quod Petri obiurgationi inest, Satanae vocabulum Matth. 16, 23. huc respicere existimandum putem.

μονιζόμενον): proderit monuisse, non aeque hanc omnem ut plurimum Satanae notionem a Iesu spectari, ubi corporis infirmitatibus succurrit, quae a geniis malis per usum loquendi inveteratum repetebantur, atque spectatur, ubi ad Satanae partes personamque moralem respicitur, imo ne eadem quidem utrobique esse verba. Corporis mala per δαιμόνια l. δαίμονας, πνεύματα ἀκάθαρτα, πνεύματα δαιμονίων, δαίμονας ἀλάλους, κωφούς, ἀσθενείας, quorum singuli, quid quod interdum complures singulis insunt aegrotis, inflicta feruntur, ita nonnunquam, ut Βεελζεβούλ, Σατανᾶς, naturis istis quasi princeps praeesse iisque quasi instrumentis ad discruciandos et constringendos aegrotos uti perhibeatur, semel tantum, nec id quidem in evangeliis, sed Act. 10, 38. (in oratione Petri) hi omnes, quos Christus sanavit, καταδυναστευόμενοι ὑπὸ τοῦ διαβόλου dicantur.

Aliao διαβόλου, πονηροῦ et ἄρχοντος τοῦ κόσμου τούτου; ut et plerumque Satanae morales sunt partes, in quibus ne uno quidem N. T. loco δαιμονίων fit mentio[43]. Nec

---

43) Occurrit quidem 1 Cor. 10, 20. 21. δαιμονίοις θύειν, δαιμονίων κοινωνὸν esse — δαιμ. τράπεζα — ποτήριον: ibi de numinibus gentilium, quae a Graecis δαίμονας appellari constat, sermo est, quae quidem satis vero simile est tanquam spiritus impuros aut Satanae inservientes ab Apostolo spectari; sed non morales eorum illic partes esse, in propatulo est. Locus 1 Tim. 4, 1. προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων videtur verti debere, „caventes vobis a doctoribus errori deditis eorumque figmentis de daemonibus" (respiciens scilicet ad Essenorum daemonologiae somnia), quemadmodum conceditur, 1 Ioh. 4. πνεῦμα significare doctorem, et Matth. 13, 19. λόγος βασιλείας est idem, qui περὶ βασιλείας. Ad Iacob 2, 19. δαιμόνια πιστεύουσι, (Θεὸν εἶναι) καὶ φρίσσουσι, plausu sane digna videtur Wetstenii sententia, innui spiritus impuros, qui aegrotis inesse et nomine divino nuncupato pulsi, ἐξορκισθέντες, tremere putabantur: sint tamen per me mali genii simpliciter, quos recte sane Apostolus ad Deum intuentes metu ac terrore

est ea in animos et mores hominum diaboli vis, a Iesu maxime celebrata, talis, quae singulis naturis l. personis in singulos homines seorsim degentes et res suas agentes tribuatur, sed quae ab universa quadam mali genii — dicas natura an notione? — repetatur, seque in multitudine, quid quod universitate hominum et per eam exserat, et ubi singulos adtingere fertur, ad eorum cum Christo eiusque negotio necessitudinem ubique respiciat, verbo quae semper Messiae eiusque et Dei regno officiat. Non alius inprimis ab initio διάβολος l. πονηρός introducitur, ubi ipse Iesus ab eo multis modis perhibetur tentatus; ac si quis dicat, scriptores sacros, (quorum nemo rei interfuit testis, et quos ne constat quidem de singulis, quae ibi evenerint, a Iesu aliquid narrando accepisse,) illic sententiam suam de modo, quo ad munus obeundum Christus se praeparaverit et impedimentis ei adversantibus obviam ire secum constituerit, aperuisse[44]) aut fortasse symbolicam ipsius Iesu de vario pugnae genere, quod Messiae eiusque sectatoribus cum pravo genio ineundum fuerit et futurum sit, descriptionem nobiscum communicasse, prope is mihi a vero abesse videatur. Imo quae et de Satanae l. ἄρχοντος δαιμονίων in aegrotis per πνεύματα ἀκάθαρτα excruciandis vi et efficacia passim occurrunt[45]), ad universum principium ideo videntur referri, quo innuatur, haec cum opere, negotio et regno Messiae cohaerere, nec obscure locus ille memorabilis Luc. 10, 18. ubi Iesus se Σατανᾶ ὡς

confici debere dixerit, at nihil sententiam nostram nec de re universa, nec de usu loquendi infringi patet.

44) Non obscure apocrypha eiusmodi, ut ita dicam, narrationis origo patere mihi videtur ex brevi et perfunctoria quodammodo Marci traditione 1, 13.

45) Non dico de calumniis Iudaeorum, v. c. Matth. 12. sed de ipsis, quae Iesu hanc in rem dicta tribuuntur aut a scriptoribus ita traduntur.

ἀστραπὴν ἐξ οὐρανοῦ πεσόντα vidisse praedicat, ad superstitionem, quae daemonum vim in hominibus physicam statuebat potentia Christi exstirpandam, pertinere quis coniiciat, ac satis etiam conspicua est Luc. 11. viri divini in foeda popularium de daemonibus commenta et exorcisticas fraudes indignatio.

Similis est et in Apostolis notionem Satanae spectandi et diiudicandi ratio, diversa tamen nonnunquam ad eam respiciendi caussa, diversum eius commemorandae consilium. Parum iis rei est cum daemonibus impuris in singulorum corpora saevientibus, tum quod illud morborum genus post Iesu fata rarius in monumentis historicis occurrit, nec semper ita felix eius sanandi conatus, (qui nomen quidem Iesu praetexens ipse tamen rursus in exorcistarum lenocinia passim delapsus est) videtur processisse (Actt. 19, 13.), tum quod omne istud argumentum ad institutionem et admonitionem per epistolas minus pertinere potuit. Frequens iis est absque respectu ad malum genium usus vocis διάβολος de male feriatis internam societatis christianae pacem per calumnias labefactantibus hominibus, nonnunquam etiam de adversariis, qui Christianorum rebus externis insidiabantur, quo praeter loca 1 Tim. 3, 11. et alia a Schleussnero laudata referenda etiam putem Iac. 4, 7. 1 Petr. 5, 9. ut 2 Tim. 2, 26. Est Paulo inprimis acris cum superstitione et commentis angelologiae ac daemonologiae Iudaeorum, maxime Essenorum[46]), pugna, quo pertinere videntur Ephes. 1, 21. ut et passim quae 2, 1 — 12. leguntur, nec non 6, 11 — 16. et 1 Tim. 4, 1. nec obscure ille has ipsas nugas et fraudes, quae tantopere rei christianae incrementis officiebant, ab im-

46) Quas philosophiae nomine venire (Coloss. 2, 8.), constat e Ioseph. B. I. II, c. 2. §. 13 — 18. cf. *Michaelis Einleit. ins N. T.* T. II. p. 1278. ed. 4.

postorum coryphaeo diabolo videtur repetere[47]). Est
omnium maxime dignum memoria, quod Hebr. 2, 14.
morte Christi[48]), qui adhuc κράτος θανάτου habuerit dia-
bolus abolitus (καταργηθῆναι) dicitur, mortis scilicet me-
tu pulso (v. 15.) et proscripta superstitiosa de Satanae
in mortem imperio opinione. Est luce clarius, homi-
nes vitiosos ideo subinde ἐκ τοῦ διαβόλου aut eius υἱούς
dici, eosdemque vel ipsius Satanae nomine insigniri aut
ei aequiparari (Ioh. 8, 41. 1 Ioh. 3, 8. 10. 12. Actt. 13,
10. 2 Cor. 2, 11; 11, 14.[49]) non quo seorsum Satanas

---

47) Foret operae pretium in singulorum N. T. scriptorum pneumatologiam atque in primis de Satana sententias inquirere, non omissis iis, qui etsi de rebus gestis sospitatoris nostri ac discipulorum eius tradunt, tamen quisque narrationis colorem ingeniique indolem ac de rebus a se traditis iudicandi modum peculiarem servant. V. c. quemcunque statuas Ioanni in evangelio concinnando finem fuisse: memoratu dignum est, inter omnes quas ille habet non paucas de miraculis a Christo patratis narrationes, ne unam quidem, quod meminerim, de daemone pulso in illius de vita Iesu commentariis reperiri, quin eidem fere soli passim loquutionem δαιμόνιον ἔχειν disertis verbis nil aliud valere, quam μαίνεσθαι (Ioh. 7, 20; 10, 20. 21.) rem ei ad meram phrasin, in qua de verbi proprietate ne quaeritur quidem, redire, cum idem multus sit tam in evangelio, quam ep. I. et apocalypsi in urgenda perversitate morali, quae Satanae propria sit eique nos similes reddat, qua fiat, ut eius opus exaequamur, quae et ipsa amore Christianorum mutuo exstirpando, Christiani nominis professoribus male vexandis omninoque regno Christi turbando ac, si fieri possit, evertendo se exserat. At Petrum cum Iuda multo magis iudaicis a opinionibus pependisse in propatulo est.

48) Quae quomodo cohaereant, demonstrandum foret Part. tractationis VII.

49) Quod 1 Tim. 5, 15. viduae dicuntur ἐκτραπῆναι ὀπίσω τοῦ σατανᾶ, id quid sibi velit, per versus 15. contextum satis patet. Iubet eas denuo maritis nubere Paulus, ne las-

in singulos agere existimetur aut innuatur, sed quo in universum indole eius ferri, eum imitari et ad modum eius regno et rebus Christi officere significentur. Omnia igitur quae ex N. T. et inprimis ipsius Iesu, non doctrina, (talis enim, quae hoc argumentum tractet, non adest) sed passim super hac re sparsis et ad eam spectantibus dictis et factis colligitur Satanae notio, haec est: cogitari pravum principium[50], quod obsit, ne in negotio exsequendo et absolvendo Messias emergat, ne ille in pio Dei cultu, in virtutis exercitio, in usufructu bonorum, quae mentis sunt et ad hanc aeque ac futuram vitam pertinent, homines consociet[51]), verbo:

---

civientes et amorum adpetentes, ἀφορμὴν διδῶσι τῷ ἀντικειμένῳ λοιδορίας χάριν. Est ergo ἐκτραπῆναι ὀπίσω τοῦ σατανᾶ nihil aliud, nisi rerum Christianarum adversariis calumniandi materiem atque opportunitatem praebere et ita quasi cum iis facere.

50) Sunt eius elementa, pravum libidinis, ut quaeque est foedissima, explendae et sua tantum sectandi commoda studium cum praefracti mendacii veneficiis ac, si opus sit, saevissima violentia coniunctum, quatenus ista cuncta societatem hominum, quae nititur rerum ordine morali eique atabiliendo inservit, evertere nituntur, quo id fiat certius, ipsa societatem depravatorum hominum cient et, ubi factum est, exsecrabilem consociatis laetitiam ingignunt. Sic pestis aut morbi cuiuscunque contagium in hominum consortio oritur ac perficitur.

51) Expensis N. T. locis, quae huc faciunt, cum de his mihi persuasissem, non parum delectatus sum legendis verbis, quae sunt Schleussneri, V. S. V. in Lexico N. T. v. διάβολος vers. fin. „In N. T. διαβόλου nomine innuitur, quic„quid rei Christianae et Christo adversum tentatur ac pera„gitur, maxime vero calamitates ac persequutiones, quibus„cum Christi et App. aetate Christianis conflictandum et „quae Satanae auctori vulgo tribui solebant."

ne sit illius auspiciis ethico-religiosa hominum societas et quasi respublica, unde etiam fiat, ut et singuli morum pravitati singulatim se dedant.

Quorsum autem haec disputavimus? Nimirum adparet, veluti lucidas picturae partes umbra iuxta posita, ita regni divini naturam, dum ad regnum diaboli, quale in ss. ss. N. T. adest, adtendimus, quam maxime nobis elucescere debere ac re vera elucescere. Itaque cum per doctrinam evangelicam, quid quod per ipsius sanae rationis decreta, liberum arbitrium postulantis, regnum Satanae non aliud sit, nisi communio errorum, superstitionis, impietatis atque iniustitiae, quae subinde per pravam indolem magis magisque invalescentem inter homines exorta est atque huic indoli latius serpenti magis magisque excolendae ad evertenda optima quaeque indies materiam praebet, ita regnum Dei et Christi, qua illi ex adverso ponitur, est consociatio hominum, quae indole animi ad rectae rationis praecepta et divinarum legum observantiam, et maxime quidem per Christi doctrinam, exemplum omneque negotium efformata nititur ipsaque potissimum huic indoli augendae et amplius perficiendae[52]) inservit. In qua quidem ad finem bonorum sectandum consociatione quis non videt ex sententia Christi et Apostolorum nobis in primis adesse πνεῦμα ἅγιον, cuius utique religione, quae per Christum instaurata est, suscipienda et ad societatem cultorum Dei, quae Christi auspiciis coaluit, sese adiungendo Christiani homines participes facti feruntur, quo post magistri demum adhinc migrationem, cum in eiusmodi societatem coiissent, ipsos intimos Iesu disci-

---

52) Cogitari velim in hac descriptione utriusque duo potissimum elementa, 1) vim boni aut mali principii in consociatione hominum se exserentem, 2) eos, in quibus illa vis se exserit.

pulos[53]) instructos esse, quia tunc demum instrui potuisse ex ipsius Iesu institutione accepimus, (Ioh. 14. 15. 16.), quod per hanc praestantissimorum bonorum communionem in iis magis indies se exserere debuit ac potuit, atque etiamnum sese exserere debet et potest.

§. 3.

Κόσμος.

Satanam, diabolum, πονηρόν, ἄρχοντα τοῦ κόσμου vidimus gravissimum regni divini ac Messiae adversarium describi, nec aliam eius cum in omne humanum genus tum in singulos commemorari efficaciam, quam quae et obnitatur regno Dei et cui penitus exstirpandae omnibus modis Christus se accingat, idque dum agat, regnum suum stabiliri demonstret (Luc. 10, 18. ss. 11, 20.). Iam proxima nobis adest ex regni divini eiusque homonymorum oppositis notio κόσμου. Ac debebat quidem haec ipsa in defective βασιλείᾳ Θεοῦ oppositis enumerari. Constat enim, κόσμῳ saepissime ex usu loquendi N. T. absque ulla morum reprehensione, quid quod interdum sine ullo ad mores respectu, v. c. Ioh. 18, 30. (qui locus cum similibus ad mox ss. ne pertinet quidem), denotari omnem hominum gregatim per orbem terrarum diffusorum multitudinem, quos ideo non temere videmur et ipsos a regno Dei recludere eique defective opponere, quod alii iuxta alios, ut fors tulit, per terram sparsi, non aliis, quam commodorum necessitatumque vitae et appetitionum animalium vinculis continentur[54]), neque omnino qua tales spectantur,

53) Huic ipsi πνεύματι ἁγίῳ tanquam infestus opponitur Satanas Actt. 5, 3.

54) *Ein Aggregat der Menschen, eine Masse ohne alle moralische Verbindung unter sich gedacht, oder so wie sie der Zufall und das sinnliche Bedürfniss zusammenge-*

qui ad finem bonorum sectandum religione et legibus ethicis consociati sint, inde vero non iniuria civitate regni coelestis adhuc carere, at iidem ex divina clementia, si velint, eius compotes fieri debere per Christum existimantur. Ioh. 1, 10; 3, 16. 17; 6, 33. Cum tamen, ut patet e Ioh. 12, 19. Iudaeorum proceres, utpote homines spectatae prae ceteris sapientiae et sanctitatis sibi visi, reliquum populum, tanquam profanum vulgus, κόσμου nota inurere non dubitaverint; enm κόσμος עוֹלָם, הָעוֹלָם, אמות ut e multis a Wetstenio ad Ioh. 12, 31. locis rabbinicis excitatis patet, omnino Iudaeis fuerit omnis exterarum gentium ut plurimum ipsis, (quibus solenne fuit populum Dei sese iactare), infestarum turba, quas ad eversionem permissas τῷ רב עולם l. סר עולם κοσμοκράτορι, ἄρχοντι τοῦ κόσμου putarunt: factum hinc est, ut ipsi, (quae sane admodum acerba censeri debet reprehensio), primi omnium Iudaei, κόσμον sibi ex adverso statuere[55]) soliti, κόσμος a Christo nuncuparentur, perditissimi quippe regni ab illo condendi adversarii — Ioh. 7, 7; 14, 31; 15, 18. multaque inprimis Cap. 17 loca, Gal. 4, 3; 6, 14. Coloss. 2, 8. 20.[56]). Translatum id deinde etiam

bracht hat, höchstens nur durch äusserliche Rechtsverhältnisse verbunden — im Gegensatz eines Systems von geselliger Vereinigung, das durch ethisch-religiöse Gesetze und Zwecke zusammen gehalten wird.

55) Ad hunc Iudaeorum usum loquendi aestimandus est locus Rom. 11, 12. 15. cui tamen, licet morem popularium servet Apostolus, nihil erga exteros invidiae inest.

56) Nisi tamen quis κόσμον in h. l. et Gal. 4, 3. de tempore, quod praecessit, Iudaeisque עוֹלָם הַזֶּה aut רִשְׁאוֹן oppositum τοῦ הַבּוֹא aut אַחֲרוֹן (tempus ante Messiam, oppositum temporis Messiani) nuncupari solitum est, intelligere malit, quod mihi etiam propius ab Ap. sensu videtur abesse, at 6, 14. manifesto gens iudaica et necessitudo cum hac gente κόσμου vocabulo significatur.

ad gentiles, qui in Paulinis maxime scriptis qua adversarii rei christianae pariter atque Iudaei et cum illis promiscue *κόσμου* nomine veniunt 1 Cor. 1. 2. *Κόσμου* synonymon vel hoc sensu *αἰῶνα* passim occurrere tralatitium est 1 Cor. 1, 20; 2, 6. bis — (ubi *σοφία τοῦ αἰῶνος τούτου* plane eadem, quae 1, 20. *τοῦ κόσμου* ferebatur) — 2 Cor. 4, 4. *ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου* (qui erat in superioribus ad denominationes pravi principii adiungendus). — Vtrumque patet e diametro oppositum esse Christo eiusque regno. Sed duplex se nobis iterum, cum per rei naturam, tum per ea, quae diserte ss. ss. insunt, offert genus oppositionis.

a) Poterant scilicet odio ferri homines in Christum eiusque regnum propter peculiarem eius personam ac religionis ab eo patefactae formam, ut et modum, quo illa patefacta erat. Tale est, quod carpitur odium 57) omnium maxime in Iudaeis, quibus displicebat humilis Iesu Christum se professi conditio in his terris alienusque ab omni potentiae humanae ambitione animus, imo qui felicitati, qua ille suos beare pollicitus erat, recte aestimandae prorsus impares (1 Cor. 2, 8.) una cum procuratore romano ipsum necandum curaverant eiusque etiamnum partes acerrime insectabantur, tum vero etiam in gentilibus, quibus offensioni erat capitale Christi supplicium et simplex omnisque elegantioris doctrinae, qualem ipsi adamaverant, expers disciplina Christiana cum cultu numinum popularium 58) non magis quam cum philosophorum placitis temporumque, quae

57) vide praeter loca supra laudata 1 Ioh. 3, 1. 13; 4, 5; 5, 4.

58) vide quae satis invidiose in Christianos sunt dicta a Tacito Annal. 15, 44. cui se adiungit Sueton. Neron. 16, nec propensus in eos animus elucet e Plinii nota illa ep. lib. 10, 97.

videbatur, ratione congruens 1 Cor. 1, 23. et 2, 6. ut et 12. (ubi πνεύματι τοῦ κόσμου opponitur πνεῦμα Θεοῦ, cuius ope Paulus se τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ ἐρευνᾶν, intima dei consilia percontari posse profitetur), nec non 1 Cor. 11, 31. ubi per κόσμον rei Christianae qua talis adversarii manifesto innuuntur.

b) Sed poterant etiam homines alienos sese a Christo regnoque divino, quid quod utriusque adversarios praestare, sive per conditionem externam à partibus eius starent, sive nihil cum eo rei sibi esse vellent, dum nimia tenebantur rerum externarum cura et cupiditate, dum foedae cuicunque libidini indulgebant et a vitae sanctitate, qua una ius civitatis in regno divino teneri potest, desciscebant, dum omnino talem animi indolem vivendique rationem prae se ferebant, quae fragilia vitae commoda perpetuis animi bonis postponere et ob virtutis exercitium religionisque professionem ingenuam eamque publicam vel gravissimas aerumnas in se suscipere ipsique vitae valedicere dubitaret. Qua terrae dedita et quasi glebae adscripta indole non modo cum fide, quae Christo debetur et cum iusta religionis ab ipso instauratae (i. e. illius formae, qua regnum Dei per eum inter homines comparuit), aestimatione pugnari, sed omnem omnino regni divini ἰδέαν tolli, satis superque auctor est et ipse Iesus et unusquisque scriptorum sacrorum. Ut enim μεριμναῖς τοῦ αἰῶνος τούτου λόγος, (τῆς βασιλείας), quo minus fructus ferat, impediri, (Matth. 13, 22.) ut procurato ante omnia regno Dei recte demum bonis terrae et necessitatibus vitae operam dari, (Matth. 6, 33.) ut, si quis vel carissimis amoris vinculis propter regnum Dei valedicere dubitet, hunc se non dignum esse (Matth. 10, 37.) docet: ita et ipse Ioh. 8, 23. ἐκ τῶν κάτω et ἐκ τοῦ κόσμου esse, tanquam unum idemque, quod nihil aliud denotat, quam terrae deditum esse, τῷ ἐκ τῶν ἄνω et μὴ ἐκ τοῦ κόσμου εἶναι, al-

tiora, divina curare[59]), ex adverso ponit et bona vitae, quae ψυχῆς ζημιώσει comparentur κόσμου nota insignit: (Matth. 16, 26.[60]) ita apostolus 1 Ioh. 2, 15. κόσμου nomine fugienda monet, quaecunque ab amore Dei et ab altioribus animum abstrahant, libidinesque turpes ἐκ τοῦ κόσμου[61]) εἶναι testatur, quemadmodum et Iacob. 4, 4. κόσμου φιλίαν ἔχθραν τοῦ Θεοῦ praedicat, ubi rursus per omnem contextam orationem κόσμῳ non inest notio peculiaris erga Christi personam et partes odii, sed illius omnino sensus, quo omnis religio et ius civitatis in regno divino tollitur.

Iam cum κόσμος multitudinem hominum partim personae Christi formaeque regni ab illo conditi, (ut ge-

---

59) Non ignoro, haec ut plurimum de altioribus originibus intelligi, nec tamen illa, quam dedi, hanc interpretationem tolli arbitror, inest notio indolis ac sensuum, quae talem utrobique originem testantur, quemadmodum alibi v. c. in eo huius Cap. loco ubi Iesus Iudaeos ἐκ τοῦ διαβόλου esse ait, solam sensuum et indolis notionem praevalere, nemo infitias ibit.

60) Similem in modum etiam, Luc. 12, 30. τὰ ἔθνη τοῦ κόσμου dicuntur gentiles ultra terrae curas non sapientes.

61) Est et κόσμου notio hac parte spectata talis, in qua multa ut plurimum confusa ac ne in ipsa quidem scriptorum mente satis distincta iacent, nempe a) ista omnis rerum universitas et locus in quo versamur — b) res quibus tibi opus est, ut in hoc mundo degere possis c) homines cum omnino omnes, tum ii inprimis, qui res illas vitae sustentandae et commode degendae inservientes unice curant. Ut in locis laudatis omnium rarissime significatio sub c. notata unice valeat, inest tamen, in plerisque; et manet in iis notio eorum, quae a bonorum mentis cura aliena sunt et animum abstrahunt, manet hoc, esse discrimen inter hanc familiam significationum, quae in vocem istam cadunt et illam, quae ad usum loquendi mere Iudaicum efformata est; manet denique, utramque adversariam se offerre regno divino.

nius saeculi ferebat et etiamnum fert), recta adversantium, partim vitae curis et sensuum imperio nimium quantum deditorum et idcirco ius civitatis divinae abiicientium denotet[62]) quorum utrumque e diametro regno Dei eiusque inprimis synonymis, ecclesiae, coetui τῶν ἁγίων (1 Cor. 6, 2; 11, 32.) etc. oppositum esse iudicandum est: non anceps videri potest, quid insit regni divini notioni, quatenus κόσμῳ opposita est. Nil aliud scilicet, nisi ut significet consociationem hominum, quibus pia est eius reverentia, quem Deus imperio hominum morali et religioso praefecit administrum, et formae, quam huius imperii esse decrevit, qui vero etiam conveniunt in sensibus hominis altitudine dignis et supra terrae curas evectis, (quibus unice fieri potest, ut extet omnino societas ethico-religiosa), qui hac sua consociatione et religionis publicae forma uberrimam, eiusmodi sensus alendi et augendi, opportunitatem nanciscuntur.

Inveniet hic locum vocabulum, cuius licet non magna vis sit in illustranda re, quae nobis agitatur, omitti tamen non debet in recensione eorum, quae regno Dei Christique et iis, quae ad hoc regnum pertinent, refiagari feruntur, dico vocabulum Ioanni Ap. proprium, ἀντίχριστος, quo constat insigniri doctorum genus in ecclesia prisca Christiana, qui Iesum Messiam ac Deum eius patrem negarunt, nec in eo convenerunt Ἰησοῦν Χριστὸν profiteri ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα — 1 Ioh. 2, 18. 19. 22; 4, 3. 2 Ioh. 7. ex quibus certe hoc patet, quicunque regno Dei ex doctrina ss. ss. adiunctus existimari velit, huic cum omnino dignitatem Christi eiusque intimam cum Deo patre necessitudinem

62) *Theils dem Zeitgeiste, theils dem Weltsinne, der zu allen Zeiten dem Guten widerstrebt und das Reich Gottes untergräbt, ergebene Menschen.*

agnoscendam, tum inprimis Iesum tanquam in hac dignitate constitutum suspiciendum esse. Quinam illi fuerint illo tempore doctores, omnium optime docebit C. C. Tittmann. de vestigiis Gnosticor. in N. T. frustra quaesitis p. 179. ss. quicum contendisse non poenitebit Michaelis Einleitung ins N. T. Th. 2. p. 1516—51.

§. 4.

Opposita felicitatis per regnum Christi partae.

Vidimus in superioribus, bona mentis gravissima eorumque communionem, nec non felicitatem vitae futurae βασιλείας θεοῦ l. χριστοῦ formula quam saepissime significari, omninoque si constituenda sit universa notio, quae vocabulis istis insigniatur, a praecipuis eius notis partibusque hanc omnium minime posse abesse. Vidimus illi κληρονομίαν, κοινωνίαν τοῦ Ἰησοῦ χριστοῦ, υἱοθεσίαν, φῶς, δόξαν, ζωὴν αἰώνιον etc. tanquam synonyma respondere. Iam si quae sunt, quae his contraria ex adverso ponuntur, pertinet ad hunc ipsum disquisitionis locum, ut edoceamur, quid ex illis ad regni coelestis naturam, hac parte spectatam, colligi possit ac debeat. Quod potissimum idcirco non debebit negligi, quoniam ad caussas conditi regni divini et illius, quae a bonis illis oblatis origines traxit, synonymiae, nobis aperiendas plurimum videtur valere. Vberiorem ipsius per Christum recuperatae salutis explicationem ad tractationis, cuius integrae primas in superioribus adumbravimus lineas, Part. IV., ubi de fine, qui nobis regni illius patefactus est ac de beneficiis inde ad nos redundantibus disserendum foret, pertinere, non est, quod demonstremus.

Ac tristis quidem illa, quae caussas instaurati per Christum, potenterque sustentati regni divini nobis ex-

plicat, sors hominum a civitate Dei alienorum eiusque adversariorum describitur duplicis generis, partim eorum, qui et ante Messiae tempora et illius aetate degentes iidemque nulla ipsius notitia imbuti ac de eiusmodi Dei consilio nihil ne ominati quidem ad eam mentis indolem et vitae rationem, quae cum regno Dei non concinit, qua vel ipsa illius vis evertitur, delapsi sunt, partim eorum, qui de bonis per Christum partis certiores facti, salutem illam divinitus sibi oblatam aut spreverunt et hostili animo rem Christianam insectati sunt, aut externa quidem conditione et professione coetui Christianorum adscripti, erroribus ac vitiis regno Dei exitiosis se dederunt. Nimirum illorum misera conditio de caussis auxilii per Christum ex divino consilio nobis praestiti et a nobis pie atque grato animo agnoscendi, quod hos, manere fertur exitium, de gravissimis, quibus a talis beneficii negligentia prohibemur, nos edocebit momentis.

a) Ad genus primo loco nominatum prima omnium merito refertur nobilis illa Ioannis Baptistae ad gentem iudaicam vociferatio Matth. 3, 1—12. Luc. 3, 4—17. qui, licet Iudaeorum de adspectabili regni Messiani forma et propagatione ipse tantum non imbutus opinionibus[63]), (Matth. 11, 2—6. 12.) ad mores tamen et

63) Iuvat per hanc opportunitatem commemorare libellum, cuius fortasse non ita pervulgata fuerit notitia, *de indole atque forma regni Messiae e mente Ioannis Baptistae*, auctore Christiano Victore Kindervatero (1802.). Bene libellus, elegantis ille atque copiosae eruditionis testis, de discrimine exposuit inter notionem, quam regni Messiani Ioh. Bapt. menti informaverat et illam, quae per Iesu disciplinam et negotium obtinuit, in quibus tamen, si quid supersit obscuri, videtur inde ortum, quod

morum emendationem illud regnum cum maxime pertinere, extremamque a vitiorum imperio ac morum depravatione, cum omni omnino civitati iudaicae, tum singulis civibus perniciem imminere, hinc etiam fore, ut Messias in pessimum quemque gravissimis poenis animadvertat, persuasum habuit.

Ex Christi sermonibus iure suo huc referuntur: parabola de filio deperdito, Luc. 15, 11 — 32. praesertim si cum Gu. Ab. Tellero aliisque gentilium sortem innui statuas, quibus dummodo ad meliorem mentem resipiscant et corrigi se patiantur salus a divina clementia non defutura sit, nec non omnia illa loca, ubi Iesus sibi consilium profitetur ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλός Luc. 19, 10. Matth. 18, 11. 14. aut se, donec in his terris degat, missum esse ad oves deperditas ex Israelitis Matth. 15, 24. cll. 10, 6. — deinde ubi non modo cum ovibus pastore destitutis, populares confert Matth. 9, 36. sed etiam qui se antecesserint, scholarum inter Iudaeos tunc temporis magistros ac sectarum coryphaeos et inprimis qui res novas moliti [64]) populo duces et liberatores se obtulerant, κλέπτας et λῃστάς nuncupat, a quibus misere deceptum in pessima quaeque

---

rationis; quae Christum inter et Ioannem intercessit, perquam exigua exstant vestigia.

64) cf. dissert. Kindervateri, p. 9., qui ad nonnullos eiusmodi latronum ac sicariorum antesignanos respiciens, quorum apud Ioseph. Archaeol. 17. et 18. est mentio, proprio sensu verba Iesu intelligenda existimat: nec tamen hos unice, quin praeter eos etiam pessimae indolis Iudaeorum magistros innui, quibuscum perpetua sospitatori pugna fuit, verosimile mihi esse fateor.

plebem ruere dolet eique se opitulatorem succurrere praedicat, Ioh. 10, 8. Matth. 11, 28—30, 23, 13. 15. 24. — denique omnium maxime illa loca, ubi enucleatius de detrimento exponit, quod morum doctrina ex Pharisaeorum cavillationibus et calumniis legum divinarum acceperit, et de morum corruptelis, quae inde ad plebem fluxerint — Matth. capp. 5, 7, et alibi. Constat de miseria indies aucta, constat itidem de depravatione iudaicae gentis, quam nemo non ex cordatioribus inter aequales Iesu conquestus est. Qui tamen ad mentis culturam, animi emendationem, morum disciplinam et religionis instaurationem nihil non referret, qui hanc unam et primariam in moribus labem latere censeret et in hac una tollenda, posthabitis aliis omnibus elaborandum sibi statueret, qui de desperatis Iudaeorum rebus civilibus in integrum restituendis ne cogitandum quidem, imo potius, quaecunque servare nec spes nec fas esset, ruinae permittenda arbitraretur, quin hac una via fieri posse existimaret, ut et popularium singuli meliori sorte digni ab incredibili nequissimorum vexatione in libertatem vindicarentur et ad ipsos gentiles[65]) omnesque omnino ubicunque orbis terrarum gentes veritatis saluberrimae lux penetraret, unus omnium Iesus ac solus post hominum memoriam celebrandus, nec aliud regnum, quam quod malorum istius generis[66]) et popularibus et optimo cuique ex quacunque gente medicinam adferret, condidisse censendus est.

---

65) Quam in rem quis non novit librum F. V. Reinhardi, *über den Plan, den der Stifter unserer Religion entworfen hat.*

66) Nec tamen ea sola esse, e quibus salvos Iesus homines praestiterit ac praestare se velle pollicitus sit, ideo contendo,

Ex App. sermonibus et scriptis ad hoc idem genus praeter orationes quasdam Petrinas, quae satis leniter Iudaeorum praeteritis temporibus errores et vitia atque etiamnum ἀπιστίαν erga Dei filium corrigunt, sed his malis et poenis inde metuendis fide in Christo ob resuscitationem e mortuis et spiritus divini vim in discipulis eius conspicuam collocata succurri debere innuunt, (Actt. 2, 14—36. 38—40; 3, 12—26. et ibi potissimum 13. 17. 19. 26.) vel maxime pertinet oratio Pauli coram Areopago habita, Actt. 17, 29. 30. ubi, satis modeste reprehensa idololatria, Deum, qui adhuc concesserit χρόνους τῆς ἀγνοίας, hominibus πανταχοῦ μετανοεῖν praecipere monet, nec non ex defensione coram Agrippa et Festo v. 18. et 23. ubi in fine ex prophetis ait se adseruisse, fore, ut φῶς καταγγέλλῃ χριστὸς τῷ λαῷ καὶ τοῖς ἔθνεσι, iudaicae genti et reliquis omnibus, qui ea luce adhuc caruissent. Sed disertius anceps et misera ex erroribus illis et vitiis enata conditio gentilium aeque ac Iudaeorum describitur Rom. 1, 18—32. et cap. 2. integro, ubi illi, qui γνόντες τὸν Θεὸν οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν — καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου in teterrima quaeque ruisse, hi quantumvis meliora edocti similibus se vitiis permisisse, fastu ex rectiore sibi concessa Dei notitia patefactaque lege divina elatos, tantoque maiorem inde culpam feruntur contraxisse. Non alia insunt loco Pau-

non immemor quippe eorum; quae Ioh. 3, 16.; 10, 10. scripta exstant, sed ad ea, quae in superioribus indicata sunt, dicta et facta sospitatoris pro temporis ratione primum omnium respexisse, in propatulo est. Fusior eorum omnium, per quae Iesus saluti nostrae consuluit ut et malorum, a quibus nos liberavit, descriptio a discipulis eius proficisci demum potuit absoluto omni magistri in his terris negotio.

lino Ephes. 2, 1 — 12., maxime 1. 3. 11. 12., ubi Christianis olim gentilibus pravam ex elapsis temporibus indolem, superstitionem et perperam facta et quod χωρὶς Χριστοῦ, ne exspectatione quidem Christi erecti, ne civitatis quidem Israeliticae ac bonorum, quae ibi promissa tenebantur, participes, quin spe destituti et a Deo alieni vixissent, in memoriam revocat, professus et ipse, se cum popularibus simili erroris libidinum et vitiositatis imperio subfuisse. Conferri et cum his contendi etiam merentur Galat. 4, 1 — 8. Coloss. 1, 13; 2, 13 — 15. Rom. capp. 5 — 7. Tit. 3, 3. denique locus saepius laudatus Hebr. 2, 15. de pulso mortis metu ex superstitione exorto. In his et similibus locis ἀγνοούμενοι, ἐν ἁμαρτίαις, ἐν ἀκαθαρσίᾳ, κατὰ σάρκα, κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τ. ε. περιπατῆσαι, ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου, ὑπ' ἐξουσίας τοῦ σκότους, σκοτισθέντες, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ Θεοῦ, (quae Deo placet, ex hebr.), νεκροί, νεκροὶ τοῖς παραπτώμασι, ἀποθανόντες, ἐν θανάτῳ, δοῦλοι, ἔνοχοι δουλείας fuisse praedicantur. Quos si regno divino adiunctos per Christum et cum illo necessitudinem, (κοινωνίαν τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ) γνωρισθέντας, φωτισθέντας, φῶς ἐν κυρίῳ, καινὴν κτῆσιν, κτισθέντας ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ἐπ' ἔργοις ἀγαθοῖς, ζωοποιηθέντας σὺν Χριστῷ ἀναγεγεννημένους εἰς ἐλπίδα ζῶσαν, ἐχθροὺς ὄντας Θεῷ καταλλαγῆναι legimus, quorum si ἐξαλειφθῆναι ἁμαρτίας, aut doctrinam Christi in libertatem vindicandis hominibus destinatam et idoneam esse, eum, patris instar, οὓς θέλει ζωοποιεῖν et pro vi a Deo ipsi concessa spirituali morte vinctos vitae reddere, qui ei obtemperent, hos μεταβεβηκέναι ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν, (Ioh. 7, 21. 24.) comperimus: nonne hoc ex malorum illorum et miseriae descriptione colligimus consilium caussamque conditi per Christum regni divini, **ut ne amplius homines sibi, libidinum arbitrio, pravae societatis pessimis exemplis, scholarum ineptiis et corruptelis permissi, ad idololatriam, ad su-**

perstitiosas et indignas de Deo opiniones, inde autem ad foedam vitiositatem devolvantur ac spe laeta destituantur, imo amore eius, qui se pro iis devoverit, capti, in eius exemplum intuiti, pio Dei cultu consecrati et societati optimi cuiusque adiuncti novos mores, novam vitae rationem induant, nova spe erigantur aeternaeque salutis olim fiant participes? —

b) Non est, quod in altero malorum genere diu commoremur, quae adversariis aut pravis et indignis regni divini civibus imminere feruntur. Constat huc pertinere, Matth. 13, 24—30, nec non 47—50, de evellenda olim e tritico zizania, de discernendis piscibus putridis ab esculentis Matth. 7, 21—23; 18, 6, de scandalis, 21, 28—32, de duobus ad operam in vinea filiis evocatis 33—41., de rebellibus in vinea operariis 43, ss., de lapide angulari 22, 1—14., de invitatis ad convivium, repudiatoque conviva, cui non erat convivalis tunica, multa e cap. 24., 25. integrum et innumera in App. actibus et scriptis loca, ubi mox Iudaeorum et in ipsius Christi personam flagitia et in omnem rem christianam invidia, mox doctorum, erroribus maxime iudaicis deditorum et pessimae libidini indulgentium, (qui et ipsi ἐχϑροὶ τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ veniunt Philipp. 3, 18.), mala sedulitas, ambitio et avaritia, mox luxuries et lascivia, quae per genium seculi et mores gentilium tunc temporis mirum quantum pessundatos vel ipsos passim Christianorum coetus corrumpere minitabantur, mox inconstantia in religionis professione perstringuntur et exprobrantur. Ut, poenae, quae his destinatae feruntur passim ad iudaicae civitatis ruinam, passim ad excommunicationem e coetibus Christianorum respiciant: at ὄλεϑρον αἰώνιον, πῦρ ἄσβεστον l. αἰώνιον, ϑάνατον δεύτερον, quo-

rum haud raro mentio fit, ad aeternam pertinere miseriam, regnumque Christi vel tali numinis vindicta, quae flagitiosorum hominum et adversariorum futuram sortem complectatur, stabilitum demonstrari doctrina N. T. nemo facile infitias ibit.

c) Non omittendus est locus notissimus 1 Cor. 15, 25—28. ubi et mors corporis, quam constat ab humana vitiositate derivari adversariis Christi adnumeratur, qua tandem devicta, filius Dei subfuturus sit et ipse patris imperio, ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσι. Donec nimirum per ultima, quae nobis in his terris subeunda sunt fata, mortis metu nos defendere cogimur, donec per necessitatem moriendi ab illo, ad quem nobis tendendum est, arcemur perfectionis fine, quod ne vires frangat nostras ad Christi exemplum et parta virtutis praemia nobis intuendum est, manet pugna Christi cum morte, manet adversarius qui consummationi regni divini per Messiam obstat. Demta olim morte patet, quod nunc exstat peculiare Christi regnum, in universi regni divini notionem quasi solutum cogitari omnique ex doctrina Apostoli quod iam nunc adspectabile quodammodo exstat et incrementa capit, regnum Christi ab universo Dei regno, (quo illud perfectum iri et consummatum traditur), verbo, regnum gratiae a regno gloriae, institutum, quod ad tempus adest in rerum ordine humano ab ἰδέᾳ, quae omne aevum complectitur, distingui.

§. 5.

Opposita χάριτος et πίστεως.

Quae ad hunc locum superest, χάριτος pariter ac πίστεως et νόμου oppositio, plene demum perspici poterit, ubi partim de legibus et conditionibus, quibus bo-

norum regni divini participes fieri possumus, partim de ratione, qua Deus condendi per filium regni consilium exsequutus est et humano generi patefecit, nobis constiterit, id, quod ad Part. V. et VI. tractationis per conspectum supra exhibitum delegavimus. Paucis igitur, ne qua iam laborat etiam maiorem in molem crescat specimen hoc qualecunque nostrum, his defungi liceat. Fac, maximam Christo regnoque ab illo condito invidiam a gente exortam, quae una omnium sibi Deum patronum, quid quod ipsum regem iactaverit, quae regni divini in homines prorsus perversas opiniones nunquam non foverit ac menti infixerit, quae sibi sola legibus divinitus acceptis, nulla discriminis inter leges civiles et morales, arbitrarias et necessarias, peculiari aetati ac loco inservientes et universas ac nulli non tempori adcommodatas ratione habita, pollere visa sit, quae sensus interiores animique bene compositi indolem parum curans, externo cultu et arbitraria legum singularum, prouti quaeque facilitate sua se commendare visa fuerit, observantia Dei gratiam conciliari persuaserit, nec fieri unquam posse autumaverit, ut ipsa post seiunctam civitatis formam externam omni generis humani universitati ad cultum supremi numinis se adiungat, quin potius universum genus humanum ex suo arbitrio pendere eundemque in ordinem rerum civilem secum coalescere flagitaverit ultimumque spei et laborum finem sibi proposuerit; fac, coetum christianorum e gremio gentis illius prognatum et, ut visa res est, sensim tantum ac forte fortuna inde segregatum a primordiis malo illo Iudaismi genio infectum nec mődo res Christianorum externas per offensionem gentilium, quibus alioqui propensior fuisset futura in Christum voluntas, his opinionibus et machinationibus labefactatas, sed interiorem etiam religionis, quae Christo doctore duce et exemplo nobis communis esse, quae morte eius quasi obsignata

et in vitam reditu consummata haberi debet, indolem iis corruptam et inquinatam esse: nonne nostra vel maxime intererit errores illos nosse, quid in iis perversi insit et perniciosi et ab omni religione alieni perspexisse, quo iure et quibus argumentis illi a scriptoribus sacris damnentur intellexisse, ut regni divini per Christum conditi natura nobis patefieri, ut Dei consilium sensusque paternus et ab omni partium studio alienus in regni illius originibus et propagatione, (χάρις Θεοῦ,) nobis aperiri, ut doctrinae christianae forma et ratio pariter ac sensus, quibus a nobis excipi et in animis nostris se exserere debeat, (πίστις,) recte a nobis aestimari possit. Sed cum illa peculiarem huius omnis meditationis partem sibi vindicent et ex comparatione demum vice versa lucem mutuentur: satis sit, paucissimis hanc πίστιν ac χάριν inter et νόμον et ἔργα νόμου et fastum, qui se his extollit, rationem innuisse.

§. 6.

Epimetron.

Adiungat se ad hanc praecipuorum regno divino eiusque synonymis oppositorum recensionem brevis cum de oppositi cuiuscunque, tum de eorum maxime, quae hic in censum veniunt, natura et usu expositio, similis eius, quam in superioribus synonymorum indici addideramus.

1) Difficile est interdum defective opposita a privativis, inprimis in nostra caussa, dignoscere, cum non tantum sint denominationes, quae per se modo in hoc modo in illud genus caduut, (qualem in superioribus vidimus κόσμον), sed extent etiam descriptiones hominum et humanae conditionis, de quibus non constat, sintne ad infesti erga regnum divinum animi

malitiam atque inde profectam miseriam, an ad meliorum ignorantiam mentisque imbecillitatem referenda. Quae, ut per se parum interesse videatur, utrum huic an illi generi tribuantur: at ideo tamen cavendum erit, ne inter se permisceantur, tum ne iniquius Iesu et Apostolis de hominibus, quibus nulla aut exigua fuit culpa iudicium exprobretur, tum ne levius de humana si non invidia, certe negligentia et levitate ab ipsis nobis iudicetur. Talis ambiguitatis aliquid inesse locc. in cap. 1. ad Rom. et 2. ad Ephes. iam in superiorib. indicatum est, nec est, quod pluribus eiusmodi locis etiam in Christi dictis immoremur.

2) Opposita, utpote correlata, mutua se invicem luce collustrare constat; cuius tamen illustrationis utrinque par non semper est ratio. Fit enim interdum, ut, cum in altero oppositorum plurima sint obscura et ambigua, quae in alterum cadunt, fere omnia clarissime pateant nec sit, quod ad hoc ex illo ullam petamus illustrationem. Id autem maxime fiet tum, cum ex altera parte res extat aut omnino non intra sensuum ditionem posita aut parum illic conspicua, cui ex adverso posita est altera, quae sensibus ut plurimum cognosci potest, cum, quale alterum cogitari debeat, colligitur ex iis, quae in altero per experientiam deprehenduntur et quorum in locum contraria succedere debere, persuasum habemus. Quae quis non videt ita se habere in oppositis regni divini omnibus, §§. 3. 4. pertractatis, quorum itaque in hac nostra caussa usus est luculentissimus.

3) Sed secus se res habet in illo, de quo §. 2. expositum est, quippe quod ipsum per se ne ulla quidem ex parte in sensus cadere potest. Inde vero etiamsi sit remotissimum, etiamsi vel maxime ad idearum, aut si quis malit, figmentorum regionem perti-

neat: quae inde derivantur effecta, in sensus tamen incurrunt, ad sensuum libidinumque in homines imperium satis clare conspicuum pertinent, nobisque notitiam comparant satis idoneam eorum, quae in reguo Christi ἀοράτῳ nobis et sectanda sunt et speranda.

4) Ex Oppositis ut ubique et in hac nostra potissimum caussa, quicquid edoceri animùs est, quam luculentissime nobis pateat, adtendendae sunt a) notionum oppositarum origines, sintne in usu rerum adspectabilium obviae, an ex ideis menti humanae infixis haustae, sintne ex historia gentis alicuius, an e singulorum hominum indole et animi adfectionibus, nonnunquam fortasse ex mera, qualis poetarum esse solet, fictione repetenda: respicieuda est b) oppositionis natura, sintne omnia, quae ad alterutram notionem oppositam pertinent, sibi contraria et inter se pugnantia, an nonnulla et pleraque fortasse natura sua similia et ita comparata, ut ex sua quaeque parte sibi respondeant, neque alia sit nisi rerum in universum quoad omnem finem omneque consilium inter se pugna[67].

Properandum est ad finem procul nobis quidem a fine ac termino quaestionis nostrae adhuc remotis. Patet, ulterius progredientibus longe etiam latiorem aperiri campum et quae maximi sunt momenti ex mox se-

67) Incomparabilis exstat de iis, quae ad naturam oppositorum perspicieodam valeot, dissertatio *Immanuelis Kantii: Versuch den Begriff der negativen Grössen in die Weltweisheit einzuführen* edita ao. 1763. et deouo recusa, *in Imman. Kants vermischten Schriften, herausgegeben von Tieftrunk B. I. Halle* 1799. cum quibus eootulisse non poeoitebit, etsi minus distincta sint et perspicua, qoae habet b. Crnsius io Compendio Logices §§. 157 — 62. et 305 — 8. et 642.

quentibus locis repeti demum debere et exspectari. Etiamsi vero, vix prima disquisitionis limina transgressi, non multum ad rem ipsam lucri fecisse videamur; operae huius qualiscunque nostrae exilitatem hoc uno consolabimur, si quis in sequentibus, quae adhuc pertractata sunt, non omni utilitate carere censeat; si via, qua incedere et cuius stadia delineare conati sumus, rei peritioribus laetiori successu, quae peragretur, non indigna fuerit visa.

Nervae numus auferens quos alebat Barnabae epistola seditiosos spiritus.

Scripsit

M. Carolus Godofredus Kelle, sacrorum Gross-Witschenae minister[1]).

§. 1.

De Nervae numo ex rebus ecclesiasticis interpretando, earumque interprete.

Res Christianas olim primis apostolorum successoribus traditas, ab iis, contagio rerum Iudaicarum affectis, in summum discrimen adactas, a Nerva autem, imperatore Romano, contagium hoc solvente, in integrum quodammodo vindicatas fuisse; id, si non constat, aciem virorum, qui de his rebus scripserunt, fugisse videtur. Extat enim, qui hoc probet, numus argenteus, senatus consulto in Nervae honorem excusus, palma, arbore, insignitus, hisque verbis inscriptus: „Fisci Iudaici calumnia sublata S. C.[2]). Quae inscriptio, cum,

1) In lucem emisit hancce commentationem doctissimus auctor Fribergae Sax. 1822.

2) Vid. Ezech. Spanhemii dissert. de praestant. et usu numism. antiq. Vol. II. p. 570—575, nec non Ioseph. Eckhel. doctr. numorum vet. P. II. Vol. VI. p. 404. et 405. Praeter eos

quomodo a viris numorum veterum peritis explicita est, non patefaciat, cur tandem illa fisci Iudaici calumnia tanti momenti fuerit, ut senatus censeret, eam sublatam numis celebrandam esse memorabilibus, paullo accuratius ex rebus factis interpretanda videtur. Quod quo ordine procedere possit, paucis jam praemonendum est. Appareant igitur Christiani primum quidem fisco illo exacto tum aeque afflicti, tum aeque affecti, atque Iudaei, denique autem sublata eius calumnia, soli exonerati, Iudaei non item. Sic enim patescet, quantum detrimentum illa calumnia sublata sublatum fuerit, et quam bene imperator, dum illam tolleret, non solum, quod volebat, reipublicae, sed etiam, quod forte minus curabat, ecclesiae Christi consuluerit. Numus enim, qui Christianis tanquam pignus immunitatis concessae publicum exhibebatur, abstulit, quos studium regni Messiani Iudaicum attulerat, Christus vero repudiaverat seditiosos spiritus.

§. 2.

De Christianis et Iudaeis fisco Iudaico acerbissime acto aeque afflictis.

Titus olim devicta Iudaea, deletisque Hierosolymis scivisse proditur, ut, si quis Iudaeorum adhuc patrio more vivere vellet, quotannis, quas hactenus in templum Hierosolymitanum contulisset binas drachmas, Iovi Capitolino solveret 3). Scilicet quam ipse expertus

---

hic inspiciendi sunt: Adolp. Occo. Numism. Imp. Rom. a. Nerva p. 187. Jac. Oesel. Thes. num. Tab. XVI. N. XII. p. 85. Claude Molinet Cabinet de S. Genevief. p. 68. et Laur. Beger. Thes. Brandenb. T. III. p. 110.

3) Dio Cass. Hist. Rom. L. LXVI. §. 7. p. 748. et Flav. Ioseph. bell. Iud. L. VII. c. 6. §. 6.

erat imperator contumaciam gentis et pertinaciam, ex ritibus eius, ut videbatur, profectam, paullatim ut extingueret, observantiae avaritiam obesse voluit. Quod etiam res Christianas, quibus nihil tanto fuerat impedimento, quam illa Iudaica rituum antiquorum tenacitas, admodum adiuvare videbatur, mox autem secus evenit. Christiani enim, qui, cum pariter atque Iudaei, Deos Romanos contemnerent, sabbatha celebrarent [4]), aliisque rebus Iudaeos aequarent, Romanis vitam agere videbantur Iudaicam, eidem tributo solvendo adacti sunt. A quo, si immunes esse vellent, se Iudaeos esse negantes, dissimulatae originis arguebantur, quin etiam, an circumsecti essent, publice inspiciebantur. Teste enim Suetonio [5]) ad fiscum Iudaicum deferebantur etiam, qui veluti professi vitam Iudaicam (i. e. quasi suo iure usi), eam adeo intra urbem viverent [6]). Quibus verbis Christianos significari, alii iam monuere [7]). Quod, cum Domitianus Christianos persecutus esse ab Eusebio, Historiae ecclesiasticae conditore defertur [8]), eo credi-

4) Constitt. App. L. II. c. 59. L. V. c. 20. L. VII. c. 23. Athan. Hom. de Sement. in init. Socr. Hist. eccl. VI. 8. Laodic. Can. 16. G. Aleaspin. de vet. eccl. ritib. L. I. Obs. XIII.

5) Domit. Vit. c. 12.

6) Sic enim verba, quae apud Suet. l. c. leguntur, interpretanda esse videntur. Gronoviana emendatio, quamvis ei accedat Salmasiani Codicis auctoritas, irrita esse videtur. Nam qui originem dissimulasse dicuntur, non diversi erant ab illis, qui velut professi (non: vel improfessi) vitam vivebant Iudaicam, sed eis annumerandi. Christiani indicantur pr. in universum, deinde ii, qui, quamquam essent Iud. originis, tamen se Iudaeos esse negabant.

7) V. c. Goesius ad l. Suet. c.

8) Vid. Eus. Hist. Eccl. L. III. c. 17—20. Cf. Sulpic. Sev. Hist. S. L. II. c. 31.

bilius est. Attamen hos tyrannus ille non solum defraudati fisci reos, sed etiam affectati regni suspectos habuisse videtur. Nam qui oriundi essent genere Davidico, eos potissimum conquiri iussit[9]). Quae suspicio num revera tam vana futilisque fuerit, quam quae apud Eusebium appareat, id iam in promtu habemus, disquirere.

§. 3.

De Christianis, indice Barnaba simulato, pestem seditionis Iudaicae participantibus.

Quomodo Iudaei exceperint indictionem supra dictam, colligere licet ex praescriptione, qua libertatem illam vectigalem reiecisse videntur. Tergiversati sunt, tanquam sibi non liceret, extra Iudaeam patrios ritus observare. Supponitur quidem ea praescriptio et in Constitutionibus Apostolicis aliisque in scriptis antiquitatis Christ., ut vera[10]); fuit autem penitus ementita. In scriptis enim Mosaicis ne verbum quidem legitur, quo Israelitis interdicatur observatio rituum suorum sanctorum extranea. Neque illa tergiversatio quidquam profecisse potest. Imo quam adiuvare debebat caussam, deteriorem reddidit. Rituum enim, quam Titus Iudaeis immiserat, exactio, mox conditione tributi pendendi abolita, in capitum exactionem abiisse videtur. Iosephus enim illius conditionis prorsus nullam fecit mentionem, quanquam indictionem, cui adiecta erat, refert[11]). Appianus vero Alexandrinus simpliciter scripsit:

---

9) Euseb. l. l. c. 19.

10) Vid. Constt. App. L. VI. c. 25. Chrysost. Orat. II. adv. Iud. Cf. Clerici nota loco Constt. laudato subiecta.

11) Ioseph. Bell. Iud. L. VII. c. 6. §. 6.

Iudaeis omnibus impositum fuisse φόρον τῶν σωμάτων, tributum censu omni alio acerbius[12]. At illa praescriptio ficta inserviebat desiderio patriae augendo et nutriendo, eamque ob caussam Mosi supposita fuisse videtur a populi Iudaici moderatoribus. Hi enim tunc temporis intenti erant recuperandae patriae, quod nemini mirum videbitur. Eandem vero rem et a primoribus ecclesiae Christianae adjutam, hosque eodem Iudaeae, urbisque Hierosolymae expugnandae studio incensos videre, quid, quaeso, mirabilius est? At, unde apparet? Ex libro ecclesiastico, satis antiquo, eoque sancte habito, ex epistola nimirum Barnabae, apostolo, inscripta. Ibi enim Iesus ut alter Iosua significatur, qui, quamvis consputus, confossus, ludibrioque habitus, eo ipso tamen, quod populum suum terrae promissae compotem faciat, verum se praestet Iosuam. Is enim sensus subest commentationi, quam scriptor epistolae concepit in hircos duos ritu quodam Iudaico occupatos[13]. Hinc, ut similes sint, imperatum esse dicitur. Quod ubi iubeatur, nuspiam; ubi autem supponatur, passim legitur[14]. Illi ergo hircorum similitudini suppositae tota inest vis probationis, quam scriptor susceperat. „Nonne," inquit, „is item? nonne oportet hircos similes, pulcros, pares esse?[15]. Nempe ut, si eum venire videant, obstupescant de similitudi-

12) Vid. Appianus Alex. de bell. Syr. §. 50. ed. Schweighäus. T. I. p. 610.

13) V. Ep. Barn. c. 7. p. 21.—24. T. 1. PP. AA. a Cotel. ed. et a Cler. recus.

14) Vid. praef. Talmud. Inst. Mart. coll. c. Tryph. Iud. p. 201. ed. Comm. Tertull. otr. Iud. in f. et L. III. otr. Marc. c. 7.

15) Suppleas δεῖ εἶναι sive οὐχὶ δεῖ εἶναι. His additis locus integer est.

ne hirci." His autem nihil aliud significatur, nisi hoc: quod Iosua alter, qui per hircum malis modis mulcatum praefinitus sit, pariter, ac primus, victoria et imperio illustrari debeat[16]. Nam praemonitum erat, fore, ut idem coronatus et purpuratus in conspectum prodiret. Lanam vero purpuream, qua circumdetur caput hirco, interpres ille significare dicit gloriam Iosuae alterius, eamque, cum illa lana spinis imponenda sit, non nisi calamitatis perpessione impetrandam. Mox idem scriptor Dei nomine exclamat[17]: „Nonne Sina (Sion) mons „mihi sacer petra deserta est? Quid? quod „vos instar pullorum estis, qui nido rapto „circumvolant. At, iterum vaticinatur pro„pheta: Antecedam te, montesque subver„tam, foresque aheneas effringam, repagula„que ferrea revellam, thesaurosque tenebris „circumfusos, absconditos, invisibiles tibi „tradam, ut cognoscant, Iehovam esse De„um. Porro: Quid ait de filio? — regem eum „videbunt majestate praeditum." Qui centones[18], quem in usum consarcinati sint, neminem, puto, fugiet.

Proclivitas insuper ecclesiae primitivae ad observandos ritus Iudaicos, quanta fuerit, satis notum est, penitusque constat per Clementinas et Recognitiones et Homilias; ubi Petrus inducitur et alios ritus Iudaicos et hunc inprimis, cuius a Paulo publice arguebatur, morem scilicet, gentiles a suo convictu ar-

16) Hircus enim apud Hebraeos symbolum expugnatoris erat. Vid. Ies. 14, 9. Dan. 8, 5. 21.

17) c. 11.

18) Compilata enim et ad populum Iudaico-Christianum hic translata sunt, quae apud Iesaiam partim de Moabitis (c. 16, 2.), partim ad regem Cyrum c. 45, 1.—3. dicta inveniuntur.

cendi, sanctissime observans. Si quos ingenium illius temporis ecclesiasticum abrogatos esse voluit ritus Iudaicos, ii certe, ut circumcisio et abstinentia a cibis vetitis, conjunctioni populorum ecclesiasticae penitus oberant. Eorum vero auctoritas interpretatione mystica infirmata est[19].

Merito igitur, qui sic animati erant, seditionis suspicione laborarunt.

§. 4.

De Christianis Nerva auctore immunitatem consecutis, Iudaeis non item.

Domitianus quidem a persequendis Christianis repente cessavit; et quos relegaverat, restituit [20]; caussa vero, cur hoc fecerit, certe alia fuit, atque Tertullianus apud Eusebium protulit. Cur tandem tyranno illi, qui teste historia humanitatem mox omnem exuerat, tantum rationis restiterit, ut homines novarum rerum suspectos impunes dimitteret? Quin timor crudelitatem eius restrinxisse videtur. Nam quae tandem Trajano imperante prorupit, immanis Iudaeorum seditio [21], ea sine dubio Domitiani tempore jam tumuit. Cui si accederent Christiani terris jam diditi, arcteque inter se connexi, verendum erat, ut imperator minime bellicosus odioque publico laborans ei par esset. Quo

---

19) Vid. Barn. Ep. c. 9. et 10. Idem abrogandae circumcisionis studium aliter se exserit in Clementinis Recogn. 1, 33. 34.

20) Eus. Hist. Ecc. III. 20. ταχιστα επαυσατε, ανακαλεσαμενος, ους εξηλακει.

21) Vid. Eus. H. E. IV. 2. Spartiani in vit. Hadr. c. 5. et Paulus Orosius L. VII. c. 12. (ed. Haveresmp. p. 487.)

sublato Nervam quoque eius successorem metus, ne Iudaica rerum novarum cupiditas per Christianos aucta et adjuta reipublicae detrimentum inferret, excepisse videtur. S u s t u l i t e n i m f i s c i I u d a i c i c a l u m n i a m. Quod si fecit sola ductus humanitate, nullam inde tantam laudem, quae monetis in rei memoriam cusis celebraretur, consecutus esset. Sin vero, quod veri est simillimum, imperator humaniter faciendo cavit reipublicae, ne quid detrimenti caperet, non est, quod miremur, rem factam monetis inscriptam, et ita memoriae traditam fuisse. Periculi autem sic defensi tunc temporis alibi, atque in seditione Iudaica, iam tum ubique gliscente, nec vola nec vestigium adest. Iudaeis tamen, ut quidam recentiorum scriptorum opinati sunt [22]), quod Titus indixerat tributum, a Nerva remissum fuisse, id, monente Ez. Spanhemio [23]), omni caret veri specie. Provocat hic numorum interpres ad Iuliani epistolam ad Commune Iudaeorum, ut evincat, maxima tributa Iudaeis longe adhuc post Nervae aetatem solvenda fuisse. Idem ab Eckhelio docetur ex Origenis epistola ad Africanum [24]). Accedat Tertullianus v e o t i g a l e m illam l i b e r t a t e m, scilicet legibus suis utendi, a Iudaeis v u l g o a d i r i testatus [25]). At, dicat quis, illud tributum Hadriani tempore renovatum est, eam-

22) Caes. Baronius in Annal. T. I. p. 739. et H. Norisius in Cenotaphiis Pisanis Diss. II. §. 12. p. 322.

23) l. l. p. 573 sq.

24) Orig. Opp. ed. a Car. de la Rue T. I. p. 28. Verba ad rem nostr. facientia ibi haec leguntur: Ιουδαιων και νυν το διδραχμον αυτοις τελουντων. Quae supra ex Appiano de trib. Iud. allata sunt, connexionis vi de temp. Hadr. intelligenda sunt.

25) Vid. Apolog. adv. gent. c. 18. Tergiversatio igitur supra dicta, cum esset irrita, landem evanuisse videtur.

que poenam Iudaei ex sua defectione ab Hadriano tulerunt. Omnino quidem, quod Domitiani tempore iniuria fuerat et calumniae locum dederat, a Iudaeis nimirum, colerent, nec ne, patrios ritus, tributum illud exigere, inde ab Hadriani tempore vim legis accepisse, omnesque Iudaei, nisi Iudaicis partibus solemniter renuntiassent, iudaice viverent, nec ne, tributarii fuisse videntur. At numus ipse, ad cuius auctoritatem hic omnia redeunt, non fiscum sublatum, sed fisci tantum calumniam sublatam praedicat. Neque id de alia re intelligi potest, ac de fisci Iudaici exactione illa nimia sublata, pensioneque ad indictionis legem redacta. Quae interpretatio, per se iam probabilis, adiuvatur etiam Dionis Cassii testimonio. Is enim memoriae prodidit[26]), „Nervam non permisisse quemquam accusari de vita Iudaica." Quo interdicto Christianis indultum fuisse, ii ipsi indicasse videntur gratulantes sibi de discrimine rerum suarum et Iudaicarum inde orto. Extat enim edictum quoddam ecclesiasticum Constitutionibus Apostolicis insertum[27]), ubi adiumentum rebus Christianis a Romanis[28]) allatum praedicatur, his verbis additis: Iudaeos contra oportet eis esse tributarios, quamvis a legum suarum observatione prohibitos. Quod, cum Iudaei iam Tertulliani tempore vectigali libertate uterentur, legesque suas observarent[29]), haud alio tempore dictum esse potest, nisi, quo ii simulabant, se suis legibus extra Iudaeam uti non posse.

---

26) Vid. Dion. Cass. Hist. R. L. LXVIII. in init.

27) V. Constitt. App. L. VI. c. 24.

28) Romani Christianis ibi non adnumerantur, sed opponuntur, ut a Tertulliano in Apolog. c. 35.

29) Cf. Tert. l. l. c. 18.

§. 5.

De rebus Iudaicis et ecclesiasticis tandem divulsis.

Itaque Christiani, antea propter vitae suae rationem, quae dicebatur Iudaica, ad fiscum Iudaicum delati, ab eo per Nervam imperatorem immunes facti, ea ipsa re divulsi sunt a partibus Iudaicis. Quod, quantae saluti fuerit ecclesiae, iam exinde apparet, quod ecclesia Hebraica, cuius summa potestas penes familiam Iesu Christi Davidicam erat, Barchocheba oppresso simul deleta est[30]. Ne igitur res Christianae omnes interirent, Deus providens per Nervam imperatorem caverat. Interitus autem ecclesiae Hebraicae rebus Christianis etiam profecit propterea, quod ea deleta iura regni a Davide repetita et in familiam Christi translata, rebusque a Christo conditis penitus adversa simul evanuerunt, rituumque Iudaicorum auctoritas elevata est[31].

Ab illo inde tempore prudentia Imperatorum Romanorum Christianos si non tolerare, certe ignorare, ignoratisque parcere decrevit. Ex Trajani rescripto non conquirendi, si vero deferrentur et arguerentur, puniendi erant, nisi se Christianos esse negarent[32]. Quid? quod delatores eorum capite plecti jubebantur, nihiloque minus nomen Christianum vel negari vel pu-

30) Ex eo enim tempore eccl. Hieros. ex gentibus collecta, primusque episcopus non Hebr. ei praepositus est, cum antea episcopi Hieros., omnes Hebraei, omnesque posteri Davidis fuerant. Euseb. H. E. L. IV. c. 6. cll. 5. et V. 12. II. 23. III. 11. Cf. Epiph. haer. XXIX. (Nazar.) c. 3.

31) Cf. Sulpicii Sev. Hist. sacr. L. II. c. 31. §. 5.

32) V. Plin. epist. L. X. 98.

niri debebat[33]). Quam indulgentiam satis miram Tertullianus carpsit[34]), Lucianus vero cavillatus et quodammodo interpretatus est. Philopatridos enim nomine quod inscriptum est colloquium, Luciano auctore Marci Aurelii aevo exemplum proponit ex ultimo Trajani tempore repetitum.

33) V. Euseb. Hist. Eccl. V. 21. M. tamen Aurelius nomini quoque Christiano impunitatem concessisse videtur. Cf. Eus. IV. 13.

34) V. Tertull. Apol. c. 2.

35) Quam caussam in dissertatione paullo inferius exarata sibi dicendam sumsit doctissimus auctor.

An Dialogus cum Tryphone Iustino M. recte adscribatur.

Scripsit

Guil. Münscher, Theol. quond. D. et Prof. Marburg[1]).

§. 1.

Magni interest in historia probe cognoscenda et accurate tradenda, fontium, ex quibus hauriatur rerum in facto positarum notitia, indolem nosse, et auctoritatem recte aestimare. Inde fit, ut de αὐθεντίᾳ monumentorum historicorum summa attentione et cautione sit disquirendum. In aprico enim est, minui plurimum atque mutari testimonii alicuius auctoritatem, si auctor eius incertus, aut plane alius deprehendatur, quam vulgo credebatur. Praesertim in religionis et ecclesiae Christianae historia antiquiori libros genuinos a spuriis distinguendi solertia est opus. Constat enim primis seculis rei Christianae saepius libros auctoribus esse ad-

1) Edita est haec commentatio ad indicendam inaugurationem novi magistratus academici celebratam Marburgi a. 1799.

scriptos, a quibus nequaquam erant profecti, et plura recentioris temporis scripta antiquitatis titulum ementitum prae se ferre. Huius rei caussae interdum ab errore, interdum a dolo repetendae sunt. Cum homines artis criticae ignari, vel inscriptionem libri falso interpretarentur, vel duos eiusdem nominis scriptores confunderent, vel rumorem tantum incertum sequerentur, factum est, ut in designandis librorum auctoribus errarent. Exemplo esse potest, quod Apostolicum vocatur, Symbolum, absque dubio primum non aliam ob causam, quam quod conveniret Apostolorum doctrinae, ita appellatum, deinde vero, male intellecta inscriptione, ad ipsos Apostolos auctores relatum. Saepius tamen fraus, pia quidem dicta, at satis impia, librorum spuriorum foecunda fuit mater. Fuerunt inter Christianos, qui, vel religionem suam aliis commendaturi, vel opinionibus suis singularibus vetustatis specie auctoritatem conciliaturi, libros ementito veterum scriptorum nomine in medium proferrent. Nota sunt ex hoc scriptorum suppositorum genere oracula Sibyllina, Testamentum duodecim Patriarcharum, liber Hystaspis, libri Dionysii Areopagitae aliaque plurima.

§. 2.

In tanta librorum spuriorum multitudine non satis commendari potest historiae ecclesiasticae cultori sedula cura, ne librorum inscriptionibus temere credat, iisque fidem habens scripta supposita pro genuinis arripiat. Insigniter igitur isti viri de historia meriti sunt, qui in detegenda origine librorum, vel ex errore vel ex fraude pro authenticis habitorum, operam posuerunt, inter quos nomina Centuriatorum Magdeburgensium, Ioannis Dallaei, Davidis Blondeli, Ioannis Salomonis Semleri et aliorum eminent. Verum ex altera etiam parte cavendum est, ne nimia in libris spuriis detegendis solertia

studioque abrepti, et genuinos abiiciamus, aut in dubium vocemus. Facile enim fieri potest, ut mentis acies, quanto magis in observandis notis, quibus supposita scripta prodantur, exerceatur, tanto proclivior ad suspicionem evadat, et interdum vel in iis, quae satis certa sint et explorata, haereat. Quod Semlero nonnunquam accidisse videtur. Qui cum fictorum librorum magnam copiam videret, hisque detegendis summa contentione animum adverteret, vel de eis libris dubitare coepit, quorum αὐθεντία, uti nobis videtur, satis firmo nititur fundamento. Huc pertinent, quae de Clementis prima ad Corinthios epistola et de Irenaei adversus Gnosticas haereses libris dixit[2]). Pari modo iam ineunte nostro seculo dubiae originis quibusdam visus est Dialogus cum Tryphone, quem magno consensu cum veteres tum recentiores Iustino Martyri tribuerunt[3]). Nuper Langius ad novum Dialogi accessit examen, eumque alii quam Iustino auctori tribuendum esse, novis argumentis confirmare studuit[4]). Digna certe res est, quae accuratius expendatur. Aeque enim vitandum est, ne auctori librum perperam tribuamus, et ne genuinum temere solicitemus. Quo enim pauciora supersunt Christiana primorum seculorum monumenta, eo magis cavendum est, ne haec iniqua suspicione incerta reddantur. Mihi quidem, ut libere profitear animi senten-

2) *In der historischen Einleitung vor S. I. Baumgartens Untersuchung der theologischen Streitigkeiten* 2r Th. p. 16. p. 131.

3) C. G. Kochii Iustini Martyris cum Tryphone Iudaeo Dialogus secundum regulas criticas examinatus. Kilon. 1700. Cui opposita est Alb. a Felde epistola — de Dialogo Iustini M. cum Tryphone Iudaeo. Schlesv. 1700. cf. Walchii Bibliotheca patristica p. 216.

4) In opere doctissimo: *Ausführliche Geschichte der Dogmen oder Glaubenslehren der christlichen Kirche.* 1r. Th. p. 137 sqq.

tiam, rationes in medium productae non adeo graves videntur, ut Dialogum in librorum spuriorum numerum referamus. Itaque haud alienum a re existimavi, ea, quae vim illorum argumentorum frangere, et Dialogi γνησιοτητα tueri possint, exponere. Quae dixero, lectores tanquam dubitanter dicta accipiant velim. Cum enim universae liti dirimendae ista non sufficere probe intelligam, ad sententiam mutandam, si rationes meae iusto leviores reperiantur, ero paratissimus.

§. 3.

Iustini nomen quaedam scripta prae se ferunt, quae, uti omnes agnoscunt, ad alium eumque recentiorem auctorem sunt referenda, exempli gratia *Ανατροπη δογματων τινων Αριστοτελικων*, *Ερωτησεις χριστιανικαι προς Ἑλληνας* et alia, quae Veteribus ignota fuerunt, et satis aperta serioris aetatis sibi impressa habent vestigia. Quo magis suspicio etiam de Dialogo cum Tryphone oboriri posset, eum, uti illa scripta, Iustino fuisse affictum. Nec tamen haec suspicio argumenti loco haberi potest. Quis enim omnes libros, auctori alicui adscriptos, spurios habendos esse iudicet, quia aliquot tales deprehenderit? Alia igitur ratione instituendum est Dialogi examen, cuius duplex via patet, altera, in qua Veterum testimonia excutiantur, altera in qua, ad argumentum stilumque quin ad totam libri indolem attendentes dispiciamus, an haec in Iustinum auctorem quadrent. Quod ad viam priorem, sive ad antiquitatis testimonia attinet, iam concessit Langius, scriptores antiquos, quotquot Dialogi meminerint, eundem ad Iustinum M. referre. Quare non opus est, ut in eorum testimoniis afferendis immoremur. At eruditus quidam operis Langiani Censor[5]) monuit, nec haec antiqua te-

5) *Neue allgemeine deutsche Bibliothek.* 31 B. p. 7.

stimonia ita certa et aperta esse, ut nullus dubitationi relinquatur locus. Eis enim solummodo confirmari, conscripsisse Iustinum Dialogum aliquem cum Tryphone, at neutiquam inde colligi posse, hunc librum a Veteribus laudatum eundem nostrum esse Dialogum. Quae certo non sine veri specie dicta essent, si tantum in genere Iustinus Dialogi cum Tryphone auctor ab antiquis scriptoribus perhiberetur. Verum superest Eusebii descriptio Dialogi accurata et luculenta, quae tam perfecte cum nostro convenit, ut non aliquem tantum Dialogum, sed nostrum ab Eusebio Iustino tribui appareat. Locus exstat in Eusebii Historia ecclesiastica l. IV. c. XVII. Και διαλογον προς Ιουδαιους συνεταξεν (Ιουστινος), ὃν ἐπι της Ἐφεσιων πολεως προς Τρυφωνα των τοτε Ἑβραιων ἐπισημοτατον πεποιηται· ἐν ᾧ τινα τροπον ἡ θεια χαρις αυτον επι τον της πιστεως παρωρμησε λογον δηλοι· Οποιαν τε προτερον περι τα φιλοσοφα μαθηματα σπουδην εισενηνεκται, και οσην εποιησατο της ἀληθειας ἐκθυμοτατην ζητησιν[6]). Ἱστορει δ' ἐν αὐτῳ περι Ἰουδαιων, ὡς κατα της του Χριστου διδασκαλιας ἐπιβουλην συσκευασαμενων, αὐτα ταυτα προς τον Τρυφωνα ἀνατεινομενος· Ὀυ μονον δε ὀυ μετανοησατε ἐφ' ὁις ἐπραξατε κακως, ἀλλα ἀνδρας ἐκλεκτους ἐκλεξαμενοι τοτε ἀπο Ἱερουσαλημ, εξεπεμψατε ἐις πασαν την γην λεγοντες, ἁιρεσιν ἀθεον χριστιανων πεφανθαι, καταλεγοντες τε ταυτα, ἁπερ καθ' ἡμων ὁι ἀγνοουντες ἡμας ἁπαντες λεγουσι· ὡστε ὀυ μονον ἑαυτοις ἀδικιας ἀιτιοι ὑπαρχετε, ἀλλα και τοις ἀλλοις ἁπασι ἁπλως ανθρωποις[7])· Γραφει δε, ὡς ὁτι μεχρι και αυτου χαρισματα προφητικα διελαμπεν ἐπι της ἐκκλησιας[8]). Μεμνηται δε και της Ιωαννου ἀποκαλυψεως, σαφως του Αποστολου αὐτην ἐιναι λεγων[9]). Και ῥητων τινων προφητικων

6) Haec accurate respondent iis, quae in nostro Dialogo p. 218. (Iust. Opp. ed. Col.) narrantur.

7) Haec iisdem verbis expressa leguntur in Dialogo p. 234. 235.

8) Cf. Dial. p. 258 et 315.

9) Apocalypsis diserte verbis Ioanni, uni ex Apostolis tribuitur p. 308.

μνημονευει, διελεγχων τον Τρυφωνα, ὡς ἀν περικοψαντων αὐτα Ιουδαιων ἀπο της γραφης[10]). Hac descriptione Eusebii et his locis, quae ex Dialogo excerpsit, adeo aperte nostrum Dialogum designari patet, ut alius et diversus intelligi nequeat. Nec est, quod Vir ille eruditus ad Grabium provocet, qui quaedam Iustini fragmenta in nostro Dialogo non exstantia collegerit[11]). Observandum enim est, Grabium solummodo ex coniectura haec fragmenta, in antiquis membranis Iustino (sine mentione libri) adscripta, Dialogo cum Tryphone attribuere, aliis vero rationibus p. 160. et 161. expositis motum existimare, ex aliqua parte mancum ad nos pervenisse Dialogum.

§. 4.

Satis igitur constat, iam ab Eusebio Dialogum nostrum genuinum Martyris opus esse habitum. Quod etiam Langius non in dubium vocavit, sed ex solis argumentis, quae interna dicuntur, probare annisus est, librum istum ab alio quam Iustino auctore confectum esse. Nec ego, etsi Veterum testimonia in hac quaestione historica magni faciam, neque ea temere reiicienda esse existimem, in eius partes transire dubitaverim, si ex indole et argumento libri probatum fuerit, eum in Iustinum plane non cadere. Eam vero probationem, qua antiquorum testimoniorum auctoritas labefactetur, claram et indubiam esse oportet, nec solis coniecturis et comparationibus lubricis niti. Omnem, exempli gratia, litem diremtam esse faterer, si Dialogi auctor se Iudaeum ipse appellaret, eoque a Iustino Neapoli-Samaritano clarissime se distingueret. Affert hunc

---

10) Occurrit haec Iudaeorum accusatio p. 297.

11) In Spicilegio patrum et haereticorum sec. II. p. 174.

in finem Langius locum: Ειμι δε Ἑβραιος ἐκ περιτομης — ἐν τη Ἑλλαδι πολλα διαγων [12]). Verum totus loci nexus docet, hanc descriptionem minime ad auctorem libri esse referendam. Non enim Christianus cum Iudaeo disputans, sed ipse Trypho Iudaeus, cuius ad Iustinum responsio narratur, Iudaeum se appellat, quod verba praecedentia: Τρυφων καλουμαι manifeste ostendunt. Longe aliter auctor Dialogi de se ipse loquitur, seque Samaritanum esse haud obscure profitetur [13]). Omisso igitur hoc argumento, quo nihil effici patet [14]), ad reliqua expendenda progrediamur, quae ad quatuor capita commode referri possunt; 1) totam cogitandi et scribendi rationem, in Dialogo obviam, abhorrere ab ingenio et stilo Iustini; 2) in Dialogo cerni apparatum eruditionis Iudaicae, qualis a Iustino exspectari non possit; 3) deprehendi etiam doctrinas, ab iis, quas Iustinus in Apologiis exposuerit, non diversas modo, sed et eis repugnantes; 4) analogiae non esse consentaneum, Virum, qui ex paganorum castris ad sacra Christiana transiisset, in confutandis Iudaeis fuisse occupatum. Si ad singula haec capita responderimus, satisfecisse proposito nostro videbimur.

---

12) *Dogmengeschichte* p. 145. Verba Dialogi extant in Opp. Iust. p. 218.

13) Ὀυδε γαρ ἀπο του γενους του ἐμου, λεγω δε των Σαμαρειτων p. 349.

14) Vix dubito et ipsum Langium, qui locum modo memoratum adduxit, eundem non de Christiano auctore sed Iudaico disputatore intellexisse, et solummodo significare voluisse, talem esse ipsum libri auctorem, qualem adversarium suum describat. Verum cum mentem suam obscurius declaraverit, quaedam de hac re monere non alienum erat, ne lectori, cui Iustini opera ad manus non sint, argumentum gravissimum intactum reliquisse videar.

§. 5.

Primum quidem materiae delectu scribendique ratione auctorem Dialogi a Iustino diversum prodi affirmatur. In huius enim Apologiis agnosci scriptorem mediocri ingenio praeditum, nullisque doctrinae praesidiis instructum, qui nec lucidum ordinem servare, nec dictionis venustate lectorum animos delectare didicerit. In Dialogo vero apparere auctorem cum multifaria doctrina et ingenii acumine pollentem, tum in scribendo exercitatum. Quisquis solidam amat crisin, in hoc iudicio uberiorem rationum expositionem desiderabit, neo non optabit, ut accurate sit expositum, quibus indiciis auctor Apologiarum se imperitum, mediocrisque ingenii virum declaret, auctor vero Dialogi ingenii insignibus dotibus scribendique facultate instructum se ostendat. Non enim cuivis, quamquam diligenter utraque scripta comparanti, haec diversitas in oculos incurret. Quod ad stilum attinet, iudicium de eius discrimine incertum et ambiguum esse omnes norunt, cum a sensu lectorum saepe diverso pendeat. Ego quidem, qui saepe Iustini scripta attente perlegi, inter Dialogum et Apologias non eam stili differentiam observavi, quae diversos auctores prodat. Cum e. gr. epistolam ad Diognetum, quae etiam inter Iustini opera est relata, legerem, periodorum concinnitatem, crebrasque quae occurrunt ἀντιθέσεις aliud quam Iustini ingenium spirare facile sensi. Talem vero orationis diversitatem in Dialogo me deprehendere non posse fateor, etsi in ipso, quia quaestionibus Iudaei, ad quas respondet Christianus disputator, sermo continuus interrumpitur, stilus minus diffusus et languidus videatur, quam in Apologiis oratione continua eodemque tenore fluentibus. Pariter nec ingenii et acuminis subtilioris indicia certa in Dialogo, quam in Apologiis deprehendi existimo, si id excipias, quod prioris libelli scopus occasionem dederit

quaedam accuratius exponendi. In utrisque allusiones coactae, argumentaque longius petita occurrunt, similia quidem, at in eo tantum diversa, quod in Dialogo ad captum Iudaeorum, in Apologiis vero ad captum paganorum sint accommodata. Quod ut exemplo illustrem, conferri merentur, quae de cruce Christi dicuntur. In Apologia maiori monetur, crucis figuram toti naturae esse impressam, eamque in antennis navium, in instrumentis agriculturae, quin in ipsa hominis forma conspici [15]. In Dialogo autem crucem Christi designari docetur ligno vitae in paradiso, baculo, quo Moses usus erat, scala, quam Iacobus in somnio vidit etc [16]. Quae omnia simile ingenium, studiumque quaevis argumenta, cuiuscunque momenti sint, corradendi spirant, etsi patent, in eadem re exponenda illic paganorum, hic Iudaeorum rationem esse habitam. — Deinde nec ordine, materiaeque delectu multum superare Dialogus videtur Apologias. In illo enim non minus quam in his haud raro repetuntur eaedem res, digressionesque, a serie orationis alienae immiscentur [17]. Notitias tandem Dialogi auctor copiosiores monstrasse perhibetur, quam Iustinus sibi comparatas habuerit. Verum quis notitiarum, quae Iustino inerant, ambitum ex duobus iisque brevibus libellis Imperatoribus Romanis dicatis diiudicet? Quis credat ipsum in his omnia, quae sciret, ita exhausisse, ut in alio libro, alium in finem scripto, notitias praeter ibi expositas nullas in medium proferre potuerit? Non potest negari, in Diblogo plura contineri, quae in Apologiis frustra quaeras, verum disquirendum est, an in his eorum proferendorum occasio,

15) Apol. mai. p. 90.

16) Dial. p. 312. 313.

17) Comparentur e. gr. in Dialogo p. 216. 264. 292. aliaque plurima loca.

locusque commodus fuerit. Apologiae Imperatoribus Romanis erant dicatae, Dialogus ad refutandos Iudaeos erat scriptus. In illis alienum a consilio auctoris erat, Judaeorum opiniones et ritus respicere et explicare, quod in hoc ipsum libri institutum poscebat. — Quae cum ita sint, id, quod Dialogo cum Apologiis intercedit, discrimen, commode ad finis diversitatem referri potest, nec opus est, ut ad auctoris diversitatem referatur.

§. 6.

Alterum argumentum, quo, Dialogum non esse genuinum Justini scriptum, contenditur, inde repetitum est, quod in illo apparatus eruditionis Judaicae deprehendatur, qui a Justino exspectari nequeat. Iustinus familia pagana oriundus, ipse, antequam Christo nomen daret, paganus fuerat. Non igitur verisimile est, eum in Theologia Iudaica fuisse versatum, cuius Theologiae etiam nulla in Apologiis exstant documenta. Colligitur itaque ad auctorem potius Iudaeo-Christianum referendum esse Dialogum.

Verum et haec argumentatio non satis certa et explorata esse videtur. Theologiae Iudaicae cognitio, in Dialogo conspicua, eo redit, ut auctor saepissime veteri Testamento utatur, ex eoque vaticinia plurima ad probandam fidei Christianae veritatem proferat, ut praeterea quasdam obiectiones, quibus Iudaei vim probandi illorum vaticinorum infringere solerent, cognitas habeat, ut tandem typis imaginibusque ad Christum pertinentibus in V. T. exquirendis sedulam operam impendat. Usus V. T. creberrimus omnibus Christianis praeter Gnosticos communis erat, nec Christiani aliam viam ad confutandos Iudaeos, quam vaticiniorum propheticorum exponendorum, inire consueverant. Jam in Apologia majore Iustinus plura prophetarum loca memoraverat, ut lectoribus praestantiam et divinam originem religio-

nis Christianae persuaderet[18]). Si itaque haud parca manu prophetarum effata Imperatoribus Romanis, quibus V. T. libri incogniti erant, expromsit, mirari nemo debet, eundem in libro Iudaeis, apud quos summa V. T. erat auctoritas, scripto, maximam oraculorum propheticorum copiam profudisse. — Ratio deinde habetur in Dialogo interpretationum, quibus Iudaei argumenta Christianorum a vaticiniis petita eludere studebant[19]). Nec harum interpretationum cognitionem a Iustino alienam esse ostendi potest. Illi enim, in ipsa Palaestina nato, pluresque regiones paragranti, occasio Iudaeorum placita cognoscendi deesse non poterat. Quid porro est, cur dubitemus, Iustinum disputationibus cum Iudaeis habitis eorum obiectiones cognovisse? Etsi enim Dialogum cum Tryphone non viva voce habitum existimem, verisimile est tamen, auctorem saepius de iis, quae in eo tractentur, controversiis, cum Iudaeis esse collocutum[20]). Neque tandem, auctorem Dialogi hominem Iudaeo Christianum fuisse, inde colligi potest, quod typorum exquirendorum et explicandorum admodum studiosum se ostendat. Studio comparandi vetus Testamentum cum doctrina Christiana, et quamvis eius paginam ad Christum referendi, omnes eius temporis Christiani tenebantur. Ab omnibus enim, si a Gnosticis discesseris, dogma suae fidei primarium habebatur, Jesum esse Messiam Iudaeis promissum, ad quod dogma confirmandum vaticiniis et typis V. T.

18) p. 72-88.

19) Dial. p. 262. 285.

20) In Apologiis Justinus satis declarat, se disputationes cum aliter sentientibus studiose expetere, plurimumque iis delectari. Paratus est ad disputationem cum Crescente Philosopho Epicureo ineundam, additque: βασιλικον δ' ἀν και τουτο ἐργον ἠη. Apol. min. p. 47.

utebantur. Non igitur ex typis, in Dialogo cum Tryphone multa cura expositis concludere licet, auctorem libri Judaeo-Christianum et a Justino diversum fuisse. Quot e. gr. typicae et allegoricae V. T. explicationes in scriptis Clementis Alexandrini occurrunt, etsi haec scripta minime ex instituto Iudaeis sint opposita! Multo minus mirum videri potest, Iustinum, qui aeque ac Clemens ad Judaeo-Christianos non pertinebat, in libro, cuius institutum disputationem cum Iudaeis de V. T. interpretatione poscebat, typos allegoriasque sectatum fuisse. Auctorem Dialogi tandem haud perfecta Theologiae Iudaicae cognitione imbutum, linguaeque hebraicae prorsus rudem fuisse, vel ex imperita et inepta vocis Σατανας etymologia satis patet [21]).

§. 7.

Venimus iam ad argumentum, quod inter omnia praecipuum et gravissimum videtur. Inesse dicuntur Dialogo doctrinae, ab iis quae in Apologiis Iustini tradantur, non diversae modo, sed aperte etiam iis contrariae, quo discrimine alium esse Dialogi quam Apologiarum auctorem certa ratione effici putatur. Haud pauca tamen, quae respondeam, adsunt. Primum consentientes me habiturum confido artis criticae peritos, si judicium, quo libri uni scriptori attributi, ob sententiarum aliquarum diversitatem et repugnantiam ad diversos auctores referantur, curam et cautionem maximam postulare contendam. Vel acuti scriptores non semper sibi constant, contrariasque interdum sententias

21) Ὑπο του Ἰησου Σατανας προσηγορευται, ὀνομα ἀπο της πραξεως, ἡς ἐπραξε συνθετον κτηταμενον αὐτον μηνυων, το γαρ σατα τη Ἰουδαιων και Συρων Φωνη ἀποστατης ἐστι· τού δε νας ὀνομα, εξ ὀυ ἡ ἑρμηνεια ὀΦις ἐκληθη, ταυτον ἐστι σατα τη Ἑβραιων ἑρμηνευθεισῃ Φωνῃ ἐξ ὡν ἀμΦοτερων των ειρημενων, ἑν ὀνομα γινεται σατανας Dial. p. 331.

defendunt, vel ex memoriae aut attentionis vitio, vel ex animi quadam fluctuatione, vel ex studio sententiam suam lectorum captui accommodandi. Minus accurate igitur ageremus, saepissimeque falleremur, si hanc legem criticam scriberemus: Libri, quorum quaedam sententiae inter se pugnant, eiusdem auctoris esse non possunt. In primis ad eos scriptores, qui ea, quae scribant, diligenter expendere, et notionibus satis distinctis et definitis operam dare non solent, ista lex applicari sine aperto errandi periculo non potest. Nec igitur in ecclesiae Patres quadrat, quorum plurimos minus accuratos in scribendo fuisse, neque semper sibi constare omnibus notum est [22]). Praeterea alia accedit ratio, ob quam in scriptis Patrum facile evenire poterat, ut aliqua loca cum aliis pugnarent. Amabant enim et amplectebantur fere omnes οικονομιαν, animique sententiam dissimulare non dedignabantur, simulac eo modo finem suum certius tutiusque se assecuturos esse sperarent. Quod etiam de Justino valere, Apologiae maioris diligens lector facile observabit. Quanta ibi cura studioque Iustinus captui paganorum se attemperat! Quam solicitus est, ut quamlibet inter utramque religionem similitudinem ante oculos ponat, dissimilitudinem vero, quantum fieri poterat, celet! Comparat e. gr. Mythologiam Graecorum cum fidei Christianae quibusdam capitibus, certe non eum iu finem, ut eadem pari fide digna esse ostendat, sed ut pagani Christianis doctrinis minus offendantur, faciliusque iis assensum praebeant [23]). Etiamsi itaque clarissime monstraretur,

22) In Apologia maiore occurrere descriptiones sancti Spiritus inter se pugnantes observat ipse Langius et eis concitiandis operam navat ita tamen, ut sibi ipse non satisfecisse videatur l. c. p. 117. 118.

23) Apol. mai. p. 66 - 68.

inesse Dialogo cum Tryphone quaedam, quae in utraque Apologia dictis repugnent, nondum certa et liquida esset conclusio, Dialogum Iustino tribui non posse. Disquirendum potius esset, anne causae quaedam excogitari possint, quare auctor hic aliter quam aliis locis sit locutus. Tum demum, si eiusmodi causae reperiri nequeant, aut si tales repugnantiae occurrant, quae a viro, cui sanum sit sinciput, exspectare nemo possit, valeret illa conclusio. Non igitur opus esset, ut loca singula, quae pugnare inter se Langius existimavit, conciliemus, sed, ne quid deesse videatur nostrae disquisitioni, et hoc tentabimus.

§. 8.

Primum iudicia, quae de graeca Philosophia feruntur, repugnare sibi putantur. Huius enim Philosophiae Apologiae cum laude et commendatione mentionem faciunt, Dialogi vero auctor eam contemnere et reprehendere videtur. — Verum enim vero etiamsi veram repugnantiam his iudiciis inesse concedamus, nondum, uti iam supra monuimus, sequeretur, alium quam Iustinum Dialogi esse auctorem. Rationes enim probabiles eaeque gravissimae reddi possunt, cur diverse Iustinus de Philosophia graeca iudicaverit. Attendendum enim est ad dispar consilium, quo isti libelli conscripti sunt. In Apologiis proposuerat sibi Iustinus, ab Imperatoribus eam indulgentiam et impunitatem, qua Philosophi graeci fruebantur, Christianis impetrare[24]. Nulla videbatur certior et tutior via, qua persuaderet imperatoribus, iniustas esse, quibus Christiani premebantur persecutiones, quam si ostenderetur, Philoso-

---

24) Ostendit etiam Iustinus, quam iniquum sit, Philosophos Atheos tolerari, Christianos Deum summum profitentes puniri. Apol. mai. p. 55.

phos graecos, quibus non impunitas solum concessa erat, sed qui magni aestimabantur, haud procul abfuisse a Christianorum sententia, eodemque quo hi modo Polytheismi insaniam derisisse. Ipse Iustinus non Imperatores tantum, quibus maiorem Apologiam dicaverat, Philosophos appellat[25]), sed alter eorum Marcus Antoninus, cui minor Apologia inscripta est, insigni amore et cura Philosophiam amplexus erat. Quomodo igitur talibus lectoribus facilius suam Christianorum defensionem approbaret[26]), quam monstrando, non prorsus absimilem esse Christi doctrinam Philosophorum dogmatibus. Penitus reiicere Philosophiam et contemnere a consilio eius alienissimum fuisset. Alia et plane diversa Dialogi cum Tryphone est ratio. Continet hic disputationem cum Iudaeo, qui V. T. libros veneratione prosequebatur, hosque solos verae religionis fontes esse existimabat. Praeterea, quae minus favere videntur Philosophiae graecae iudicia, occurrunt fere omnia in colloquio, quod senex quidam cum Iustino ideo habuisse narratur, ut hunc Philosophiae graecae adhuc deditum, ad fidem Christianam suscipiendam perduceret. Consilium igitur loquentis postulabat, ut naevi Philosophiae Platonicae exponerentur, et comparatio eius cum religione Christiana talis institueretur, qua hanc illa longe praestantiorem esse appareret. Si igitur indicia in Dialogo cum eis, quae in Apologiis lata sunt, non conveniant, repugnantia, quae adesse videtur, facile tolli potest, modo tenesmus, haec οἰκονομικῶς ad Imperatores, illa ἀγωνιστικῶς adversus Platonicum Philosophum, qualis tunc, cum colloquium cum sene haberet, describitur Iustinus, esse pronunciata.

---

25) p. 53.

26) Parum interest, an Apologiae Imperatoribus re vera exhibitae sint nec ne. Semper ita scribi debebant, ut exhiberi illis sine offensione possent.

§. 9.

Attamen et id addendum est, diversa illa de Philosophia iudicia, si accuratius expendantur, a repugnantiae specie, quae ipsis inesse dicitur, facile, me quidem iudice, liberari. Reprehenduntur Philosophi in Dialogo, laudantur in Apologiis. Nonne utraque bene conveniunt et conspirant, modo ex aliqua parte Philosophis laus, ex alia vituperium tribuatur. Quod et a Iustino factum esse excutiendo singula loca demonstrabimus. In Apologiis se amicum atque patronum Philosophorum exhibet, at minime talem, cui omnia eorum placita probentur, quod locus insignis extra dubium ponit [27]), quo simul, comparatione cum Christiana doctrina instituta, omnes Philosophorum notitiae tenues et imperfectae declarantur. Laudatur Socrates, Daemonumque cultum a *λογω* incitatus reprehendisse [28]) et Daemonum instinctu mortem oppetiisse dicitur [29]). Omnes qui ante Christum *μετα λογον* vixerant, Christiani vocantur, uti Socrates, Heraclitus et alii his similes [30]),

---

27) Ουχ ὁτι ἀλλετρια ἐστι τα Πλατωνος διδάγματα του Χριστου, ἀλλ' ὁτι οὐκ ἐστι παντη ἐμοια, ὥσπερ οὐδε τα των ἀλλων Στοικων τε και ποιητων και συγγραφεων. Ἑκαστος γαρ τις ἀπο μερους του σπερματικου θειου λογου το συγγενες ὁρων, καλως ἐφθεγξατε· οἱ δε τανaντια αὐτοις εν κυριωτεροις εἰρηκοτες, οὐκ ἐπιστημην την ἀποπτον και γνωσιν την ἀνελεγκτον φαινονται ἐχοντες· ὁσα οὖν παρα πασι καλως εἰρηται, ἡμων των Χριστιανων εἰσι. — οἱ γαρ συγγραφεις παντες δια της ἐνουσης ἐμφυτου λογου σπορας, ἀμυδρως ἐδιναντο ὁραν τα ὀντα· ἑτερεν γαρ ἐστι σπερμα τινος και μιμημα κατα δυναμιν δοθεν, και ἑτερον αὐτο οὐ κατα χαριν την ἀπ' ἐκεινου ἡ μετουσια και μιμησις. Apol. min. p. 51.

28) Apol. min. p. 48.

29) Apol. mai. p. 56.

30) p. 83.

certe non eo sensu, quasi in omnibus doctrinis Christianae fidei convenientur docuerint, sed quod iustitiae et pietati, uti et Christiani faciant, studuerint[31]. Ex his locis si Iustini iudicium de Philosophia graeca repetamus, tale deprehendimus, cui non repugnent Dialogi loca. Repugnare quidem censentur ea, quibus omnes verae rectaeque de Deo notitiae a revelatione divina repetuntur[32]), omnisque proinde graeca Philosophia falsa vanaque declarari videtur. At optime omnia consentiunt, si modo constantem veterum Christianorum de origine Philosophiae graecae opinionem teneamus, qua omnia, quae a Graecis de religione recte dicta essent, ad divinam revelationem referebantur, utpote vel ex Mosis vel Prophetarum scriptis a Philosophis hausta, vel singulari λογου in animis eorum efficientia ad ipsos delata. Ipse Iustinus Platonem quaedam ex scriptis Iudaeorum accepisse[33]) et antiquos Philosophos a Logo monitos atque excitatos fuisse affirmat[34]). Pari modo nullam video repugnantiam, quando Prophetae soli ve-

---

31) Dignus qui conferatur locus Minucii Felicis, auctoris, qui aliàs Philosophis graecis minime favebat, Socratemque scurram Atticum vocavit: Exposui opiniones omnium ferme Philosophorum, quibus illustrior gloria est, Deum unum multis licet designasse nominibus, ut quivis arbitretur aut nunc Christianos Philosophos esse, aut Philosophos fuisse iam tunc Christianos. Oct. c. 20. Patet in hoc loco Christianorum nomen in Philosophos propter aliquam tantum similitudinem quodammodo transferri. Ita et Iustinus, etsi Philosophos quosdam Christianos vocet, procul abest, ut eorum doctrinam Christianae aequiparet.

32) Εὔχου σοι προ παντων Φωτος ἀνοιχθηναι πυλας· οὐ γαρ συνεπτα οὔτε συννοητα πασὶν ἐστι, εἰ μη τῳ Θεος δῳ και Χριστος τῳ συνιεναι. Dial p. 225.

33) Apol. mai. p. 92.

34) Apol. min. p. 46—48.

ritatem vidisse et edixisse dicuntur[35]. Praestantiorem enim omnibus humanis doctrinis Christianam Iustinus in Apologiis appellaverat, Philosophos vero non omnia, quae ad λογον pertinent, cognovisse, multaque inter se pugnantia protulisse iudicaverat[36]. Consentaneum igitur his erat, Prophetas ceu solos certos et fallere nescios ad veram cognitionem duces commendari. In ipso etiam Dialogo, animum hominis Deo agnoscendo, et institiae pietatisque pulchritudini perspiciendae parem esse conceditur[37]. Quae vero in Philosophis reprehenduntur, e. gr. divisio eorum in plures sectas, cum unica tantum sit veritas[38], eos plurima ignorasse[39], de capitibus quibusdam male disputasse[40], ab iis, quas in Apologiis Iustinus profitetur sententiis, haud sunt aliena, ut igitur discordia opinata plane evanescat. Quod ut in luce clarissima ponatur, uno eoque illustri Clementis Alexandrini utamur exemplo. Inter omnes Ecclesiae patres, qui Philosophiam graecam ardentiore amo-

35) Ὀυτοι (προφηται) μονοι τα ἀληθες εἰδον και ἐξειπον ἀνθρωποις Dial. p. 224.

36) Apol. min. p. 46.

37) Νοειν αὐτας (ψυχας) δυνασθαι, ὁτι ἐστι θεος, και δικαιόσυνη και εὐσεβεια καλον καγω συντιθεμαι. p. 222.

38) Dial. p. 218. Etiam in Apologiis laxantur Philosophi, quod contraria dogmata protulerint. p. 48.

39) Dial. p. 224. cf. Ap. min. p. 48. Οὐ παντα τα του λογου εγνωρισαν.

40) πως οὐν ὀρθως περι θεου φρονοιεν οἱ φιλοσοφοι ἠ λεγοιεν τι ἀληθες, ἐπιστημην αὐτου μη ἐχοντες, μηδε ἰδοντες, μηδε ἀκουσαντες p. 221. Sed notandum est, ἐπιστημην scientiam quam intuitivam vocant, quae visu vel auditu accipiatur, designare (ἐποπτος ἐπιστημη appellatur Apol. min. p. 51), totamque quaestionem a sena ad confundendum Iustinum, Platonica sapientia tum temporis tumeotem, uti contextus docet, prolatam esse.

re prosequeretur, studiosius defenderet et augustioribus ornaret elogiis Clemente vixit nullus. Attamen horum, quae in Dialogo de Philosophia graeca dicuntur, similia haud pauca in scriptis Clementis deprehenduntur, aperto documento, et Iustinum quamvis graecae Philosophiae fautorem et patronum, talia iudicia minime dedecere. Clemens veritatem unicam esse asserit, quae a filio Dei doceatur[41]), graecam philosophiam non comprehendere veritatis magnitudinem[42]) longoque intervallo distare a Christianae doctrinae amplitudine et praestantia iudicat[43]), ἐπιστημην Dei unqnam Philosophos assecutos fuisse, negat[44]). Haud temere cuiquam Philosopho credendum, sed ex omnibus optima quaeque eligenda esse studiose idem Clemens monet[45]). Plura loca etsi facili opera colligi possint, haec sufficiant, ut vel impensos Philosophiae graecae inter Christianos amicos pari modo, uti in Dialogo cum Thyphone factum est, Philosophiam reprehendisse pateat.

§. 10.

Nec alia placita, quae in Dialogo traduntur, doctrinae in Apologiis propositae ita adversari videntur, ut ille ad eundem atque hae auctorem referri nequeat.

---

41) Μιας οὐσης ἀληθειας, πολλα τα συλλαμβανεμενα προς ζητησιν αὐτης (inter haec Philosophiam refert) ἡ δε εὑρεσις δι' ὑιου. — Μονη δε κυρια αὐτη ἀληθεια ἀπαραγχειρητος, ἡν παρα ὑιου του θεου ἐπαιδευομεθα Strom. l. 1. p. 375. et 376. ed. Pott.

42) εἰ μεν μη καταλαμβανει ἡ Ελληνικη Φιλοσοφια το μεγεθος της ἀληθειας — Strom. l. 1. p. 366.

43) Strom. l. 1. p. 349. et p. 376.

44) Strom. l. V. p. 695. 696. 730. cf. l. VI. p. 802. et 826. l. II. p. 453.

45) Strom l. I. p. 338.

Monuit quidem Langius corruptionem hominum naturalem, sive peccatum ab Adamo ad omnes posteros propagatum ignorari a Iustino, satis perspicue vero doceri in Dialogo. Prius facile concedo, at de altero est, quod vehementer dubitem. Conspirant Dialogus et Apologiae, inesse homini voluntatis libertatem, qua rectum et iustum eligere, verum etiam malum amplecti possit[46]. Consentiunt etiam, hanc libere agendi facultatem non olim solum, cum mortalium genus conderetur, a creatore menti humanae inditam esse, sed semper hominibus ita adesse, ut quisque sua tantum culpa sit malus[47]. At ab Adamo Dialogus repetit vitiorum inter homines originem[48]. Ego vero in loco laudato doctrinam, Adami peccato omnes homines vitiosos, vel ad vitia proclives redditos esse non reperio, sed homines inde ab Adamo morti et daemonum ad peccandum incitationibus expositos fuisse lego, quod certe ab illa doctrina multum differt. Omnes enim fere antiquiores Ecclesiae patres satis aperte originem mortis ab origine peccati distinguunt. Mortis causam a primo Adami peccato repetere, peccati causam ad facultatem libere agendi cuilibet homini propriam referre solent[49]. Mortales igitur dicuntur homines propter Adamum, nec tamen propter eius peccatum peccatis obnoxii. At homines tamen subiecti daemonum potestati perhibentur. Sed vere nonnisi expositi solicitationibus daemonum di-

---

46) Apol. min. p. 45. mai. p. 80. Dial. c. Tryph. p. 316. 329. 370.

47) ll. cc. e. gr. Οὐκ αἰτια θεου - εἰτε ἀγγελοι εἰτε ἀνθρωποι γινονται φαυλοι, ἀλλα τη ἑαυτων ἑκαστος αἰτια τοιουτοι εισι· Dial. p. 370.

48) ὑπερ του γενους των ἀνθρωπων, ὁ ἀπο του Αδαμ ὑπο θανατον και πλανην ὀφεως ἐπεπτωκει p. 316.

49) e. gr. Iren. l. V. c. 21. coll. l. IV. c. 37.

cuntur, quod optime respondet Apologiis, in quibus daemonum homines ad vitia pelliciendi studium saepissime memoratur[50]).

Adfertur et alius Dialogi locus, quo, auctori de peccato ab Adamo ad posteros propagato persuasum fuisse, probetur. Παρθενος οὖσα Ἐυα, τον λογον τον ἀπο του ὄφεως συλλαβουσα, παρακοην και θανατον ἐτεκε[51]). At his verbis, nisi vim iis inferamus, minime docetur, liberos Deo immorigeros et mortales ab Eva prognatos esse. Tunc enim statuendum esset, Evam hos liberos ex sermone serpentis concepisse. Depingitur potius ipsum Evae peccatum eiusque poena imagine, quae a partu concepto atque in lucem edito desumta est, eum in finem, ut comparatio quaedam, quamvis longius petita, Evam inter et Mariam institueretur. Christus virgine nasci debuit, ut eadem, qua coeperat, via inobedientia a serpente effecta, abrogaretur[52]) i. e. sicut Eva virgo prima peccavit, ita opus erat, ut is, qui peccati vim compesceret, etiam matre virgine nasceretur. Eva enim virgo, serpentis sermonem concipiens, mortem et inobedientiam peperit i. e. serpentis persuasioni morem gerens in peccatum et mortem incidit. Maria vero, laetitia ac fide repleta, cum promissionem angeli, se matrem filii Dei futuram, acciperet, morigeram se praestitit. In tota comparatione id praecipue spectatur, utramque virginem, alteram morigeram, alteram inobsequentem fuisse. Virgo Eva appellatur, vel

50) e. gr. Apol. min. p. 50. et 44. Apol. mai. p. 55. al.

51) Dial. p. 327.

52) δια παρθενου ἀνθρωπος γεγονεναι; ἱνα και δι' ἧς ὁδου ἡ ἀπο ὄφεως παρακοη την ἀρχην ἐλαβε, δια ταυτης της ὁδου και καταλυσιν λαβοι. Qua ratione παρακοη destruenda sit, sequentia declarant, nempe malorum daemonum et hominum potestatem abrogando, eis vero, qui malitiae renuncient, et fidem habeant, immortalitatem largiendo.

tropice, quia a peccato pura erat, vel respectu habito ad veterem opinionem, peccatum Protoplastorum primum in coniugii usu positum fuisse[53]). Itaque nec hoc loco corruptio naturalis, ab Adamo ad posteros derivata, docetur. Etiamsi tandem quaedam ad peccandum proclivitas hominibus natura inesse statueretur, quod tamen mihi aliter se habere videtur, tamen nec hoc Iustino adversaretur, qui, etsi strenuus libertatis humanae vindex, daemones, a quibus homines ad peccandum alliciantur, adiutricem habere την ἐν ἑκαστῳ κακην προς παντα και ποικιλην φυσει ἐπιθυμιαν[54]) affirmat.

§. 11.

Deinde in notione, quae de Spiritu sancto proponitur, repugnare Dialogum Apologiis Langius existimat. In illo enim Spiritum sanctum ceu diversum λογῳ describi, in Apologiis vero Spiritus nomine ipsum λογον designari. Verum, etsi recte moneatur, in Apologiis Spiritus et λογου nomina inter se interdum permutari[55]), non effici inde, me quidem iudice, potest, Spiritum sanctum ex Iustini mente eandem ac λογον esse personam. Obstant enim loca clarissima, quibus Spiritus a Logo distinguitur, illique tertius huic vero secundus inter obiecta venerationis Christianorum locus assignatur[56]). Mihi quidem regulis iustae interpre-

53) Haec erat opinio Encratitarum, quam Clemens Al. impugnat, etsi concedat, eo peccasse Adamum et Evam, quod immaturi dum adhuc essent, ad coniugium accesserint. Strom. L. III. p. 554. 559.

54) Apol. mai. p. 58.

55) Inspiratio enim prophetarum, quae alias Spiritui adscribitur, pluribus locis et λογῳ tribuitur. p. 76. et λογος appellatur πνευμα p. 76.

56) Apol. mai. p. 60. et pag. 56.

tationis convenientius videtur, ex his locis, ubi Iustinus ex instituto fidem Christianorum de Logo et Spiritu tradat, illa explicari, in quibus obiter tantum Spiritus et λογου mentio fiat, quam ad illa haec accommodari. Nec deest ratio, qua illa cum his ita conciliari possint, ut salva tamen maneat Spiritus sancti a λογῳ diversitas. Quam rem cum accuratissime atque doctissime expositam videam a Keilio [57]), ut de ea plura dicam, non est opus. Profiteor tantum, huius viri eruditis observationibus, omnem, qui de conciliatione effatorum Iustini menti inerat, scrupulum mihi exemtum esse.

§. 12.

Tandem an doctrina de mortis Iesu consilio et effectibus in Dialogo prolata Iustini effatis contraria sit, disquirendum est. In Dialogo notionem satisfactionis Christi vicariae significari observat Langius, cuius in Apologiis ne vestigium quidem deprehendatur. Quae si omnia concederem, nulla tamen inde repugnantia elici posset. Cum enim Iustinus in Apologiis satisfactionem vicariam silentio praetereat, nunquam vero neget, haud veri dissimile esset, eum in libro, in quo de sacrificiis aliisque institutis Iudaicis agendum esset, mentem suam fusius explicandi occasionem habuisse, quam

57) In commentatione: Ob die ältesten christlichen Lehrer einen Unterschied zwischen dem Sohne und heiligen Geiste gekannt, und welche Vorstellungen sie sich davon gemacht haben? Eine patristische Untersuchung. Inserta est haec commentatio parti quartae des Magazins für christliche Dogmatik und Moral herausgegeben von D. J. Fr. Flatt; p. 34. seqq. Et ea, quae auctor passim contra meum libellum (Handbuch der Dogmengeschichte) monuit, ita sunt solide et accurate dicta, ut in plerisque me consentientem habeat.

in scripto Imperatoribus dedicato. Disquisitio enim accuratior de beneficiis a morte Christi pendentibus non adeo gravis et necessaria videbatur antiquis Patribus, ut quovis loco eam instituendam putarent[58]). At etiamsi his insistere nolim, nulla, ni fallor, satisfactionis Christi vicariae certe vestigia Dialogo insunt. Video quidem, Iesum sacerdotem summum et sacrificium appellari[59]), at non haerendum est in his, quae Christiani ex V. T. et ex doctrina Apostolorum hauserant, nominibus, nisi constet, quo sensu Patres eis usi sint. Clemens e. gr. Alexandrinus, etsi saepius Iesum sacerdotem victimamque appellet, satisfactionem nihilominus Christi vicariam ignorasse videtur. Deinde video, homines fide per sanguinem et mortem Christi purgatos dici[60]), sed modum, quo purgatio haec per sanguinem Christi facta sit, non definiri. Morti Christi servatio eorum, qui maledictione digna perpetraverint, adscribitur[61]), at haec servatio in antecedentibus declaratur, et in eo ponitur, quod Iesus homines a malitia et ido-

---

58) Quod probatur insigni Irenaei loco, quo disquisitio, quae Logos humanam carnem induerit atque passus sit, inter ea capita refertur, quae ad doctrinam publicam non pertineant, privatoque doctorum studio relinquenda sint Adv. haer. l. I. c. 10.

59) Iesus exempli gratia *προσφορα ὑπερ παντων των μετανοειν βουλομενων* vocatur p. 259, at quo sensu, patet ex pagina sequenti, quia nempe per Iesum passum liberati Christiani a pravitate, daemonesque destructi sint. Simili ratione sacerdotalis Christi dignitas in eo ponitur, quod nos a sollicitationibus Diaboli liberaverit p. 343. 344.

60) *Μηκετι αἱμασι τραγων και προβατων, ἡ σποδῳ δαμαλεως ἡ σεμιδαλεως προσφοραις καθαριζομενους, ἀλλα πιστει δια του αἱματος του χριστου και του θανατου αὐτου, ὁς δια τουτο ἀπεθανεν* Dial. p. 229.

61) *οὐκ ἐτι δε και κατα χριστου του θεου καταρα κειται, δι᾽ ου σωζει της καταρας αξια πραξαντας* p. 322.

lolatria abduxerit. Notione satisfactionis vicariae, ni fallor, haec continentur: Iesum iustitiae divinae ita satisfecisse, ut poenas a toto humano genere perferendas ipse lueret. Quam notionem in Dialogo non deprehendo, cuius auctor semper, ubi accuratius consilia mortis Christi exponit, in fracta Daemonum potestate subsistit.

§. 13.

Superest quartum argumentum, quo Dialogum alius quam Iustini auctoris esse probatur, inter omnia forsan levissimum. Analogiae contrarium esse censetur, Christianum, qui paganus fuerit, in refutandis Iudaeis occupari. Consentaneum enim esse, quemlibet ad populares suos se convertere, Christianumque, qui sacris Iudaeorum addictus fuerit, Iudaeos, qui vero e paganorum numero fuerit, paganos de veritate fidei Christianae edocere. Verum an haec analogia aliquo nitatur fundamento, nec pro arbitrio tantum assumta sit, ego vehementer dubito. Christiani doctores promti quidem erant ad eas doctrinas, quas, antequam Christianam fidem amplecterentur, ipsi secuti essent, impugnandas, sed quare minus verisimile putemus, eos etiam in aliorum rei Christianae adversariorum obiectionibus diluendis operam posuisse? Certe illa analogia Historiae ope non confirmatur, sed prorsus convellitur. Quemadmodum jam Paulus Apostolus, quamvis Iudaeus, et paganis veritatem religionis Christianae persuaserat, ita haud pauci scriptores, qui antea Romanae et Graecae superstitioni dediti erant, Iudaeos confutarunt. Conscripsit enim Tertullianus, Romano milite prognatus, et ipse gentium sacris, antequam Christo nomen daret, addictus, adversus Iudaeos libellum. Praeterea Clemens Alexandrinus, teste Photio ad antiquiora testimonia

provocante [62]), singulari libro, qui dudum interiit, Iudaeorum errores impugnavit. Collegit tandem Cyprianus primum Rhetor deinde Episcopus Carthaginiensis testimoniorum adversus Iudaeos libros tres, in quibus magnam locorum V. T. copiam coegit. — Haec cum exstent exempla, et eos, qui e paganorum castris ad Christiana accesserint, contra Iudaeos libros exarasse, fictam esse apparet anologiam illam, qua duce Dialogus a Iustino non esse conscriptus iudicatur.

§. 14.

Huc usque in argumentis, quibus Dialogum Iustini γνησιον foetum non esse, Langius probare voluit, examinandis versati sumus, nec ea talia esse, quibus res conficiatur, ostendimus, eaque opera satisfecisse nostro proposito videri possemus. Si enim nulla certa indicia alius auctoris libello insunt, nihil est, quod impediat, quo minus antiquorum testimoniorum, Iustino ipsum tribuentium, auctoritatem sequamur. Attamen addi quaedam possunt, quibus fides illorum testimoniorum confirmetur. Etsi enim ob consilii discrimen diversitas aliqua inter Dialogum et Apologias, sicuti iam monuimus, intercedat, haud difficulter tamen in multis rebus similitudo quaedam eorum deprehenditur, cuius exempla nonnulla proferam. Iustinus Philosophum ex Platonis schola se fuisse profitetur, antequam Christo nomen daret [63]), qualem etiam Dialogi auctor se describit [64]). Deinde contendunt Apologiae

62) και γε και ὑφ' ἑτερων πεποιηκεναι μεμαρτυρηται — κατα των ἀκολουθουντων τη των Ιουδαιων πλανη, ὁν Αλεξανδρω Ιεροσολυμων ἐπισκοπω προσειπειν ἐδοξε. Phot. Biblioth. Cod. CXI.

63) Apol. min. p. 50.

64) Dial. p. 218.

polis Hierosolyma futura sint, exponitur [72]). In Apologiis huius quidem dogmatis aperta mentio non fit, at auctorem non alienum ab eadem sententia fuisse inde colligitur, quod resurrectionem mortuorum et indolem corporum suscitatorum eodem, quo Chiliastae soleant, modo explicet [73]). Quare vero Chiliasmum non aperte professus est in Apologiis Iustinus? Causa in promtu est. Imprudentis sane fuisset, paganis, quid? quod Imperatoribus Romanis spem regni terrestris, per Iesum constituendi exponere, cum qua spe et exspectatio ruinae, imperio Romano proxime imminentis, intime coniuncta erat. A consilio Iustini, qui innocentiam Christianorum Imperatoribus approbare, et his ab illis nihil timendum esse ostendere sibi proposuerat, maxime alienum erat, talem doctrinam vel levissime tangere, quae invidiam creare Christianis, et suspicionem movere posset, nova eos moliri, et insignem rei publicae immutationem exspectare. Tandem, quod inprimis attentione dignum videtur, conveniunt Apologiae cum Dialogo in Evangeliis *Απομνημονευματων των Αποστολων* nomine designandis [74]). Quod nomen cum plane singulare sit, nec quis alius inter Christianos scriptores eo Evangelia compellaverit, eo magis hac convenientia confirmatur, eundem esse et Apologiarum et Dialogi auctorem.

§. 15.

Supersunt denique et aliae quaedam rationes, quae faciant, ut, suppositum esse Iustino Dialogum cum Tryphone, persuaderi mihi aegre patiar. Si enim non vere

---

72) p. 306. 307.

73) Apol. mai. p. 87 et 57.

74) Apol. mai. p. 75. 98. Dial. p. 327. 328. 329. 331. al.

scripsit hunc libellum Iustinus, vel ex errore ipsi tributus, vel ex fraude ipsi affictus sit necesse est. errorem rem referri non posse docet ipse liber, in auctor se Iustinum esse haud obscure prodit. Nam Samaritanum solum se appellat, sed ad Apologiam e Imperatori exhibitam ita provocat, ut Iustini A giam intelligendam esse appareat [75]). Superest i solummodo, ut sumamus, hominem nobis ignotu mulato Iustini nomine librum composuisse. Veru tunc difficultates haud removentur. Certe istum l nem eodem quo Iustinum tempore vixisse oportet, istius aetatis, non vero recentioris esse Dialogum ciis sat multis constat. At coaevum scriptorem viri nomen operi suo imposuisse vix veri est simil bri recentiore tempore confecti eum in finem ar doctoribus adscribi solebant, ut opiniones in eis tae vetustatis auctoritate commendarentur, quod lium in librum ipsa Iustini aetate confectum non Attulit quidem Langius quasdam rationes, Dialogi scriptor Iustini nomen sibi vindicaverit. tuit enim, Justinum cum Tryphone docto Judaeo quium habuisse, cuius eventus cum non in ho Iustini cessisset, hunc, ut rei Christianae consule amico Iudaicae Theologiae perito, Dialogum suo r conscribendum curasse, vel etiam, cum rumor retur, Iustinum cum Tryphone disputasse, a Christianum sub nomine Iustini iam mortui Di composuisse. Utrique explicationi sive coniectura

75) Οὐδε γαρ ἀπο του γενους του ἐμου; λεγω δε τω ρεων, τινος Φροντιδα ποιουμενος, ἐγγραφως Καισαρι μιλων εἰπον πλανασθαι αὐτους πειθομενους τω εν τ αὐτων μαγω Σιμωνι etc. pag. 349. Dubium est, ut priorem, an ad posteriorem Apologiam respicistur. que enim Simonis magi mentio occurrit, Apol. ma 91. min. p. 52.

pauca sunt, quae obstent. Prior; quam Langius praeferendam esse iudicat, non ex antiquitatis moribus, sed recentioris temporis ratione repetita videtur. Quemdam ab alio disputationem conscribendam curasse, et suo tamen nomine edidisse, nostra aetate interdum accidisse fertur, at ex antiquiori tempore nullum eius rei exemplum memini. Deinde si amicus Iustini Iudaeos, quos aggrediebatur, fortius Iustino impugnare poterat, quare nomen suum celaret aliamque personam prae se ferret? Si Iustinus, uti coniicitur, in disputatione cum Iudaeo superatus erat, nonne longe convenientius Christianus alius nondum devictus suo nomine defendendae rei Christianae partes suscepisset, terribilior Iudaeis futurus adversariis, quam is, cuius nomen victoriae iam reportatae memoriam Iudaeis revocaret, novaeque reportandae victoriae spem faceret? Quare denique vir ingenio et doctrina praeditus hominis indocti et mediocris ingenii — quales nempe Langius auctorem Dialogi et Iustinum depingit — nomen in se transtulisset, et pro eo haberi voluisset? Nec veri similius est, alium post mortem Iustini, rumore colloqui cum Iudaeo olim habiti ductum, Dialogum composuisse? Qui enim factum sit, ut quis solo tali rumore ad suscipiendum eiusmodi opus impelleretur, ego non facile comprehendo. Constat porro, in ecclesia catholica statim post Iustini tempora auctoritatem nostrorum Evangeliorum agnitam fuisse. Auctor igitur Dialogi, qui Iudaeo-christianorum et Gnosticorum dogmata reiiciendo ad catholicam Ecclesiam se pertinere monstrat, si post Iustini aetatem vixisset, non ad Απομνημονευματα Αποστολων sed ad nostra Evangelia provocasset. Indicia denique illa, quibus Dialogi auctor se esse Iustinum designat, non ita quidem sunt tecta atque obscura, ut attentum lectorem effugiant, nec tamen ita aperta, ut ab impostore, qui Iustinus haberi velit, apertiora non exspectes. Talis enim homo, quo magis personam susceptam simularet,

absque dubio et Iustini nomen expressis verbis professus esset.

Verum opus non est, meras coniecturas diutius examinare iisque alias coniecturas opponere. Cum enim illae hoc solo nitantur fundamento, Dialogum non posse a Iustino conscriptum esse, statim evanescunt, simulac hanc rem aliter se habere fuerit ostensum, quod a nobis factum esse speramus.

Luciani Philopatris rerum Christianarum sub Marco Aurelio et patronus et irrisor.

Scripsit

M. Carolus Godofredus Kelle, sacrorum Gross-Witschenae minister[1]).

Praefatio.

In Christianos olim ineunte seculo secundo coniectas fuisse atroces calumnias, res est notissima, cum scriptores quidam neque ignobiles, neque fide indigni eos notavere tanquam genus hominum novae ac maleficae superstitionis, tanquam assidue tumultuantes, tanquam convictos odio generis humani[2]). Quas calumnias qui diluere studebant, cum rebus christianis ipsi essent addicti, suspicionem studii praeoccupati effugere non potuerunt[3]). Est autem, cum in omni, tum etiam

1) Hanc commentationem nunc primum edidit auctor doctissimus.

2) Vid. Sueton. in Ner. V. c. 16. in Claud. V. c. 25. Tac. in Ann. LXV. c. 44.

3) Auctores puta apologiarum pro Christianis scriptarum.

in hac causa, quod maxime a partium studio recedit, fide diguissimum. Quamobrem Plinii iunioris de Christianis testimonium maioris momenti est, quam Christianorum ulla defensio a Christiano scripta. Licet ille pervicaciam, inflexibilemque obstinationem, quae puniri deberet, imputaverit eis, modumque, quo numen colerent divinum, superstitionis nomine notaverit, cum testatus est, se nihil flagitii in eis reperire potuisse, idque ad ipsum Imperatorem, cuius legatus erat, retulit [4]), in eo innocentiae christianae testimonio magna inest vis et fides, tantoque maior, quanto magis favorem omnem ab eo abesse apparet. Quaenam erat pervicacia, quaenam superstitio eorum; qui eodem indice referente innotuere ad recte facta sacramento obstricti? At, cum in omni causa duo saltem testes requiruntur, altero adhuc eiusdem generis teste opus est ad confirmandum illud Plinii iunioris testimonium. Alii vero provinciarum rectores, etsi, quod Christianos commendare poterat, ad imperii rectorem retulerint, id tamen, cum non nisi a christianis scriptoribus memoriae proditum reperiatur [5]), non ab omni vacat suspicione. Quanti ergo momenti erit, res christianas teste viro, qui eas minime amplexus, potiusque cavillatus sit, ab illis criminibus vindicasse, eiusque testis libellum aliquem, penitus hanc in rem exaratum demonstrasse? En vero est nobis eiusmodi libellus, est nobis in causa nostra desideratus ille testis alter. Lucianus enim Samosateusis in

4) Epist. L. X. 97.

5) Ita in favorem Christianorum etiam Tiberianus, Palaest. procur. ad Traianum scripsisse refertur ab Io. Antioch. Malala, qui has eius litteras historiae suae chronicae (p. 356.) inseruit. Iustini Mart. Apol. II. adiect. est Hadriani quoddam rescriptum ad Minut. Fundanum, ibique legimus, rem Christ. a Serenio Graniano ad Hadr. delatam fuisse.

dialogo, qui Philopatridos nomine inscriptus est, talem se praestitit. At nemo cum, qua talem, examinavit, nemo agnovit. Ad res quidem christianas seculi secundi explicandas dialogus ille passim adhibitus est, sed in alium finem usurpatus. Testari debebat, doctrinam Nicaenam de Deo in tribus uno antiquiorem esse concilio Nicaeno. Et quo antiquiorem huius doctrinae te-atem habere vellent propugnatores ecclesiae, eo maiorem aetatem asserere studebant eidem dialogo usque adeo ad Neronis, ipsiusque Claudii, tempora provecto alium quaerentes auctorem, atque Lucianum. Certe, qui aliis, atque his temporibus dialogum hunc in lucem editum censucrant, sese sibi, cum sapri essent, saperdas videri, a Theod. Marcilio audiverc, idque inprimis Mycillus, qui Philopatridem Lucianeum Traiano aequalem esse iudicaverat. At natu maiorem esse contendebat ille, lolioque victitare clamabat eos, qui, quem ipse Neronis aequalem haberet, Traiani demum tempore natum esse vellent. Atat quo cibo tandem, Marcili, crederes nutritos fuisse, qui Philopatridos huius famosi parentem haud alium, atque Lucianum Samosatensem, esse sibi persuaserant? En vero sententiae huius patronos doctissimos atque celeberrimos, Blondellum[6]), Bullum[7]), Fabricium[8]). Hartmannus etiam, acerrimus ille hierarchiae Pontificiae oppugnator, ne dubitare quidem videtur, an Philopatris Luciancus genuinus sit[9]). Item et Ant. Pagi, Baronium refutaturus ad Philopatridos auctorem, quem Lucianum putat,

6) De Episc. et Presbyt. p. 227.

7) Defens. fidei Nic. II. p. 73. ed. Grab.

8) Bibl. Gr. L. IV, 16. p. 104.

9) De reb. gest. Christianor. sub apostolis Commentar. Berol. 1699. p. 280. §. 4 sq.

provocat [10]). Quibus et Dodwellus annumerandus erat [11]), nisi hic mutata sententia libellum controversum mox Luciano fortasse recentiorem iudicasset [12]), mox Septimii Severi aetati adscripsisset [13]), tandemque ad Odenathi victoriam de Persis reportatam retulisset [14]). Res igitur fortasse adhuc haereret in suspenso relicta, nisi Io. Matth. Gesnerus, vir litterarum et humaniorum et sacrarum peritissimus, eam suscepisset disceptandam [15]). Is autem nullo priori tempore, quam quo Iulianus, quem dicunt apostatam, Persas vicerit, Philopatridem illum natum esse contendit. Quae sententia, cum munita erat magna eruditionis et argumentorum mole, usque ad hoc tempus praevaluit. Neque enim ullus abhinc eruditorum multum contra monuit [16]),

10) In Crit. Anti-Baron. ad ann. Chr. 56. n. 3. Baron. enim negaverat, Galilaeorum appellationem primae eccl. in usu fuisse, ideoque Concilii Aut., quod dicitur apostolor., primum Canonem reiecerat.

11) In diss. de fortit. martyr. (Cyprianic. XII.) §. 24. Dodw. Philopatridem M. Aur. temp. tribuit.

12) In diss. de iure Lucor. sacerd. (cum Gros. diss. de coenae admin. ubi Past. non sunt, aliisque hui. arg. ed.) pag. 284.

13) In diss. de Isidoro Characeno (in Geographis Huds. T. 2.) §. 5. p. 63.

14) In litt. ad Moylium.

15) In disput. de aetate et auctore Dialogi Lucianei, qui Philopatris inscribitur, habit. Ienae a. 1714. retractata et aucta, publiceque disputata Lips. 1730. retractata iterum et castigata Gött. 1741. tandemque Luciani operibus ab I. Frid. Reitzio Amstelod. 1743. ed. T. III. adiecta.

16) Io. quidem Eckardus, qui, quae collegerat „Non-Christianorum de Christo testimonia ex antiquis monumentis," Quedlinburgi 1725. 4. edidit,

quamquam eorum unus et alter Montanistas fuisse, quos execrandos invenisset mysticos Philopatris, ex eius verbis coniiceret [17]). Nisi autem, quo tempore, quem in finem et a quo auctore Philopatris noster scriptus sit, argumentis evincatur satis idoneis, neque ullius omnino rei testis esse potest. Periit ergo, quod in eo est exemplum rei tum ecclesiasticae tum litterariae experiundae. Atqui eius in integrum restituendi faciamus iam periculum. In quo, ut, quae Gesnerus contra movit dubia tam speciosa, quam iniqua, removeamus, sic versabimur, quemadmodum, qui litem non turbandam sed ordinandam suscepit, versari debet. Primum enim de fine, tum de tempore, post de scena et denique de auctore colloquii illius dubii disputabimus. Quae quatuor partes singulae duplicis generis sunt, cum in libello perlustrando finis et tectus et apertus, tempus et fictum et verum, scena utrique scriptoris consilio, utrique tempori apta, Lucianique auctoris et ingenium et sermo appareat.

Nota. *Quas haec praefatio recenset virorum doctorum sententias de Philopatridis origine eas maximam partem ex Gesneri disputatione supra laudata transcriptas esse fateor, breviori tamen et accuratiori in conspectu positas.*

---

eo in libro (p. 107 sqq.) pluscula contra illam Gesneri sententiam protulisse a Gesnero ipso (not. ult.) refertur, neque tamen, qui ab eo disputationem suam retractante respiceretur, dignus fuisse videtur.

16) Ut Longuerue in Diss. de tempore, quo nata est haeresis Montani (a D. Winklero ad. pag. 260 sq.) nec non Moshem. in Commentar. de reb. Christ. ante Const. M. pag. 424.

PARS I.

De Philopatridos Lucianei fine.

Prop. 1. De fine huius Philopatridos tecto et aperto rite distinguendo.

Cum, quae de Persis reportata victoria sub finem dialogi nostri celebratur, huius scribendi occasio a viris doctis, qui eum interpretati sunt, omnibus fuisse censeatur, eiusdem finis haud alius, atque adulatio quaedam gratulatoria, fuisse videtur. At insunt libello, quae a tali fine abhorreant, quam plurima, et faciant, ut totum opus, ex hoc fine spectatum, informe ac monstrosum esse appareat. Neque enim, cur, quae Triepho Christianus, contra Deos Romanorum disserit, ad Imperatorem Romanum hos Deos colentem scripta aut libello gratulatorio inserta, neque, cur, quae antecedant victoriae illius nuntium, eo ipso uberius et fusius exposita aut omnino per maximam libelli partem disputata sint, divinare licet. Multoque minus liquet, cur, si scriptor Juliani apostatae benevolentiam captabat, Triephonti, homini Christiano, idem amor patriae et principis idemque de huius victoria gaudium, ac civi non Christiano, tribuatur. Gratiosius enim fuisset, Christianos, quippe quibus illa Imperatoris victoria maxime invisa sit, livoris insimulare et tanquam improba spe deceptos irridere. Qui sic luduntur mystici, cur, si Christianos agere debebant, nulla eorum nota insignes, ipsique contra homini christiano detestabiles sunt? Ad quae quid respondent, qui illum illius dialogi finem ponunt, viri docti? Scilicet, inquiunt, sunt ea, quae probent, opusculum hoc ineptum, absurdum, Lucianoque prorsus indignum esse. At quidni quis alius finis ei fuerit propositus, ex quo spectatum penitus niteret?

Certe illum fuisse, qui sumi solet, ex nullo libri loco apparet. Cuius contra cum maximam partem disputatio Christiani contra Romanorum Deos eaque victrix, occupet, est, quod suspicemur, in ea ipsa positum fuisse totius libelli finem. Attamen et hanc sententiam re accuratius inspecta vacillare videmus, si modo et illam ipsam disputationem ludibrio expositam esse senserimus [17]). Quae omnia, rite considerata, probare videntur, dialogum illum in hunc finem abiisse, ut Christiani non tam odio, quam irrisu digni proponerentur. Qui finis quam apertus sit, mox apparebit singulis dialogi partibus infra perlustratis. Neque tamen is ipse finis, cui propositus est argumento, toti explicando sufficit, adsunt enim τρισκατάρατοι quidam σοφισταὶ, in quos odium illud, a Christianis defensum, congeratur, totaque lectorum curiositas deducatur. Quinam illi sint, quidve machinentur, auctor quaeri vult, illos monet observandos, illos persequendos esse tanquam salutis publicae hostes, patriaeque osores. Qua in delatione caeca latere mihi videtur finis quidam tectus, ex rebus publicis, ad quas pertineat, illustrandus, et, cum esset primarius, ab illo etiam apertiore, quasi secundario, adjuvandus. In rebus igitur publicis, quas Philopatris noster attingat, inveniendis totus eius interpretandi cardo vertitur. Nam si, quibus ex rebus Philopatridos nostri tota causa, totumque argumentum lucem accipiat plenissimam, invenierimus, nulla restabit de primario eius fine dubitatio.

17) Quod non sensisse videtur auctor libri sic inscripti: *Die Agape, oder der geheime Weltbund der Christen von Clemene in Rom unter Domitians Regierung gestiftet.* (Jena 1819.) Hic enim, nimirum D. A. Kestner, contendit (p. 418 sqq.) Lucianum Philopatridos auctorem, pro illo foedere in campum descendisse contra Montanistas, doctrinaeque eccl. propugnatorem se praestitisse.

PARTIS I. SECTIO I.

De fine Philopatridos tecto.

Prop. 2. Quibus commotus rebus publicis Lucianus Philopatridem suum scripserit.

Res autem haud alias toti Philopatridos argumento interpretando aeque inservire, ac quas Avidius Cassius olim moliebatur novas, eae ipsae docebunt expositae. In Marci Aurelii vita et Luciani Samosatensis tempore nihil certe maioris fuit momenti, atque illa seditio, quae, quamquam multo serius eruperit, tamen flagrante adhuc, quod Lucius Verus per illum Cassium gerebat, bello Parthico praeparata fuisse videtur. Indicium est ea, quam Vulcatius Gallicanus Avidii Cassii vitae inseruit [18]), L. Veri ad M. Aurelium epistola. Cui quam parum fidei tribuerit Imperator ille nihil timens, nihil suspicans, constat ex eius ad Verum rescripto, excipiente illam epistolam apud Vulcatium (c. 2.). Avidius igitur nullo modo coercitus, quae moliebatur, perficere poterat. Ita, quod imminebat Imperatoris capiti carissimo, totique orbi Romano periculum, cum in dies cresceret, cives bonos, maxime in Orientalibus regni partibus, ubi gliscebat ille seditionis fomes, haud parum sollicitasse videtur. Qua bonorum sollicitudine, cum par sit, Luciani quoque animum captum fuisse, quidni compulsus fuerit hic ad scribendum, quod rebus illis subveniret? Neque deerat, quae apta esset eiusmodi consilio scribendi materia. Scriptoris enim popularis est, corrigere sensum popula-

---

18) C. 1. ubi Veri verba haec leguntur: „Avidius Cassius avidus est imperii — — Omnia ei nostra displicent, opes non mediocres parat, litteras nostras ridet. Te philosophum aniculam, me luxuriosum morionem vocat."

rem. Flabat autem tunc temporis anra quaedam popularis, quae, quam perniciosa esset reipublicae, nemo fortasse aeque perspexerat, ac Lucianus Samosatensis. Furebat nimirum plebs in Christianos et in persecutione exinde orta Polycarpus aliique Christi cultores pro causa domini mortem subierant atrocissimam [19]). Verendum igitur erat, ne, si plebs ita furere pergeret, Christiani tandem ab Imperatore, cuius tanta esset lenitas, ut impune ferret plebs quaecunque commiserat facinora, desperantes ad Avidii Cassii partes descisscerent. Hic enim quam severus esset in coercenda et punienda insolentia et quantopere M. Aurelii clementiam iusto maiorem improbaret, neminem fugisse videtur [20]). Multis ille censebat opus esse gladiis, multis elogiis, ut in antiquum statum publica forma redderetur. Quae eius vox fortasse multum celebrata fueral. Eaque ipsa severitate, qua sese ab aliena iniuria sartos tectos fore putabant oppressi, eorum inprimis animos sibi sic devinxisse videtur, ut eum magis amarent, quam dominum mitissimum. Sperabant forte, qui eum sectabantur, Cilices, Judaei, Syri atque Aegyptii [21]), fore hunc iniuriarum, quas perpessi essent, vindicem. Quid mirum, si et Christiani, cum viderent, irritas esse, quas Melito et Apollinaris scripserant, defensiones [22]), irritas, quas Imperatores Christianorum causa ad Asiae populos

19) Vid. Hier. Chron. Eusebian. ad an. 168. Euseb. Hist. Eccl. L. IV. c. 15. Ubi apparet, non Imperatoria iussu, sed plebis tumultu et Procuratoris illiberali obsequio factam esse, quae Christianis tum fieret, iniuriam.

20) Vid. Vulc. Gall. in Vit. Av. Cass. c. 3-6. imprimisque c. 13. Ubi Cassii epist. extat, quae contra Marci nimiam clementiam testatur.

21) Dio Cass. L. LXXI. p. 811.

22) V. Eus. H. E. IV. 13 sqq.

dederant, litteras protectorias [23]), ad eundem confugissent vindicem? Qui, quum illo tempore multum iam Antiochiae, multum Alexandriae valebant, earum urbium vires ad Cassianas partes convertere, rerumque sic discrimen facere posse videbantur. Constat certe, hanc urbem utramque his partibus maxime favisse maximumque attulisse momentum [24]), neque tamen patet, utrum conciliantibus, an invitis, qui ibi degebant, Christianis [25]). Cassius autem, antequam, quas moliebatur, res perfecerat, ab illis, si ad eius partes accederent, multum adiuvari posse videbatur. Quod quum praevideret Lucianus, quo minus fieret, impedire studebat ingenii, quo pollebat, viribus. Ut enim, qua illi laborabant, populi invidiam ridendo et cavillando quasi dilueret et persecutionis, cui succumbebant, stimulum obtunderet, Philopatridem suum spripsisse videtur. Quod si ei ex voto cessisset, sperandum erat, fore, ut, qui liberatos se viderent plebis odio et furore, seditionis illecebris resisterent. Praeterea plebis odium, quo digniores esse censebat mystas Isiacos, in eos a Christianis si deflexisset, id Cassii partibus magno fore detrimento videbat. Syri enim et Aegyptii, has partes amplexi, ad eas sacris et artibus, quibus dediti erant arcanis, alios undique homines pellexisse censendi sunt. Illud igitur consilium si suberat scribendo libello, qui Philopatridos nomine insignis est, is, qui sic, qui amicus patriae, inscriberetur, haud indignus fuisse apparet.

---

23) l. l. cll. sec. earum epistt., quae adi. sunt Just. M. Apol. II.

24) Vid. Av. Cassii vita a Vulcat. Gallicano scr. c. 6. 9. et Marci Anton. Phil. vita a Jul. Capitolino scr. c. 25. et 26.

25) Attamen conf. quae pr. 4. de Christianis in Bithynia relatura sit.

Prop. 3. Cur Philopatridis auctor, quae monenda habebat, tectis verbis scripserit?

At cum, quae Samosatensem civem facile corriperet, Avidii Cassii manus, per Orientem porrecta, Luciano timenda esset, nemo non videt, eum porrectiori fronte contra illum scribere non potuisse. Quid enim, si Cassii res vicisset? et victura esse Orientalibus videbatur; tum victrici, qui eam acerbe dictis lacesserat, ejusque sectatores albis dentibus deriserat, poenas dedisset gravissimas. Neque fuisset, quo refugeret, ullus locus in toto terrarum orbe Romano, imo ne apud Parthos quidem, facile tradituros, quem Cassius, victor, ab eis sollicitasset. Ipsaque adeo plebs in urbibus Asiae Romanae, si, quid sibi vellet hic Philopatris, penitus intellexisset, pertinaciam et studium, exstirpandi Christianos, non remisisset, sed eo acrius intendisset. Nisi enim, qui exacerbato sunt animo, inscii fallente alio mitigantur, omnia spernunt irae lenimenta, eisque adeo magis adhuc exacerbari solent. At qui poterat noster tecto scribendi consilio, quid volebat, consequi? Si modo plebi persuadere poterat, Christianos magis irridendos, quam odio habendos, atque in quod venissent odium hi, eo digniores esse illos, qui Isidos atque Osiridos mysteria celebrare solerent, praecipua certe consilii sui ferebat puncta. Nam diluto plebis furore in Christianos internecino, eoque deflexo in alios, in veros salutis publicae hostes, levata erat illorum miseria, averruncata desperatio.

Prop. 4. Quam lepide Philopatridos auctor tacenda significaverit?

Neque etiam, qui tectus erat, finis libelli primarius, adeo latebat, ut eorum, qui oculos intenderent, aciem fugisset. Revocavit enim auctor callidus homini-

15

bus suis tempus quoddam in memoriam, quod ex nondum penitus elapsum esse poterat, nimirum ter pus Trajani ultimum, idque eis, quorum tempori ess simillimum, tamquam speculum ante oculos posuit, u qui in illud inspexissent, exemplum sui tempo cognoscerent. Quod quam facile cognitu fuerit, app ret ex similitudinis, quam utrumque tempus inter habebat, momentis. Primum enim utroque temp Parthi in ipso eorum regno penitus victi fueru utramque autem victoriam sequebatur seditio con Romanum imperium, et utraque seditio iisdem fere terris et urbibus erupit [26]), utramque fovebant Judaei utramque rebelles intentabant Imperatori optimo ut que. Tum vero Trajani tempore Ignatius, et Ma Aurelii aetate Polycarpus, uterque vir inter Christ nos praestantissimus, Christi causa mortem oppetie truculentam. Cum vero illa seditione Judaica Traj tempore exorta verendum fuerat, ne, si Christiani eam accederent, res publica Romana magnum det mentum caperet, res ipsa monebat, et hanc nasc tem Cassii seditionem, quasi secundas Iudaicas, Christiani accederent, exitiosam fore reipublicae. I autem, ne crederentur proclives esse ad suscipien quas alii molirentur, res novas, ex hac suspicione exemit auctor providus, ut, quam in regionem seditio Iudaica, Trajani tempore exorta, se non pe traverat quamvis vicinam, eam jam tum Christianor refertum fuisse submoneret. Fecit enim Bithynia

26) Ab Aegypto et Alexandria exiens processit per Mesop miam usque ad Palaestinam et Hierosolyma aliquo inte dente otii intervallo. Dio Cass. L. 68. p. 786. et L. 69 793. s. Hieron. Chron. Eus. ad a. 115. 117. 133-135. Eu Hist. Eccl. L. IV. c. 2. et 6.

27) Judaeos et Cassianis adfuisse partibus, docet M. Aur ipse ap. Dion. Cass. (L. 71. p. 811.) in oratione ad mil

provinciam illam maxime Christianam Philopatridos sui colloquentis scenam, ut innueret, esse, ubi Christiana praevaleret religio, esse inter Christianos ipsos, qui patriam patriaeque principem amarent. Insuper quamobrem Philopatridos auctor hanc scenam elegerit colloquii hujus argnti, etiam exinde colligendum est, quod Bithynia neque in illis provinciis, quae partes Cassii fovissent, numerata invenitur. Scilicet indicare ille voluit, alienos adhuc esse a desperationis confugio, a perduellionis consortio Christianos, qui furorem plebis misere experti essent, sed timeudum esse, ne hoc furore exagitati tandem oblatam sibi salutis conditionem a partibus Cassianis acciperent.

Ut denique sollicitari eos hanc in rem ostenderet, societatem aliquam monstravit captiosam, patriaeque perniciosam, quae Cassio asseclas conquireret, et per Bithyniam serpere.

Haec igitur sunt; quae per sequentes commentationis nostrae partes uberius exponenda et commentanda habeamus, Philopatridos Lucianei momenta singula.

PARTIS I. SECTIO II.

De fine Philopatridos aperto.

Prop. 5. Quibus indiciis Philopatridos auctor Christianos a calumniis purgatos voluisse probetur.

Colloquii perlustrandi persona qui est Christiana, Triepho, sic describitur, ut appareat, esse cum Critiae, viri studio patriae conspicui, verum amicum. Amicus autem uterque se fortunatum praedicat, quod sibi contigerit, subesse, cui subsit, potestati excellentissimae. c. 29. Triepho singulariter, qui Christianorum

vices tuetur, ibi: ἡμεῖς, inquit, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐ
τείναντες Θεῷ εὐχαριστήσομεν, ὡς καταξιωθέντες τοιούτου κρ
τους ὑπήκοοι γενέσθαι. Quas gratias num ullus unqua
Christianus Deo de Iuliani apostatae imperio egerit
aut egisse fictus fuerit? Certe fictio ejusmodi ab om
veritatis specie abhorruisset. Idem porro Triepho ill
inducitur, simulatque audierit, quas miserias sophist
illi execrabiles patriae praedixissent (c. 24. 25.),
quam detestandas spes de auxiliatore quodam proxim
futuro concepissent (c. 20. 21.), eodem horrore pe
fusus, atque Critias, rerum earum execrabilium test
et nuntius (c. 27. cll. 1 et 2.). Quae cum ita sin
num quid clarius esse potest, quam quod Philopatrid
auctor his significaverit, christianos esse homines
quibus idem insit amor patriae, atque ulli homi
Romano, vanamque esse, si dicerentur Christia
assidue tumultuantes, eam criminationem? Quinetia
neminem ab odio generis humani magis alienum ess
atque hominem Christianum, idem scriptor non ol
scure significavit. Triepho enim inducitur tanqua
omnibus enitens viribus, ut Critias, cui diffidat, (
4 et 18.) vere humanus fiat (c. 12.), et albo caeles
adscribatur (c. 16.). Ut vero appareat, eundem es
Christianis animum erga omnes homines, idcirco, q
Christianis vicibus hic fungitur, interrogatus: εἰ κ
τὰ τῶν Σκυθῶν ἐν τῷ οὐρανῷ ἐγχαράττουσι; responde
πάντα, εἰ τύχοι γε χρηστὸς καὶ ἐν ἔθνεσι (c. 17.). Sc
thae enim, si, quod infra demonstrabitur, scena co
loquii in Bithynia fuit, colloquentibus maxime era
timendi, ergoque odiosissimum genus hominum. I
sam adeo superstitionis maleficae calumniam a Christi
nis propulsare noster studuit. Nam, quae a Diis Ge
tilium commissa patebant flagitia, eorum odio acce
sus Triepho proponitur, idemque deditus religioni p
rae et sanctae, quam edoctus Deum credat πάντα π
πεποιηκότα, ἅπαντα ἐν εὐκολίᾳ διαδραμεῖν, ἑκάστου πρᾶξιν κ

ἔννοιαν (c. 17.). Per hunc Deum jurare, id docetur habere vim sacramenti, cum per omnes Deos jurare fide destitutos nullam fidem faciat (c. 12. cll. 4—11.).

Prop. 6. **Quibus indiciis Philopatridis auctor Christianos etiam irrisisse probetur.**

At, inquies, sic defendendas qui susceperat res Christianas, is eis ipse addictus fuisse debet. Quae cogitatio cave te praecipitem ferat. Est enim ille Christianorum patronus eorundem et irrisor. Quos nec improbos, nec perniciosos esse cognoverat, eos tamen vana quadam sapientia inflatos putabat et ita comparatos, ut, si docere vellent, ampullas et sesquipedalia verba projicerent. Expeditos igitur immeritis calumniis eos praestare, ut meritis, ut putabat, cavillationibus implicare apud se constituisse videtur.

Primum enim Triepho quam magistri sui descriptionem facit (c. 12.), ludibrii causa facere censendus est. Id verba ipsa docent. Γαλιλαῖος enim, ἀναφαλαντίας, ἐπίῤῥινος, ἐς τρίτον οὐρανὸν ἀεροβατήσας magister ille haud alia de causa dici potest, quam ut irrisui propinetur. Quorum postrema Paulum, apostolum, notare videntur, idque tanto majorem habet veri speciem, quanto propius colloquii tempus ab apostolorum tempore absit. Ceteris vero verbis, quae in magistro illo et originem obscuram et calvitiem et nasum grandem tacite exprobrare videntur, irrisor, credo, notum aliquem Christianorum magistrum, forte Iustinum Martyrem, significaturus erat. Ita etiam, quod Moses non suo nomine simpliciter nominatur, sed τοῦ βραδυγλώσσου nota significatur (c. 14.), ea vox cavillationem sapit. Acerbior tamen est, quae doctrinam Christianam insectatur dicacitas. Sic, quae Iustinus

Martyr [28]) his verbis docuerat: εἰ δὲ καὶ διὰ π θένου γεγενῆσθαι φέρομεν, κοινὸν καὶ τοῦτο πρὸς τὸν Πε ἔστω ὑμῖν, perstringi videntur Gorgonis, quam Pers detruncaverit, mentione. Virginitatem enim Mari matris, ut acerbius cavillator derideat, virginem a rit fuisse Gorgonem, eamque, formosam et amabil (c. 9.). Quid scurrilius esse potest, quam quom Critias Triephontem de Gorgonis virginitate dubit tem confutare studet, νὴ, inquiens, τὸν ἄγνωστον Ἀθήναις, παρθένος διέμεινε μέχρι τῆς ἀποτομῆς. Qui verbis sannio hoc voluit dicere: Si quae Gorgoni si lis, aeque formosa, sive potius, aeque horrifica atque Medusa fuisse perhibetur, ut viros revera tra formet in lapides, tum interponam jusjurandum s ctissimum, quod virgo mansura sit usque ad mort Simul is ea, quae Christiani ex Persei fabula in su rem converterant, tacite corrigit innuens: Gorgo esse, Gorgonem illam horridam, neque vero Dana Persei matrem, quae virgo mansisse possit. Doct de Deo in tribus uno his verbis carpitur: ἀριθμέεις Νικόμαχος, ὁ Γερασηνός (c. 12.). Quae quam salse insulse dicta sint, scire non licet, cum, quom Nicomachus ille computare solitus fuerit, nos pe tus fugiat.

Deinde vero formulis, quas quisque facile pe pere et quibus repetitis etiam profanus speciem sanc ris eruditionis prae se ferre possit, totam comprehe doctrinam Christianam, cavillator ut insimulet, su cit Critiae, vix leviter doctrina Christiana tinc

28) In Apolog., quae Justini dicitur sec. p. 53. (ed. Com 1593.) Eand. comparationem repetiit Justinus in cod. l. 70.) ubi Jesaiae vaticinium a poetis ad Perseum transla fuisse dicitur, nec non in Coll. c. Tryph. Jud. pag. et 231.

hanc jurandi formulam: Νὴ τὸν υἱὸν, τὸν ἐκ πατρὸς, οὐ τοῦτο γενήσεται. Statim enim, qui sic juravit, ob hanc jurandi formulam a praeceptore Christiano dicitur λαβὼν τοῦ λόγου δύναμιν παρὰ τοῦ πνεύματος c. 18.

Argumenta vero et exempla, quibus doctores Christiani doctrinam suam probare et illustrare solebant, infirmitatis et ambiguitatis arguuntur, cum providentia et moderatio rerum divina his probatur et illustratur verbis: καὶ γὰρ σοὶ οἰκίδιον κατασκευάσαντι, οἰκέτιδας δὲ καὶ οἰκέτας ἐν αὐτῷ συναγαγόντι, οὐδέποτέ σε διέλαθε τούτων πρᾶξις ἀπόβλητος· πάσῃ μᾶλλον τὸν πάντα πεποιηκότα θεὸν οὐχ ἅπαντα ἐν εὐκολίᾳ διαδραμεῖν. ἑκάστου πρᾶξιν καὶ ἔννοιαν (c. 17.). Quae quid sibi velint, si quis quaerat, aut cum Gesnero hanc argumentationem nimium quantum vacillare sentiat [29]), nesciens, quis sanae mentis sic argumentari queat, eum meminisse juvabit, quas olim Romani ruri habuerint aediculas operarias, ergastula scilicet privata. Quorum cum domini jam Tiberii tempore in invidiam venerant, quasi exceptos supprimerent non solum viatores, sed et quos sacramenti metus ad hujusmodi latebras compulisset, purgandorum in tota Italia curam suscepit [30]). Hadrianus vero sustulisse refertur ergastula servorum et libertorum (liberorum) [31]). Attamen ipsi harum aedicularum domini saepius nesciisse videntur, qui nebulones ibi laterent, quae nequitiae ibi patrarentur. Idcirco scriptor ille vafer verbis laudatis hanc sensum fallens

---

29) En dubitationis, quam Gesn. in nota huic loco subi. movit, argumentum: „Quam multa, inquit, servorum fugiant dominos, qui ex vita quotidiana nondum didicit, discat ex comicis, quotquot sunt, omnibus."

30) V. Suet. Tiber. c. 8.

31) V. Spartiani Hadr. c. 17. notamque a Salmasio huic loco subiectam. (Paris. 1620. p. 49.)

subdidisse censendus est: Orbem terrarum similem esse ergastulo privato; cuius ipse dominus raro sciat, quae res in eo geratur, qui nequam ibi lateat. Ita et terrarum Dominum, Deum summum, nescire videri, quid rerum sub divo geratur, quid hominum in his terris versetur. En dignam Epicureo sententiam! At apud Ciceronem [32]) sapiens etiam Stoicus: non omnia, inquit, Dii animadvertunt, ne reges quidem. Vulgarem igitur hanc qui noverat philosophorum sententiam, is non sentire non poterat, quae cavillatio verbis subesset supra laudatis.

Narrationes denique mythologicas si quis, quemadmodum Triepho, sive potius Lucianus personatus, et quemadmodum primi ecclesiae doctores confutaverint, conferat, profecto is intelliget, illum hos imitando cavillaturum fuisse.

Prop. 7. Unde appareat, Romanorum adeo et Christianorum compositionem a Philopatridis auctore derisam fuisse?

Tandem est, quod observemus, quomodo carpserit noster res inter Romanos et Christianos aliqua ex parte compositas, jamque inde a Nervae, imperatoris, tempore communicatas. Nerva enim sublata fisci Iudaici calumnia Christianos a tributo Iudaeis imposito immunes reddidisse, exoneratosque a seditione Iudaica divulsisse et regno suo reconciliasse videtur [33]). Postea vero coniuratione Iudaica sufflata, turbisque Gnosticis exortis, contra eas societatem aliquam iniisse videntur afflicti, et qui Romanis et qui ecclesiasticis rebus tunc

---

32) Cic. de Nat. Deor. L. III. c. 37.

33) Vid. Nervae num. auf., quos alebat Barnabae Ep. seditiosos spiritus. Supra p. 175 sqq. nec non Ophitarum mysteria retecta etc. Frib. 1822. p. 7. n. 18.

temporis praeerant. Neque enim, nisi supposita eiusmodi compositione, satis liquet, cur Hadrianus, mutato erga Christianos sensu [34]), in eorum favorem ad Minutium Fundanum rescripserit [35]), templaque, simulacris carentia et Christo dicanda in omnibus regni sui partibus aedificari iussurus fuerit [36]). Neque aliter patet, cur in Constitutionibus illis, apostolicam auctoritatem prae se ferentibus [37]), Romani adeo, i. e. Non-Christiani [38]), Deo sic volente, leges divinae iustitiae clariores reddere, vanum plurium Deorum cultum relinquere, bonis favere, malos punire et Iudaeos quamvis a legibus suis observandis prohibitos, tributarios habere dicantur. Neque vero rebus ita se habentibus mirum est, cur verus propheta, scilicet praeses ecclesiae Romanae, in Homiliis Clementinis [39]) fidem exactam praestare perhibeatur iis, qui rerum legitime potiti sint. Alias enim ecclesia Rom. obedientiam magistratibus praestandam interdixisse videtur [40]). Quum vero a Romanis in fidem quasi recepta fuerat, fidem eis praestari iubebat. Quibus positis constat etiam Irenaeum in loco illo satis obscuro, ubi emolumenta Christianis in aula Imperatoris suppeditata cum vasibus, quae olim Aegyptiis

34) Hadrianum ab initio Christianis non favisse, apparet ex eius ad Saturnin. epist. huius vitae a Vopisco ins. c. 8.

35) Quod rescript. Just. M. Apol. II. adi. et Eus. Hist. Eccl. (L. IV. 8. 9.) insert. est. Ad alios quoque provinciarum praesides datum esse videtur, teste Eus. l. l. c. 26.

36) Vid. Lamprid. Sever. c. 42.

37) L. VI. c. 24.

38) Romani, tanquam non Christiani, opponi solebant Christianis. Vid. Tertull. Apol. c. 35.

39) Homil. III. §. 19.

40) In Const. App. L. II. §. 45 et 46.

a Iudaeis divinitus iussis ablata fuerint, comparat[41]), de collatis in Christianos quosdam, tanquam in sociorum legatos, subsidiis locutum esse. Quid? quod Celsus ille, eiusdem, atque Lucianus, aetatis et philosophiae particeps[42]), apud Origenem disertis verbis persuasionem increpat, qua Christiani rerum Romanorum rectores iam tum captos tenuerint[43]). Quod ne Origenes quidem factum esse negat, qui, quae opponeret huic criminationi, omnino non habuisse videtur. Redeunt enim quae refert, omnia huc, ut dicat: quis nostrum, o Celse, tibi auctor fuit rerum, quas tu propterea, quod Christiani eis, qui rebus Romanis tuo tempore praeerant, persuasissent, fore ominaris? Tecum certe nostri ea de re nihil communicavere[44]). Est igitur, quod suspicemur, pactionem illam priorem, iam Nervae tempore inter Romanos et Christianos confectam, M. Aurelii, filiique eius, Commodi, tempore renovatam fuisse, idque sedatis Cassii turbis. Quae renovatio, ut credere par est, a Christianae ecclesiae praeside eo ipso tempore, quo Cassius rebellionem parabat, astute quaesita, Luciano non minus, quam Celso, displicuisse videtur. Ille vero, quam hic confectam probris petebat, eandem, nondum ratam, ne fieret, ludibrio haberi voluerat. Idcirco, quam de ea meditatus fuerat cavillationem, Philopatridi suo etiam subdidit. Jam vero, id eius consilium si spectamus, intelligemus, cur Critias in haec erumpat verba: πέπαυσο ἐς μικρὸν, καὶ μηκέτι παρενοχλήσῃς, ὦ Τριεφῶν· οὐ γὰρ παροπτέος, ἢ ἀμελητέος γενήσῃ παρ᾽ ἐμοῦ, c. 2. Quae illo respectu sublato penitus obscura sunt.

41) Iren. ctr. haer. L. IV, 30, 1.

42) Amici etiam fuisse videntur Lucianus et Celsus; vid. Luciani Pseudom. s. Alex. c. 1.

43) Orig. c. Cels. L. VIII. p. 437. ed. Hoesch.

44) l. l. p. 438.

Timor ea expressit a fanaticis iniectus! recte quidem. At cur haec amicus amico? Scilicet nomina sunt, qui hic loquuntur, amici, quorum alter alteri ea, quae Romani et Christiani illius temporis sibi invicem dicenda haberent, dixisse fingitur. Illi igitur inducuntur ac si his dicant: Nolite nobis in posterum negotia facessere, neque enim amplius contemnendi aut negligendi estis. Quae quid sibi Juliani tempore voluerint, nemo sane divinet. Ita non nisi, quo tempore demum res Christianae Romanis momenti esse coeperant et commendari solebant per legationes ad Imperatores missas, in has res iocari aliquis poterat. Tum vero, tum facile quivis intelligebat, his verbis Christianos moneri, ut tandem desinerent defensiones scribere et legationes mittere ad Imperatores Romanos, quos sibi non tam argumentis in defensionem doctrinae suae conscriptis, quam potius auxilio contra fanaticos et rebelles ferendo conciliare possent. Socii, quales iam tum Christiani contra eiusmodi hostes praestare se poterant, profecto nec contemnendi, nec negligendi erant. Sed oppressis hostibus Romani socios item opprimere solebant, quod in Christianos eo magis commissuri videbantur, quo magis hi eis erant invisi. Hinc illa diffidentia, quae Triephontis animum contra Critiam stimulat. Hinc illa illius verba cauta: μὴ ἑτερεῖόν τι ποιήσῃς ἐν ἐμοὶ, καὶ ἕτερον κεύσῃς μὲν ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃς. c. 18. Nihil erat veri similius, quam Romanos tum consternatos, abnui velle Christianis ad contundendos, saltem ad inveniendos et aggrediendos illos rebelles et fanaticos. Arguta igitur sunt Triephontis haec verba: δέδια μή — με ὕπερον, ἢ θύρετρον — ἀπεργάσεται ἡ θαυμασία σου αὕτη κατάπληξις. c. 4. Neque iurisiurandi, quod Critias interponit (cf. c. 4. 12.), mentio, quae Gesnero insania videbatur (§. 24.), ex illis rebus spectata, consilio caret. Nam qua tandem alia re, ac iureiurando interposito, Romani Christianis fidem facere poterant

de animi sui integritate? Exinde vero cavillator vam capit cavillandi materiam, mirum esse memor quod Romani Christianis iurare velint. Per quem t dem Deum? his omnes Romanorum Deos contemn tibus? Fore iam, ut iuraturi accedant ad Deum eor quibus iurandum sit? Id est res, quae pertexitu c. 4. usque ad c. 12. Tandemque, quam mirifica ret coniunctio formularum precandi inter Romanos Christianos solitarum, indicaturus inducitur Critias εὐχὴν ἀπὸ πατρὸς ἀρξάμενος, καὶ τὴν πολυώνυμον ᾠδὴν ἐς τ ἐπιθείς· c. 27. Nam τὴν εὐχὴν, ἀπὸ πατρὸς coeptam, ir care orationis dominicae formulam, alii iam videri ut apparet ex Gesneri nota huic loco subdita; τὴν v πολυώνυμον ᾠδὴν viri docti, pro doxologia illi form adiecta, vel pro ulla alia Christianorum cantione bentes falsi esse videntur. Lucianus enim alibi ἐπι πολυωνύμου, tanquam carminis magici meminit [45]). multos Deos appellata fuisse videtur illa cantio.

Haec habuimus, quibus convinceretur auctor P lopatridos, sumsisse sibi, quos suspicione odii, q in genus humanum ferri dicebantur, exsolutos e voluerit, eosdem deridendos.

Prop. 8. De Mysticis, quos accusaturus erat Philopatridos auctor.

De illo autem odio accusaturus erat Mysti quosdam aetati suae obvios. Mysticus enim erat Cr ille politicus (c. 19.), et apud Mysticos introductu Critiam, qui eum sic compellabat: ὦ Κριτία, εἰ ἐ μυθεῖς, μυσταγωγήσω σε τὰ κάλλιστα καὶ τὰ νῦν γενησόμε c. 22. Eosdem Critias mox γόητας appellat c. Christianos significari censuere viri docti. At Ch stiana concio non viris tantum, sed omnis generis h

45) In Philops. c. 17.

minibus composita fuisset, neque abfuisset ab ea crucis aliquod signum, cuius Critias nullam fecit mentionem. Praeterea Basnagius [46]) jam monuit: Triephontem, quem auctor Christianum fecerit, ipsum maledicere illis erga Imperatorem male affectis: hos ergo non videri Christianos. Quod quamvis Gesnerus irritum reddere studet [47]), haud irritum esse censuerim. Triepho enim, quae de suo dicit magistro, quasi persona, quam agit, lapsus ex ingenio dicit auctoris [48]). Alias enim minime ludibrio habet res, quas defendit Christianus. Neque ulla subest causa, cur earundem socios et participes tandem aversetur. At enim quia fortasse senserat, Montanistas fuisse, in quos Critias inciderit. Et Montanistarum tamen concio insignis fuisset aliqua Christianae religionis nota. Praeterea Mystici Philopatridi obvii vereri videbantur, ne, qui advenerat, Christianus esset. *Χρηστὸς γὰρ ἂν εἴης* [49]), inquiebant, *ἀπό γε τοῦ σχήματος* c. 23. Ex habitu enim, an quis vir bonus sit, minime cognosci potest. An vero quis Christianus esset, ex habitu hominis tempore illo, quo scriptus est Philopatris, dijudicari poterat. At, cur auctor justum nomen, quod sciebat, hic non adhibuit? Propter ambiguum, quo vox Χρηστὸς pollebat, sensum. Hac enim ambiguitate efficiebatur, ut Mystici illi, utrum, ne Christianus, an, ne bonus quis ad

46) In Annal. Eccl. ad A. C. 213. n. 3. p. 267.

47) In Disp. supra l. §. 36.

48) Ita etiam Arignotus in Philopseude (c. 34.) praeceptorem suum, quem veneratur, describit ut *σιμὸν, πρόχειλον, ὑπόλεπτον τὰ σκέλη*.

49) Haec verba non cum Gesn. „videris enim homo minime malus", sed accuratius sic vertenda sunt: possis enim Chrestus esse. Ceterum Tatianus (c. 52. p. 112. ed. Worth.) negat Christianos *ἀπὸ σχήματος κρίνειν*.

sese accederet, timuerint, in aperto non essent. Pr terea Christiani sese ipsi Χρηστοὺς appellasse vident Cuius rei Iustinus Martyr testis est, cum v. c. dic ἐπεὶ, ὅσόν τε ἐκ τοῦ κατηγορουμένου ἡμῶν ὀνόματος, χρησ τατοι ὑπάρχομεν. — Χριστιανοὶ γὰρ εἶναι κατηγορούμε τὸ δὲ χρηστὸν μισεῖσθαι, οὐ δίκαιον [50]). Haec nominis rogantia notata esse videtur a Philopatride nostro p sonato his verbis: Ὀλίγοιγε χρηστοὶ, ὥσπερ πλέπω, π ταχοῦ (c. 23.). Sensus enim subesse videtur hic: nemo, nisi χρηστὸς Christianus est, perpaucos tant Christianos esse oportet. Illi autem, qui quem ap se intrare videbant, suspiciosi interrogabant: n forte χρηστὸς esset, ipsi neutro sensu χρηστοὶ esse pol rant. „At describuntur tamen ut homines asceta jejuniis, vigiliis malis, vestibus et duro victu se mac rantes, de magnis rerum conversionibus loquente hymnos canentes". Eja age, dic, cur, qui sic desc buntur, pro Christianis habendi sint? Nonne iidem tus et ab Essaeis, adeoque a Deorum, Isidos praese tim et Osiridos, sive Serapidos, cultoribus passi observati sunt [51])? Serapidos autem cultum Lucia jam temporibus per terras imperii Rom. quam max me invaluisse constat [52]). Isiacos igitur, quos nost

50) In Apol. II. p. m. 42. Gesnerus dubitat, (§. 21.) exemplo probari possit, Χρηστὸν dictum pro Christian Id vero ex verbis Just. M. supra collatis constare videt Si enim Christiani Christum κατ' ἐξοχὴν Chrestum dix rant, nunquam sibi Χρηστότατοι dici arrogassent. Ite Theoph. ad. Autol. §. 2. p. 8. ed. Wolf. cum dicit: ἄχρηστον ὢν τῷ Θεῷ ad nomen Christ. allusisse videt Certe Iustin. in Apol. Christianos ἀχρήστους vocat.

51) Vid. Plutarch. Is. et Osir. p. 378. T. II. ed. Franc 1599.

52) Clem. Alex. τὸν Αἰγύπτιον Σάραπιν dicit μεγαλοδαίμον additque: ὃν δὴ κατ' ἐξοχὴν πρὸς πάντων σεβασμοῦ κατ ξιωμένον ἀκούομεν. Coh. ad Gent. p. 42. ed. Pott. C

profert mysticos, insimulasse videtur. Primum enim mensis Μεσορὶ, cujus mentio fit (c. 22.) indicium est rerum Aegyptiacarum 53). Deinde initiati dicuntur κεκαρμένοι τὴν κόμην (c. 21.) et per ludibrium κεκαρμένοι τὴν γνώμην (c. 26.). Plutarchus autem refert, tonsos fuisse, qui his mysteriis initiati essent 54). Eandem rem Lucianus ipse alio loco testatus est 55). Tum et, qui adscribendus est Philopatridi nostro, locus, delubrum quoddam Isiacum fuisse videtur. (Cf. infra §. 20—22.). Denique hic et Julius audiendus est Capitolinus, qui Marcum Antonium (sive Aurelium) Isiacis, quorum nidum aliquem celeberrimum disturbaverit, infensum fuisse prodidit 56). Eosdem vero, quos M. Aurelio succensuisse, si Capitolino fidem habemus, dubitare non possumus, A. Cassio deditos fuisse docet inscriptio, quam Antonius van Dale et mutilam a Sponio et magis integram a Reinesio acceptam retu-

---

Orig. ctr. Cels. p. 265. ed. Hoesch. Osiridem vero et Serapidem pro uno eodemque Deo habendum esse testatur Plut. l. l. Praeterea sub Isidos cultu Pantheismum latuisse, docet Gruteri inscr. LXXXII, (2.) ubi haec leguntur: „Una, quae es omnia, Dea Isis.

53) Cf. Plut. l. l.

54) l. l. p. 352.

55) Cf. Luc. Philopseud. c. 34. ubi Pancrates, Isid. disc. ἐξυρημένος fuisse dicitur. Cf. etiam Casaub. in Lamprid. Commod. (c. 9.) p. 96.

56) Verba Capitolini haec sunt: Sacra Serapidis a vulgaritate Pelusiae submovit. Vit. M. Ant. Phil. c. 23. Alexander contra Sev. Isium et Serapium decenter ornasse dicitur, additis signis deliscis et omnibus mysticis, Ael. Lamprid. Alex. Sev. c. 25. Spartiani Sev. c. 17.

lit [57]. Ibi enim, quae A. ΚΑΣΣΙΟΣ ΕΥΤΥΧΗΣ ΝΕΩΚΟΡΟΣ ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ huic Deo sacraverit, recensentur. Res igitur Cassii et huius in Isiacos beneficiis et Aurelii in eosdem severitate mysticis his commendata erat. Hos igitur ut publicae salutis hostes, quibus, quae mala publica Christianis imputari solerent, maiori iure imputarentur, Luciani Philopatris indicaturus erat. Neque etiam, quod Crato ille, qui Critiam ad mysteria sua pellicere studebat, politicus dicitur, otiosum esse videtur. Indicium est studii, quo mystae illi rebus se publicis immiscentes consilia seditiosa aluerint.

PARS II.

De Philopatridos Lucianei tempore.

Prop. 9. De tempore ficto et vero rite distinguendo.

Sicut res in scena gerendae aliud semper, ac quo gerantur, tempus repraesentant, ita et dialogus Philopatridos nomine inclytus, sive potius famosus, aliud, ac quo scriptus sit, tempus, repraesentare consendus est. Nam quae in eo temporis notae reperiuntur, eae partim antiquius, quam quo Lucianus vixit, tempus referunt, partim recentius, quam quod dialogus refert, produnt. Utrumque tempus jam supra (§. 4.) indicatum est, utriusque vero hic notae singulae exponendae sunt.

---

57) Vid. Ant. van Dale Diss. IX. antiquitt. quin et marmorib. cum Rom. tum potiss. Graecis illustrandis inservientes. Amstel. 1702. τὸ Λ, quod Reinesiana ante Cassii nomen habet, mutandum esse in A. docet, quae antecedit, Sponiana mutila.

PARTIS II. SECTIO I.

De tempore Philopatridis ficto, sive de temporis Traianici notis huic colloquio inditis.

Prop. 10. **Prima hujus temporis nota: quae celebratur victoria.**

Ante omnia jam accuratius consideremus, quas in voces eruperit nuntius victoriae per Philopatridem nostrum celebrandae, quippe quibus, qui eas solas spectabant, interpretes decepti in diversas partes abierint. Ille igitur nuntius *πέπτωκεν*, inquit, *ὀφρῦς ἡ πάλαι βοωμένη Περσῶν καὶ Σοῦσα κλεινὸν ἄστυ* (c. 28.). Quibus quam celebrari intelligebant viri docti, victoriam summam sic quaesivere, ut, quas Romani a Persis reportaverint victorias tantas, a Luciani tempore sursum deorsum omnes perlustrarent. Quarum cum nulla his verbis absimilis esset, nulla non eis applicita virum aliquem doctum induxit, ut contenderet, ab ea celebranda profectum esse totum illud colloquium. At Susa tamen a nullo Romanorum Imperatore capta fuerunt. Rem igitur adulatorum more exaggeratam censeamus. Quod cum constat, tantum hoc quaeramus, quo tempore illa victoriae celebratio exaggerata ad veritatem maxime accesserit? Traianus certe primus tantam a Persis vel potius a Parthis reportavit victoriam, ut, si Susa cepisse diceretur, id non ab omni veri specie abhorreret. Ante eum igitur si quae res a Romanis contra Parthos bene gestae sunt, earum tanta praedicatio insana fuisset. Primus enim Romanorum Ctesiphontem cepit Traianus, primus Romanorum is in huius urbis regionem penetravit. Post eum et alii quidem tantum armis progressi sunt, ut Ctesiphontem attingerent vel adeo caperent, at de nullo eorum co-

gitasse potest, qui scripsit Philopatrin, unius cum tantum mentionem faceret αὐτοκράτορος c. 29. Utriusque enim meminisset Imperatoris, si vel de M. Aurelii Luciique Veri [58]), vel de Diocletiani et Galerii [59]) triumphis Persicis egisset? Id Gesnerus recte monuit (§. 13 et 27.). Est autem, quod idem moneamus Severi et Odenathi respectu. Quorum ille, cum de Persis triumpharet, filium suum, Bassianum sive Caracallam regni socium habuisse videtur, quem etsi Spartianus a militibus capta demum Ctesiphonte Augustum dictum referat [60]), numus tamen a Birago exhibitus ante patris expeditionem Persicam Augustum fuisse testatur [61]). Neque Odenathus, quum Augusti nomen consecutus Persas vincebat, solus fuit Augustus, sed Gallieni socius [62]). Julianus quidem, quum victor Persarum dici poterat, unicus erat Augustus, eius autem res contra Persas gestae multo inferiores fuere eis, quas Traianus olim contra Parthos gesserat. Ille enim ad Ctesiphontem tantum accessit, castraque stativa aliquamdiu ibi habuit, neque tamen hanc urbem cepit [63]), maiorem omnino non cepit urbium Persicarum, quam Bersabo-

58) Vid. Jul. Capitol. M. Anton. Phil. c. 8. et eiusd. L. Verus c. 8.

59) Vid. Eutrop. IX, 15 sq. Lactant. d. mort. persec. c. 9. Amm. Marc. XXIII. Zonaras XII, 32.

60) Vid. Ael. Spart. Severus c. 16.

61) Franc. Mediobarbus Biragus in Numism. Imperator. Rom. (Mediol. 1683.) Ubi numus quidam Caracallae, caput referens et Antonini Pii Augusti nomine inscriptus, ad Chr. 198. et Augustorum profectio ad bellum Parth. ao. 199. assignatur p. 272.

62) Vid. Treb. Poll. Gallieni duo c. 12.

63) Eutrop. X, 8.

ram [64]). Quam vero ille sibi gloriam ex bello Persico paraverat, ea post tantas iam ex illis terris reportatas victorias, quantae Traiano, Cassio, Severo, Odenatho contigerant, vix tanti fuisse videtur, ut ab eo demum fastus Persicus deiectus, Susaque, regni Persici regia, expugnata dicerentur. Ne adulator quidem impudentissimus id divulgare ausus esset. Non, quae gesta essent a Iuliano suo, sed quae ut ab eo gererentur, fore speraret, Libanius, et qui eius tum erat similis, praedicare solebat [65]). Neque fortuna, qua Constantius adversus Persas usus est, rebus a Iuliano contra eos gestis admodum deterior fuit, Persicum enim supercilium iam per Nisibin frustra tentatam collapsum et Persarum vires per calamitates, quas ibi perpessi essent, haud parum attritae fuisse perhibentur [66]). Exinde enim Sapor, rex Persarum, usque ad ultimum Constantii tempus (a Chr. 359.) Romanis nullas movit turbas. Plus igitur justo Gesnerus (§. 33.) tribuit Eutropii testimonio [67], qui, nescio qui factum sit, calamitatum, quas Persae ante Nisibin experti sunt, nullam fecit mentionem.

Neque demum id, quod Persarum, non Parthorum, supercilium cecidisse dicitur, efficit, ut recentiores Persas dici credamus. Solent enim recentiores gentes antiquiorum nomine nuncupari. Solent etiam recentiora facta antiquiorum laudibus celebrari. Nihil igitur veri est similius, quam quibus versibus Philo-

---

64) Zosim. III. c. 12 — 29.

65) Cf. quae Gesn. §. 34. ex Libanii Orat. VIII. et X. T. II. et ex ej. Vita p. 45. citavit.

66) Vid. Juliani Orat. II. p. 116. Theodor. II, 30. Theophan. (ap. Phot. Cod. 64.) Chron. Alex.

67) Eutrop. X, 6.

patris noster victoriam Parthicam celebratam audisse fingitur, iisdem in Alexandri forte Macedonis victoriam Persicam factis et Traiani et Cassii res in regno Parthico gestas fuisse laudatas.

Prop. 11. Secunda temporis Traiani nota: expectatio, quam illa victoria genuisse dicitur.

Illis autem versibus recitatis pergit praeco poeticus sic: Πέσει δ' ἔτι γε πᾶσα χθὼν Ἀραβίας, χειρὶ κρατοῦντες σὺσθενοτάτῳ κράτει. Haec cum indicent partem Arabiae iam devictam et reliquae bellum iam paratum, melius Traiani, quam ullius post eum victoris Parthici rebus conveniunt. Illius enim auspiciis Arabia Petraea iam ante eius expeditionem Parthicam subacta fuerat [68]), isque ipse Parthis devictis Arabiam felicem aggressus est [69]). Severus certe ancipiti contra Parthos fortuna usus, Atra, oppidum Mesopotamiae, frustra oppugnavit, indeque se in Syriam recepit [70]). Arabia igitur ab eo saltem non post bellum Parthicum devicta est [71]). Multo minus illa verba ad ullum alium Persarum victorem, minimeque ad Iulianum, qui nihil rerum in Arabia gessit, referri possunt. Ideoque Gesnerus, quam

---

68) Duce Aulo Corn. Palma, Syriae praef. v. Dio Cass. L. 68. p. 777.

69) l. l. p. 785.

70) V. Ael. Spart. Sev. c. 16. „Inde in Syriam rediit victor". Dio autem Cass. rem Lib. LXXV. (n. 855 et 56.) accuratius exposuit: receptui autem Palaestinam adsignavit.

71) Pugnant, quae Hier. in Euseb. Chron. praeclara de Severi victoriis anno Chr. 200. adscripsit, non solum cum eis, quae D. Cass. de Severo retulit (Lib. 68. p. 785. et L. 75. p. 855 sq.) sed etiam cum ipsis Eusebii verbis huic anno adscriptis.

sentiebat contrariam esse sententiae suae, silentio transmisit Arabiae mentionem (§. 33 — 35.). Iam vero consideremus, quas spes Triepho ex illa Imperatoris victoria sibi concepisse dicatur hisce verbis: Κἀγὼ, ταῦτα καταλείπω τοῖς τέκνοις, ὡς ἴδωσι Βαβυλῶνα ὀλλυμένην Αἴγυπτον δουλουμένην, τὰ τῶν Περσῶν τέκνα δούλειον ἦμαρ ἄγοντα, τὰς ἐκδρομὰς τῶν Σκυθῶν παυομένας, εἶτ' οὖν καὶ ἀνακοπτομένας (c. 29.). Perditam fore aliquando sperat Babylona, non aeque, ac Aegyptum aut Persarum posteritatem, in servitutem redactam. Cur illam perditam? Scilicet de urbe loquitur, quae teste Plinio [72]) ipsoque iam Strabone [73]) incolis admodum orbata paeneque desolata erat. Domitiani tamen tempore Apollonius Thyaneus eam adhuc inhabitatam invenisse narratur [74]). Traianus eam praesidio destitutam occupasse perhibetur [75]). Pausanias autem, qui Antonini Pii tempore vixit, suo tempore eam nullam exceptis muris superfuisse testatur [76]). Severus eam et Seleuciam desertas (ἐκλειφθείσας) cepisse refertur [77]). Hinc profecto Iuliani tempore, quae perdita posteris aliquando foret solatio, Babylon nulla omnino restitisse potest. Iulianus autem, qui teste Ammiano Marcellino [78]), ostentum ex equo, cui nomen Babylonii erat, captans, exclamabat, Babylona humi procidisse, id nomen ominis causa, quod captabat, pro Persici regni nomine usurpavit.

---

72) Hist. Nat. VI, 26.

73) L. XVI. p. 738 et 743.

74) Philostr. in V. Apoll.

75) Dio Cass. L. 68. p. 783.

76) In Arcad. Cf. Voss. de Historic. Gr. II. c. 14.

77) D. Cass. p. 854.

78) L. XXIII. c. 3.

Ita etiam Aegyptum Iuliani tempore ne debellandam quidem fuisse constat. Quapropter Gesnerus, cum, quomodo quis tum Aegyptum δεδουλωμένην fore sperare potuerit, id ex ingenio Aegyptiorum seditioso probaturus erat (§. 35.), oleum et operam perdidit. Traiani vero aetate Aegyptus tota flagravit seditionis incendio [79]. Tum igitur, qui patriam Romanam amaret, quisque, cum ipse immanem illam seditionem oppressam videre vix sperare posset, saltem posteria optare debebat, ut Aegyptum viderent subactam.

Praeter illos, qui ibi erant, Imperii Ramani hostes acerrimos, pro talibus praesertim Scythae tunc temporis sese gessere. Eorum igitur excursiones oppressas forteque penitus praecisas videre, summum erat, quod quis patriae Rom. amicus Traiani tempore post devictos Dacos, Parthos, rebellesque Aegyptios optare poterat. Serioribus autem temporibus, praesertim his, in quae Iuliani imperium inciderat, Gothi, Quadi, Sarmatae, aliique Romanis magis, quam Scythae, erant timendi: de quibus Gregorius Nazianzenus amere conquestus est [80].

Prop. 12. Tertia temporis Traianici nota: Caedes virginum Cretensium.

Neque tamen inter eas, de quibus hic ploravit, calamitates, referenda est caedes virginium Cretensium a Triephonte (c. 9.), commemorata his verbis: Οἶδα μυρίας διαμελεϊστὶ τμηθείσας νήσῳ ἐν ἀμφιτρύτῃ, Κρήτην δὲ

---

79) Dio Cass. L. 68. p. 786. Spart. Hadr. c. 5. Euseb. Hist. Eccl. IV, 2.

80) Orat. 14. T. I. p. 214. ed. Col. 1690. Δεινὸν δὲ καὶ τὰ νῦν ὁρώμενά τι καὶ ἀκουόμενα, πατρίδες ἀνιστάμεναι, καὶ μυριάδες πίπτουσαι, καὶ κάμνουσα γῆ τοῖς αἵμασι, καὶ τοῖς πτώμασι, καὶ λαὸς ἀλλόγλωσσος, ὡς οἰκείαν διατρέχων τὴν ἀλλοτρίαν.

τί μὲν καλέουσι. Ad interpretanda haec nihil faciunt, quae Gesnerus ex Gregorii Nazianz. oratione στηλιτευτικῷ I. (III. p. 87. in f.), ex Sozomene (V, 9.), ex Theodoreto (III, 9.), ex Martyrologii Romani die VIII. Sept. contulit. In his enim locis non de Creta sed de Gaza et Arethusa, non de multis virginum millibus, sed de aliquot singulis, quae dissectae fuerint, sermo est. Atvero Traiani tempore Iudaei rebelles Salamina, urbem Cretensem, delevere, ibique multa millia hominum utriusque sexus, omnisque aetatis trucidavere [81]. De his caedibus intelligendum est, quod Triepho de virginibus caesis notavit.

Prop. 13. Quarta nota temporis Traianici: Mensis Μεσορὶ malis futuris praefinitus.

In mensem μεσορὶ praefiniebantur a Mysticis illis, Philopatridi obviis, tanquam exitum habitura sinistra eorum vaticinia (c. 22.). Qui mensis, cum, quod bene notandum est, Augustum mensem aequet [82], praefinitur tanquam infausti temporis, quod mortem Traiani sequebatur, initium [83]. Ineunte enim mense Augusto Traianus diem supremum obiisse censendus est [84]. Quamobrem Mystici illi haud temere fingun-

81) Dio Cass. L. 68. p. 786. Orosius VII, 12.

82) Vid. Ios. Scaliger. de emend. temporum p. 198.

83) Quae tempestas a Spartiano in Vita Hadr. (c. 5.), sic describitur: „Deficientibus his nationibus, quas Traianus subegerat, Mauri lacessebant, Sarmatae bellum inferebant, Britanni teneri sub Romana ditione non poterant, Aegyptus seditionibus urgebatur, Syria denique ac Palaestina rebelles animos offerebant."

84) In Vita Hadr. (c. 4.) Spartianus haec narrat: „Quinto Iduum Augusti die, legatus Syriae, litteras adoptionis

tur praedixisse: ἐκβήσονται δὲ εἰς μῆνα Μεσορί. Vana igitur sunt, quae Gesnerus a die Iuliani supremo ad interpretandum hoc vaticinium coegit. Iulianus enim d. v. Kal. Iul. occisus est [85]), et cum, qui sequebatur huius mortem, mensis Augustus, rebus iam omnibus in integrum restitutis tranquillus erat, is nullo modo tanquam initium malorum futurorum praesignificari poterat. Et quid omnino sibi voluerit illa mortis, quae victori iamiam immineret, ominatio, si, quod Gesnerus ponit, dialogus ille ad primam, quae de Iuliani victoria Constantinopoli increbuerit, famam compositus fuit?

Prop. 14. Quinta temporis Traianici nota: Imperatoris liberalitas erga pauperum liberos.

Jam vero quae Philopatridis nostri verba inopiam superstite Imperatore, qui Parthos vicerit, sublevatam fore, eiusque victoris vitam liberis pauperum haereditatis loco esse indicant, (c. 29.) ea quoque momentum aliquod causae nostrae afferunt, cum referenda sint ad Traiani liberalitatem alimentariam. Neque enim ullus ante Traianum Imperator, neque post eum ullus Parthorum vel Persarum victor adiuvandis pauperibus et sustentandis pauperum parvulis tantam commeruit laudem. De qua, quanta fuerit, testatur Plinius et Dio Cassius [86]), testantur nummi in memoriam huius

accepit: quando et natalem adoptionis celebrari iussit. Tertio Idnum earundem quando et natalem imperii instituit celebrandum, excessus ei Traiani nuntiatus est." Phidimus quoque, Traiani libertus, qui dominum in morte mox secutus est, prid. Id. Aug. obiisse ex inscriptione in Scalig. animadv. ad Eus. Chron. exhibita (p. 191. ed. 1606.) cognoscitur.

85) Amm. Marc. L. 25. c. 3 sqq.

86) Vid. Plin. Paneg. c. 26 – 28. Dio Cass. L. 68. §. 5.

munificentiae excusi [87]), testantur denique marmorea, aeneaque monumenta [88]).

Prop. 15. Sexta temporis Traianici nota: Achilleum Traiani fatum.

Denique nec, quod Achilli fuerat fatale, in Philopatridos colloquio temere expositum esse videtur c. 15. Simili enim fato Traianus moriens perfunctus erat, qui aeque, ac Achilles, dicere potuisset: Ὤλετο μέν μοι νόστος, ἀτὰρ κλέος ἄφθιτον ἔσται. Etiam Traianus illam, ex qua non rediebat, expeditionem vix alio, atque gloriae studio permotus susceperat. Cuius rei testis est Dio Cassius [89]). Illud quidem et in Iulianum quodammodo quadraret, nisi is, quam sibi in bello Parthico paraverat gloriam tum, cum se ad incitas redactus cum exercitu reciperet [90]), penitus amisisset. Insuper ea non nisi post eius obitum scripta esse possent, quemadmodum revera de Traiano non nisi post eius diem supremum dicta sunt. Pugnarent igitur contra Gesneri de Philopatridis origine sententiam. Refert praeterea noster et hanc Achillici Traianicique fati similitudinem, quod utrique heroi praedictum fuerit, fore, ut expeditionem gloriosam morte finiret. Nam quod Deus Heliopolitanus Traiano dederat responsum, id de huius obitu explicatum fuisse testatur Macrobius [91]).

---

87) Vid. Ez. Spanhem. de praest. et usu numism. antiq. Vol. II. p. 289. et 542. usq. 544.

88) Vid. Jos. Eckhel in Doctr. Num. vett. T. II. Vol. VI. p. 424.

89) Dio Cass. c. 68. p. 778.

90) Amm. Marcell. L. 24, 8. et L. 25, 1. Zosim. L. 3, 26.

91) Cf. tamen, quae de huius oraculi ambiguitate monstraverit Ant. van Dale disserens de Orac. vet. Ethn. pag. 167 sqq. Hanc enim ἀμφίβολον καὶ ἀμφίκρημνον ἀπάτην noster (c. 16.) inprimis notaturus fuisse videtur.

Prop. 16. Septima temporis Traianici nota: felicitas temporis.

Postremo, si quis, quantum Plinius [92]), eiusque aequales sibi gratulati sint de Traiani imperio, meminerit, profecto is huius gratulationis vocem quasi repercussam existimabit haec verba: „Nos in optima incidimus tempora — Deo gratias agemus, quod nobis contigerit, sub tali vivere domino.“ c. 29. Quidni ergo ad illud tempus etiam referri possint haec: *χαίρουσι γὰρ πάντες, καὶ ἔτι γε χαιρήσονται.* c. 24. At enim bella, terrae motus, aliaque mala inciderant. Certe mavult Gesnerus ob ea mala Iuliani tempore illa verba dicta esse, §. 14 et 38. Quum Iulianus imperium tenuerit solus, tum fuisse praedicat ille tempus faustum et felix. Atat fames tum grassata, pestisque secuta est gravissima et utramque comitata sunt multa alia mala [93]). Tot igitur et tantis malis qui vexati erant, illis tanta et tam effusa fuisse praedicatur laetitia, ut apud eos solos publicum gaudium, felicitas temporum resederit!

---

92) Epist. LX, 7.

93) Amm. Marc. L. 22. 13. L. 23, 1 et 3. Greg. Naz. Orat. III. p. 79. T. I. ed. Col. 1690. dicuntur Persae *τῷ πολέμῳ καρτερῶς παραμένοντες*, et p. 80. laudibus Iuliani opponuntur *δῆμοι στασιάζοντες, καὶ πόλεις, καὶ γένη ῥηγνύμενα, καὶ οἰκίαι διιστάμεναι καὶ συζυγίαι σχιζόμεναι.* Chrysost. in Gentes pag. 677. Sozom. VI, 2. Liban. Or. IV, pag. 152. Or. XII. pag. 314.

PARTIS II. SECTIO II.

De tempore Philopatridis vero, sive de temporis Aurelici notis huic colloquio impressis.

Prop. 17. Quibus notis et quam ob causam Hadriani memoria a Philopatridis auctore revocata fuerit.

Neque tamen dialogus ille, cuius prae se fert temporis speciem, eiusdem progenies esse potest. Idem enim et serioris indicia fert temporis non minus luculenta. Primum notatu digna sunt, quibus Hadrianus, Traiani successor, notatus esse videtur. Quae, cum liberius quoddam, quam quo Hadrianus imperitabat, seculum spirant, eo recentiora se esse produnt.

Revocatur tantum huius Imperatoris memoria, ut quem promittunt mystici illi auxiliatorem, hunc fore significent alterum quendam Hadrianum. Hadrianus enim, teste Spartiano [94]) „ad colligendam gratiam nihil praetermittens, infinitam pecuniam, quae fisco debebatur, privatis debitoribus in urbe atque Italia, in provinciis vero etiam ex reliquis ingentes summas remisit, syngraphis in foro divi Traiani, quo magis securitas omnibus roboraretur, incensis.“ Restat etiam Hadriani numus cum hac inscriptione: Reliqua vetera H. S. novies millia S. C. abolita. Effigies monstrat lictorem face, quam dextra tenet, crematurum chartarum congeriem in terra iacentem [95]).

94) Spart. Vit. Hadriani c. 7. Cf. Dio Cass. L. 69. §. 8.

95) Vid. Ez. Spanhem. dissertt. de praest. et usu numism. vet. V. II. p. 552. Birag. eum numum refert ad ann. V. C. 871. Chr. 118. (p. 169.) ad eund. et Ios. Eckhel T. II. p. 478.

Easdem igitur largitiones, aureosque omnino montes illius, qui iamiam progressurus sit, auxiliatoris nomine promitti, monet Lucianus, dum seniculo illi mystico haec suggerit verba: Οὗτος τοὺς τῶν ἐξισωτῶν καταλείπει ἐλειπασμοὺς — καὶ τὰ χρέα τοῖς δανεισταῖς ἀποδώσει, καὶ τά τε ἐνοίκια πάντα, καὶ τὰ δημόσια. c. 20. Οὗτος τῷ χρυσῷ ἐπικλύσει τὸν λεωφόρον. c. 21. Ne vero, qui scire vellent, a quo tandem tanta munera expectanda praedicarentur, vaga aberrarent coniectura, retulit auctor, quod nominis huius adhuc tacendi signum daretur ab illis, scilicet: ἐν τῷ θεάτρῳ ἀναγεγραμμένον ὄνομα ἱερογλυφικοῖς γράμμασιν. c. 21. Sed quaenam fuerint litterae hae hieroglyphicae, id interpretes nihili fecisse videntur. Quae negligentia forte obfuit, quo minus, qui hic solvendus est, nodus iam dudum solveretur. Age faciamus iam eius solvendi periculum: In theatro annus, quo absolutum erat, non poterat non inscriptus esse, eique praefixum solemne illud: a b u r b e c o n d i t a, idque more solito his tantum literis: A. V. C. Iisdem vero scribi solebat nomen Avidii Cassii, nimirum sic: AV. C. Quod inter hanc et illam scriptionem intereat punctillum, id mysticis illis certe non tanti erat, ut dubitarent illum theatri inscriptionem, quae ante omnium versaretur oculos, in suam rem trahere.

Illa vero Cassii commendatio ab Hadriani largitionibus repetita eo efficacior erat [96]), cum M. A u r e l i u s, teste Capitolino [97]), i n l a r g i t i o n i b u s p e c u n i a e p u b l i c a e p a r c i s s i m u s f u i t. Oppressa demum Cassii

---

96) Praesertim in Bithynia, quippe quam provinciam, patriam scilicet Antinoi sui, maximis beneficiis Hadrianus ornasse consendus sit. Cf. Jos. Eckhel p. 493.

97) Capit. Vit. M. Ant. Phil. c. 23.

seditione M. item Aurelius remisit reliqua vetera, aliasque erogavit largitiones publicas [98]).

Ita etiam respectu Cassii magiae studium, quo Hadrianum flagrasse constat, his verbis tangitur: καὶ τὰς [τοὺς?] εἰραμάγγας δέξεται μὴ ἐξετάζων τῆς τέχνης. c. 20. Quibus certe haud alius subest sensus, atque hic: acceptos gratosque ille habebit praestigiatores magicos vel eos, quorum artem nondum expertus est. Memor iam si quis est, ea verba mysticis et magicis hominibus suggesta esse, is statim intelliget, promitti ab eis aliquem, qui coeco mysticorum et magorum amore Hadrianum aequiparet. Talem vero a talibus praesertim tum promissum fuisse, cum M. Aurelius sacra Serapidos Pelusii submoverit [99]), mystasque Serapeos irritaverit, id certe ad veritatem proxime accedit.

Prop. 18. Quibus notis M. Aurelii tempus quasi temere et obiter indicetur.

Sicut scriptores rerum scenicarum antiquitati, quam referunt, aliquid sui temporis vel volentes vel nolentes admiscere solent, ita et Philopatridos nostri auctor tempus suum non solum illustravit ex eo, quod in hoc colloquio repraesentare volebat, sed eidem adeo admiscuit. Id inprimis Artemidori Ephesii [100]) mentione comprobatur. c. 21. Hic enim, ad quem Critias, ut irrideat somniatores illos mysticos, provocans inducitur, vix ante M. Aurelii tempora, quos de somniis libros

98) Dio Cass. L. 71. p. 814. Euseb. Chron. ad ann. Chr. 179. Scal. Animadv. p. 207. P. Oros. VII. 15.

99) Cf. supr. §. 8.

100) Sive, ut matris causa, quae Daldi, oppido Lydiae nata erat, dici maluit, Daldiani.

reliquit [101]), scripsisse potest. Id ipse quodammodo testatus est scribens, se nosse homines (Athletas dicit, qui interfuerant Quinquennalibus, ab Antonino Pio in Hadriani honorem institutis, primis) ex Antonini Pii tempore [102]). Ad scribendum vero, ut in prooemio, dicit, animnm demum post longam cunctationem appulerat. Neque tamen, quod Gesnerus inde elicere studet (§. 9.) post M. Aurelii tempora scripsisse censendus est. At, inquit ille, Tertullianus tamen, somniorum interpretes enumerans [103]), huius nullam fecit mentionem. Quasi Tertullianus litterarum Graecarum tam accuratus fuerit censor, ut, quem ille taceat librum Graecum, is in lucem prodiisse neqneat. Quis est, qui v. c. inde, quod Suidas, quamquam Longini plura opera commemoret, tamen eius librum de sublimi praetereat silentio, concludere velit, hunc librum Suidae tempore nondum extitisse?

In notis vero, qnas Aurelici temporis noster habet Philopatris, merito et ea numeratur, quod, quam Trajanus de Parthis reportaverat, victoriam, in memoriam posterorum revocatam videmus. Illius enim victoriae certe nunquam magis meminerant Romani Trajano seriores, quam tum, quum Avidius Cassius eam quasi renovaverat. Huius certe atque illius victoria Parthica iisdem laudibus celebrari solebat, utraque eandem excitaverat expectationem. Aegyptum certe rebellem Cassius tandem, qui Bucolicos milites multa ibi saevitia grassatos retudisset [104]), penitus domaturus esse sperabatur. Nullo autem quam M. Aurelii tempore Romani

101) Ὀνειροκριτῶν LL. IV. adi. quinto de somniorum eventu.

102) L. I. c. 28 et 64.

103) In L. de anima c. 36.

104) V. Vulcat. Gallic. in Av. Cassii Vit. c. 6.

magis expectasse videntur, fieri posse, ut Scytharum excursiones tandem penitus abolerentur. Nam contra eos M. Aurelium ipsum plus una vice profectum esse refert Dio Cassius his verbis: τὰ Σκυθικὰ αὖθις αὐτοῦ ἐδεήθη [105]). Nimiae autem, quas Parthica Cassii victoria excitaverat, spes, haud melius temperari poterant, quam innuendo, spes olim iustissimas ex Trajani victoria Parthica conceptas, misere fefellisse Imperatore extincto optimo, ita iterum si Imperator, quo iterum uterentur Romani optimo, tolleretur e medio, praeclaras illas expectationes, ex Parthica victoria conceptas, totas fore irritas. Id autem Philopatridis scriptio, quibus dicata erat, iis innuisse videtur. Critias enim apud Mysticos illo adeo horrenda audisse testatur, ut ea effari nequeat, exclamat autem: nefanda consilia! vanissimas spes! (c. 2.) docetque, et spes eas et illa consilia tendere in patriae perniciem s. 25. 26. Num vero quid magis in patriae detrimentum consuli poterat, quam vivo adhuc atque incolumi M. Aurelio alium laudare et commendare rerum Romanarum rectorem? Eiusmodi autem commendationem et laudem inesse verbis putridi illius seniculi, Chariceni item et Chlevocharmi, qui tanquam praecones illius expectatati auxiliatoris introducuntur, (c. 20. 21.) quis est, quin sentiat?

PARS III.

Philopatridis Lucianei Scena.

Prop. 19. De scena ex fine et tempore fabulae constituenda.

Quod luminis hactenus Philopatridis nostri fabulae ex eius fine et tempore affulsisse videtur, id paene

105) D. Cass. L. 71. p. 814.

obscuratum evanuit, nisi scenam fabulae et fini et tempori aptam ostenderimus. Jam vero, si quem in locum Gesnerus hanc fabulam transtulit, ibi eam relinquamus, lucem certe novam ibi non consequetur. Attamen Gesnerus, quo loco habitum sit, quod dicitur Philopatridos colloquium, accuratius, quam alii, vidisse videtur. Sed audiamus virum ipsum (§. 28.): „Sub initium“, inquit, dialogi (c. 4.) [3.] haec Triephontis verba relata sunt: „βαβαὶ τοῦ ἀναφυσήματος, ὡς τὰς νεφέλας διέστρεψε. Ζεφύρου γὰρ ἐπιπνέοντος λάβρου, καὶ τοῖς κύμασιν ἐπωθίζοντος, Βορέην ἄρτι ἀνὰ τὴν Προποντίδα κεκίνηκας, ὡς διὰ κάλων αἱ ὁλκάδες τὸν Εὔξεινον πόντον οἰχήσονται τῶν κυμάτων ἐπικυλινδούντων ἐκ τοῦ φυσήματος. Aguntur itaque haec in littore Propontidos. Qui loquuntur, a fronte hanc ipsam Propontidem et austrum, a tergo Euxinum pontum et septentrionem habent. Si enim spiritus vehementior ore erumpens boream in Propontide debet excitare, ut haec non ita se habeant, fieri non potest. Igitur ad Bosporum Thracicum res gesta est, seu angustias illas, quae Propontida ab Euxino Ponto dirimunt, verbo Constantinopoli.“ Praeclare observavit vir summus, at quod ex observatis colligit, Constantinopoli scriptum esse nostrum Philopatrida, in eo egregie fallitur. In oris enim Bithyniae, in Chalcedonis confinio, ex adverso Byzantii quaerenda est Philopatridis nostri scena. Ibi enim non solum quae Generus observavit ita, ut ab eo exposita sunt, apparent omnia: Ibi etiam qualis describitur domus, in qua Critias Mysticos illos congregatos invenerat, ibi adeo, quale describitur ambulacrum, in quo amici colloquentes convenerant, revera extitisse ostendi potest. Eiusdem vero loci descriptio docebit, quantum is locus fecerit ad mystas Iseos indicandos, ergoque ad finem dialogi nostri consequendum. Praeterea si scena nostri dialogi in Bithynia fuit, ex ea provincia lucem accipiunt quaedam Philo-

patridis verba, quae alibi dicta admodum obscura sunt. Ex eadem denique provincia conscribendi huius totius colloquii finis optime illustrari potest. His igitur argumentis evincere spero, quam posui, scenam colloquii nostri Lucianei. Age vero ea iam singula exponam.

PARTIS III. SECTIO I.

De aedibus, prope quas Philopatridis Lucianei scena est.

Prop. 20. De loco conventus mystici a Philopatride indicati, templum Dianae Chalcedonensis repraesentante.

Locus, ubi congregati erant Mystae, quos Philopatris prodit, his describitur verbis: *καὶ δὴ διήλθομεν σιδηρέας δὲ πύλας καὶ χαλκέους οὐδούς. Ἀναβάθρας δὲ πλείστας περικυκλωσάμενοι ἐς χρυσόροφον οἶκον ἀνήλθομεν.* c. 23. Templum aliquod Christianorum sive basilicam in his verbis viri docti deprehendere sibi visi sunt, alii vero, qui contra disputabant, nesciisse videntur, quid sibi velit ea descriptio. Sed missas faciamus horum conjecturas, verbaque ipsa accuratius inspiciamus. Scalae hic describuntur non intra sed extra domum constructae, ducebant enim ad domum, monti nempe, in cujus fastigio aedes jacebant, aptatae, obliquae, flexuosae, reciprocae, quales solent esse scalae montibus praeruptis applicitae. Propter hos scalarum inflexus sive circuitus dicuntur adscendentes *περικυκλωσάμενοι*, non utique per cochleatam, sed per anguineam flexionem. Hae scalae infra, ad earum accessum, munitae erant portis ferreis, ut adscensio, si opus esset, defendi posset. In monte certe praerupto convenisse illos amicos colloquentes, jam his indicatum erat verbis: *κατὰ κρημνὸν ὠθούμην ἂν ἐπὶ κεφαλῆς σκοτοδινήσας, εἰ μὴ ἐπέκραξάς μοι, ὦ τᾶν.* c. 1. Etiam,

qui congregati erant in illa domo aureo tecto ornata, πεδάρσιοι ὄντες καὶ ὡς ἀπὸ ὑψηλοῦ ἅπαντα καθορῶντες dicuntur (c. 24.). Domus igitur aureo tecto conspicua, in excelso sita, Ponto Euxino et propontidi propinqua vix alia esse potuit, atque templum illud Chalcedonensium, cujus Strabo [106]) et Ptolemaeus [107]) et inter recentiores Petrus Gyllius [108]) mentionem fecerunt. Dicatum erat, si testibus his fides est, Dianae [109]), Dianam vero et lunam, sicut lunam et Isidem unam atque eandem fuisse Deam constat. Certe Isidem, sicut Dianam, pro luna et Proserpina habitam fuisse docet Plutarchus in Isidis et Osidiris descriptione. Hinc etiam Isea et Serapea signis Deliacis ornari solebant [110]). Dianae sacrum fuisse locum, ubi Critias Mystas invenerit congregatos, is ipse commonefacit narrans, se ibi, ut Telemachus in domo Menelai excelsa, cum advenisset, circumspexisse, nullam vero Helenam obviam sibi vidisse. Helenam enim Telemacho obviam facta dicitur ab Homero [111]) εἰκυῖα Ἀρτέμιδι χρυσηλακάτῳ. Voluit ergo Critias haec dicere: in Dianae delubro, cum simillimum esset Menelai palatio excelso, etiam videre speravi Helenam aliquam Di-

106) Strabo L. 12. p. 563.

107) Ptolemaei Geogr. L. V. c. 1. tab. 1.

108) Petri Gyllii de Bosporo Thracio L. III. cf. hic. L. tert. p. 202 et 203. (Lugduni 1561.)

109) Etiam Jovi Urio. Arbitratur autem Gyllius auctore Ptolemaeo, qui Jovis nulla mentione facta duntaxat promontorium Bithyniae esse dicat juxta Bosporum, in quo fanum Dianae sit, in eodem templo fuisse Dianam et Jovem; Jovem vero ex introitu ponti sublatum, nomen reliquisse Dianae. Certe illud templum magis a Diana quam a Jove denominari solebat.

110) V. Lampridii Al. Sev. c. 25.

111) Hom. Odyss. Δ, 121 sqq.

anae similem, ea tamen spes me fefellit. Ceterum illa domus Dianae sita erat, ut fana Isidos solebant [112]), in excelso, in promontorio Bithyniae juxta Bosporum.

Prop. 21. De loco amoeno, ubi amici Philopatrides in fabula Lucianea colloquuntur.

Haud procul igitur ab illo templo, unde Critias indignabundus effugerat, ei se offert amicus, quem ille animo quasi sedato ita hortatur: *ἀπίωμεν ἔνθα αἱ πλάτανοι τὸν ἥλιον εἴργουσιν, ἀηδόνες δὲ καὶ χελιδόνες ἔνηχα κελαδοῦσιν, ἵν' ἡ μελωδία τῶν ὀρνέων τὰς ἀκοὰς ἐνηδύνουσα, τό, τε ὕδωρ ἠρέμα κολαρύζον τὰς ψυχὰς καταθέλξειε.* (c. 3.). Locum hic describi amoenum, quisque videbat, cuique tamen ea descriptio nihil esse videbatur, nisi ornamentum quoddam satis otiosum. Attamen his verbis describitur, qui proximus fuerit amicis colloquentibus, lucus sacer, adjacens illi templo. Cuiusmodi cum lucus, teste Plutarcho [113]), contigui esse solerent fanis Isidos et Osiridos, summonitos illis verbis lectores esse volebat auctor colloquii, scenam esse in lucu quodam Iseo. Quamquam enim et aliorum numinum templa circumdata fuerint lucu quodam sacro, hic tamen propter alias notas Isaici cultus colloquio nostro impressas (§. 8.) de Iseo maxime cogitandum est.

Prop. 22. De opportunitate illorum locorum in Philopatridis colloquio.

Mystae Serapidis, cum, ut supra monstratum est, (§. 8.) ex Pelusio fugati essent, alium sibi locum a

112) Plut. Is. et Osir. p. 359. Ubi haec leguntur: *αἵ τε τῶν ναῶν διαθέσεις, πῆ μὲν ἀνειμένων εἰς πτερὰ καὶ δρόμους ὑπαιθρίους καὶ καθαρούς, πῆ δὲ κρυπτὰ καὶ σκότια κατὰ γῆς ἐχόντων στολιστήρια Θηβαίοις (συβοσίαις ἐοικότα καὶ σηκοῖς.*

113) l. l.

navigantibus frequentatum quaesivisse videntur. Nullus autem, si adjuturi erant conspirationem Cassianam, eis opportunior esse poterat, quam illud fanum Dianae in promontorio Bithyniae. In Bithynia enim jam Plinii tempore fana descrebantur [114]. Ibi igitur illi deserta fana occupare noviaque numinum cultoribus frequentare, praetereaque Cassii consilia, ibi nondum recepta [115], prosperare poterant. Huius igitur rei indicium, si, ut videtur, Philopatridis auctor voluit facere, haud temere locum, quem fabulae suae scenam faceret, elegit, neque eum obscurius, quam ut a lectoribus sui temporis intelligeretur, significavit. Res enim, quas ex suo et praecedente tempore diligentissime congesserat, cum adhuc hominibus ante oculos quasi versarentur, ipsae docebant et quasi clamabant, se esse tactas. Praeterea illud certe Dianae fanum in Bithyniae promontorio per se jam adeo notum fuisse videtur, ut a lectore attento quovis ex notis supra expositis facile cognosci posset.

PARTIS III. SECTIO III.

De causis, cur omnino in Bithynia Philopatridis Lucianei scena quaerenda sit.

Prop. 23. De luce, quae ex Bithynia loco cuidam Philopatridis obscuro affulget.

Critias, persona Romana, Christianum, quem in loco supra descripto invenerat, amicum ita alloquitur: *ἐπεί σε πρῶτον τιχάνω τῷ δ' ἐνὶ χώρῳ.* (c. 3.). Quae si Constantinopoli, tempore Juliani dicta fuerint ab idolorum quodam cultore ad amicum Christianum, nimium quantum languent atque frigent. Quid mirum igitur,

114) Plin. Ep. X, 97.

115) Cf. supr. Pr. 4.

si Gesnerus ea, quae ibi dicta censet, fastidiat? Is enim: „apud Homerum“ inquit, „pulchre dicitur: ὦ φίλ', ἐπεί σε ϑέοντα κιχάνω τῷ δ' ἐνὶ χώρῳ, sed in hoc Philopatridis loco sunt prorsus, si quid video, ἀπροσδιόνυσα.“ §. 23. Recte monuit, si modo locum, ubi dicta fuerint, verum invenisset. Cum vero, etsi non toto coelo, tamen toto Bospori Thracii intervallo aberraverit, tantumdem quoque abest, ut recte aestimaverit illa Philopatridis verba. Bithyniam spirant, in Bithynia valent. Ibi enim, cum Plinius, quas invenerat res Christianas, Romanorum **primus** tanti fecerat, ut eas ad Imperatorem deferret, recte, qui Romanorum fert personam, ad eum, cui partes Christianae delatae sunt, dicere poterat, se eum hic primum invenisse.

Prop. 24. De toto Philopatridis fine ex scena Bithynica illustranda.

Si, quem libello nostro Philopatridis finem inscripsimus, is revera habuit, quod hactenus ostendisse mihi videor, eum finem vix alia scena tam decebat, quam Bithynica. Ibi enim rebus a Philopatride hoc exponendis locus erat maxime opportunus adeoque proprius. Nuspiam enim significantius dici poterat, res Christianas Romanis haud amplius negligendas esse [116]), cum illae res eis nuspiam tanti momenti esse coeperant, quam in Bithynia. Ibi nimirum jam Plinio teste multi omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus his rebus addicti erant. Ibi jam tum non solum in civitates, sed etiam in vicos atque agros religionis istius communio penetraverat. Templa ibi erant desolata, sacra solemnia diu intermissa, victimarum inveniebatur rarissimus emtor. Ibi autem Christiani maxime aucti, quamquam

---

116) Cf. supr. Pr. 7.

Trajanus, ad quem Plinius earum res detulerat, de eis sententiam satis iniquam tulisse videbatur [117]), quietos se tenuerant tempestate mortem Trajani sequente turbulentissima.

PARS IV.

De Philopatridis Lucianei Lucianea indole.

Prop. 25. Quamobrem Philopatris Lucianeus Luciano abindicatus sit.

Hactenus igitur si recte demonstratum est, quo consilio et quo tempore scriptum sit Philopatridis colloquium, nec non quo tempore et quo loco habitum esse fingeretur, quid impedit adhuc, quo minus adscribatur Luciano auctori? Abhorrere dicunt viri docti ab hoc opello et ingenium et stylus Luciani Samosatensis. Restat igitur, ut quaeramus, an Philopatridis indoles revera illius scriptoris et ingenio et stylo indigna sit. Quae res, cum longum sit, eam juste et scienter disceptare, hic, ubi non ex instituto tractatur, paucis tantum attingi potest. Spero tamen, brevi via metam hic propositam assequendam esse.

PARTIS IV. SECTIO I.

De Philopatride ingenium Luciani spirante.

Prop. 26. De ingenio Luciani jam ex dispositione operis cognoscendo.

Si, ut statuat, qui scibit, ea, quae probandi, docendi, persuadendi causa dicenda sunt, quemadmodum

117) Cf. Plin. Epp. L. X. ep. 97 et 98. atque Te tull. apol 2.

componat, id vel maxime proprium est scribentis ingenio; ex rerum, quae Philopatridi nostro tractandae erant, dispositione et ordine ingenium coruscat haud vulgare. Ut in rebus, quas proponendas sibi sumserat, auctor ille popularis, admodum spinosis neque nimius neque exilis esset, obscuritatem et offensionem aeque vitaret, ut taceret, quae tacenda et tamen indicaret, quae indicanda erant, huc convertenda erat omnis ingenii acies. Jam vero, cum ex hac operis Lucianei commentatione appareat, quomodo, qui illas res tractandas habebat, eas tractaverit, de ejus demum ingenio rite judicare licebit. Judicent igitur lectores, utrum, qui Philopatridem scripsit resque in eo obvias admodum difficiles et periculosas ita, ut dispositae sunt, disposuit, ingenio valuerit, nec ne?

Prop. 27. De ingenio, aliorum ingenia ad vivum effingendi, Lucianeo.

Quemadmodum Gesnerus encomium Demosthenis Luciano vindicare studet, opus, quod ante eum viris doctissimis penitus abesse videbatur a Luciani lepore, gratia et perspicuitate [118]), ita etiam, quae in Philopatridis colloquio minus conveniant Luciani ingenio, excusari et defendi possunt. Quicquid inepte dictum, id non ad insipientiam, sed ad cavillationem auctoris referendum est. Quos derisurus est flosculi cuinsque docti captatores ineptos sciolos illos, qui, quam ex scena hominumque commercio reportaverant, doctam scientiam,

118) Vide, quas Reitzius encomio illi inenuti notas eruditorum adjecerit, inprimis Gesneri amplissimam. Lucian. a Reitz. ed. T. III. p. 490. Cf. etiam huj. dial. c 12. et notarum, quas Wieland. versioni suae adjecit, in Encom. Demost. vicesima secunda.

ubique jactabant, hos imitatur. Ita, quam in ψυχρότητα incidant illi, qui, quod assequi non possint tamen affectent genus dicendi sublime, eos imitando demonstrat [119]. Et si quis, quae restant ex Luciani tempore, scripta ecclesiastica, Justini Martyris, Athenagorae, attente legat observaturus, quem scriptores hi fecerint usum poetarum et mythologorum, is profecto intelliget, iis idem ac Triephonti, personae Christianae a Luciano introductae, proprium esse genus dicendi. Id pluribus, si operae esset pretium, demonstrari posset exemplis. Ut igitur hos scriptores ex magnis auctoribus, quos ipsos non legissent, centones quosdam, undecunque collectos male consarcinare ostenderet, idcirco Lucianus Triephontem Christianum introduxit male sedulum in adhibendis versibus pessime distortis et infeliciter affectantem genus dicendi sublime et grave. Hinc illi, quos urget Gesnerus, versus truncati et rebus vilissimis applicati. §. 24. Hinc etiam insulsa illa fabularum coagmentatio et sugillatio, quam Gesnerus ut ineptissimam notavit. §. 25. Hinc denique illa nimia et ridicula indignationis et doloris eruptio, qua correptus Gesnerum pupugit uterque amicus §. 23. Sociavit enim scriptor ille vafer cum tali doctore hominem semidoctum, bonum et simplicem, qui Philoctetis dolorem sinistre imitaretur [120]), haud aliam ob causam,

---

119) In Fugit. id significavit. Ibi enim (in f.) dominus fugitivi exclamationes ejus turgidas his excipit verbis: Τί τοῦτο παρεντίθης τῶν τραγικῶν σὺ διαλόγων.

120) Illud αἶ quater repetitum Philoctetis Sophoclei exclamatio est (v. 1107.) Neque ceterae Philopatridis nostri indignantis exclamationes, per se spectatae, magis offendunt quam Philoctetis illius terque quaterque repetitum παπαῖ (v. 746 et 755.) aliaeque exclamationes Sophocleae,

quam ut appareret, quales essent, qui illis verborum ampullis refutari et occupari possent.

Prop. 28. De ingenio Luciani a rebus Christianis non alieno.

Neque tamen Lucianus infensus erat rebus Christianis. Id jam, ut ea, quae supra (Pr. 5.) exposui, taceam, ex ejus Pseudomante apparet. Ibi enim qui exponitur, Alexander, praestigiator mysticus, introducitur exclamans: εἴ τις ἄθεος, ἢ Χριστιανὸς, ἢ Ἐπικούρειος, ἥκοι κατάσκοπος τῶν ὀργίων, φευγέτω. Neque etiam illarum rerum ille ignarus fuisse videtur. Licet id, quod Triepho amicum docet, plus esse, quam Lucianus alias de rebus Christianis scire se prodiderit. (Gesn. §. 17-20.). Quidni, quae, cum Peregrinum scriberet, adhuc nesciverat, postea didicerit? Si enim, quo Gesnerus eum fuisse dicit (§. 16.) revera fuit studio, polymathiam demonstrandi, certe non neglexit, quae v. c. Justinus Philos. scripserat, aliique Christiani publice docebant. Inde, quae Triephonti suo suggereret, abundanter sumere poterat.

PARTIS IV. SECTIO II.

De Philopatride stylum Luciani exhibente.

Prop. 29. De notis styli Lucianei in Philopatride obviis.

Firmissimum sententiae in Philopatridem dictae praesidium Gesnerus ex ineptiis styli, ibi obviis, petit, maxime nixus et sua litterarum Graecarum peritia et aliorum auctoritate. (§. 22 sqq.) Nihilominus in Philopatride, quae Luciani sint, quam plurima reperiri, vir ille summus ipse fatetur; „nimirum," inquiens, si quis

nostras annotationes inspicere voluerit, ille cognoscet, nullam fere esse extantiorem sententiam, ne phrasin quidem aut versum Homeri allegatum, quae non iisdem paene verbis in iis, quae Lucianus edidit, reperiantur." Exinde tamen vir doctissimus colligit: „Philopatrin Luciani imitatione scriptum et verbis fere Luciani Samosatensis compilatum esse." (§. 42 et 43.) At qui tantam ex Luciano sibi comparaverat rerum et verborum copiam, is certe, si non Lucianeo ingenio, Lucianeo tamen stylo usus fuisse videtur. Neque enim, si cui bonus scriptor admodum familiaris est, inculto ille dicendi genere facile utetur. Si quem iam consuetudo quotidiana cum elegantioribus elegantiorem reddit, quanto magis studium scriptoris elegantioris manu triti diurna atque nocturna stylum excolet? Sed videamus, qui possint, quae Gesneri nauseam moverint, Philopatridi inesse?

Prop. 30. Unde venerint, quae Philopatridi insunt, male loquendi formulae?

Exempla hic nobis petenda sunt ex aliis, praesertim ex meretriciis, Luciani dialogis. Nam qualescunque hic homines introducit loquentes, eos sua, saepissime, prorsus vulgari, loquela usuros fecisse solet. Cujus rei exemplum satis luculentum reperitur in initio primi dialogi meretricii. Ibi enim Glycera *τὸν στρατιώτην*, inquit, *τὸν Ἀκαρνᾶνα — τὸν εὐπάρυφον λέγω, τὸν ἐν τῇ χλαμύδι, οἶσθα αὐτὸν, ἢ ἐπιλέλησαι τὸν ἄνθρωπον;* Ita etiam *τὸ· γὰρ* uno quasi spiritu bis dictum[121]). Reitzio ipsi, elegantiae Lucianeae defensori acerrimo, hanc vocem extorsit: „Esto muliebris sermo, per me licet." Ipsam adeo pronuntiationem quaesite balbam aut stridulam Lucianus cavillans imitatus est. Hinc apud eam *ἀπα-*

121) Dial. mer. VII. p. 297. ed. Reitz. T. III.

μέκτισας, quod alias nunquam occurrit, pro *ἀπεμύχθισας*[122]) et *ἰκτῖσι* pro *ἰχθῦσι*[123]), et *ἐφέστρια* pro *ἐφέστια*[124]) legitur. Quid igitur mirum, si, quos tanquam sciolos irrisurus erat per suum Philopatridem, eos etiam, ut quam rudes essent, demonstraret, perplexe loquentes introduxerit?

---

122) l. l. n. 17.

123) In διψάδ. c. 3.

124) Dial. mer. V. p. 291.

De Dionysio Areopagita commentatio.

Scripsit

Lud. Frid. Otto Baumgarten-Crusius, Theol. D. et Prof. Jenensis [1]).

Ut feracissimum fuit suppositorum librorum seculum rei christianae secundum atque tertium [2]); at nihil tulit

1) Accesserunt ad repetitam libelli editionem observationes aliquae, praesertim quarum S. V. Engelhardt opportunitatem fecit. Placuit enim doctissimo Viro, examini submittere libellum de Di. Ar., in additamentis voluminis secundi libri: die Schriften des Dion. Areopagits. Sulzb. 1823. Quibus quomodo respondendum opinati simus, subinde isthic significavimus. Auct.

2) Suppositorum inter christianos librorum, praeter apocryphos et pseudepigraphos, idoneam rationem nondum redditam aut scriptam esse historiam (quam R. Simon iam postulavit, deinde L. E. Dupin aliique, et adumbravit Mosheminus, Diss. ad H. E. pertin. I. 217 sqq.) nuper etiam vere professus est Jac. Matter, essai hist. sur l'école d'Alexandrie, II. p. 304. Aliud agunt, quae clarissimus Valckenarii liber de Aristobulo Judaeo exposuit, latiusque patent, quae post alios Tennemannus disputavit Hist. philos. VI. 438 sqq. Et mirandum, quod nostrum in his praetermiserit Tennemannus,

ex hoc genere aetas ista aeque memorabile, neque, quae aeque ambigua essent et obscura; ac Dionysii Areopagitae, quae dicerentur, scripta, nempe, si istius ea aetatis censeantur. Excipias forte Clementina; sed magis tamen ea communem talium librorum modum tenuere, et, quando ad Areopagitica spectentur, nullius fere momenti fuerunt in antiquitate christiana: cuius rei licet reddi facile queat ratio, nobis tamen nunc non quaeritur. Sed alia omnia exstiterunt in Areopagita; qui singularis inter Platonicos christianos ingenii (Platonicum enim fuisse, omnibus conceditur) 3) singularem etiam inter suos doctrinam professus est; deinde, quem plurimi inter Graecos Latinosque (a seculo inde VI et IX.) aemulati sunt, ut ad eius exemplum vel mysticam theologiam conciperent (cuius nomen etiam ille commentus est), vel sacrorum rituum et rationes et usum constituerent, vel philosophantes de rebus divinis hunc sequerentur 4). Tum quid ecclesia, et Gallorum praecipue post Hilduinum sec. IX., ipsum hominem, Dio-

licet id cum plurimis faciat, qui de philosophiae historia scripserint. Obiter tantum compendii, ab eodem conscripti, editio tertia nostrum commemoravit, p. 180- 183. (ed. 4. p. 222.) Cf. etiam de eiusmodi scriptis amiciss. Thilo, prolegg. actorum Thomae, p. CXXIV.

3) Cf. Moshem. de turb. p. Plat. eccl. §. 45. Et negligentius Schoenius (Geschichtsforschungen über d. kirchl. Gebr. der Christen. II. 256) nuper non suam eam modo, sed quasi antiqua fuerit, opinionem descripsit, esse Gnostico cuidam libros istos tribuendos.

4) Debebant autem illuc etiam et potissimum attendere et amici et adversarii Dionys. Areopagitae, quam multa probe, subtiliter et sublimius scripserit, et ad sobrium istorum librorum in theologia usum. E quo genere aliqua istic passim monebimus.

nysium nempe Areopagitam, censuerit omittimus[5]); sed ostendent, quae deinde exponemus; concinere forsitan famam de scriptis et de homine. Dabunt certe omnes, de Areopagiticis libris gravem adhuc quaestionem posse instituti, et norunt cuncti, restare plurimam quaerendi materiam.

Tria autem in hoc argumento maxime spectanda fuere, quorum postremum adhuc fere neglectum videtur: primum de doctrina librorum, qui Areopagitae nomine circumferuntur; secundum de aetate, et, quoad definiri istud possit, de auctore[6]): tertium denique, quod effecerit, ut Areopagitae Dionysii nomen iste, non acceperit, aut obiter suum fecerit, sed consulto usurpaverit, adeo, ut epistolis etiam aliquot fingendis confirmare hoc instituerit? Hoc enim unum consilium fuisse videtur decem epistolarum, ip-

---

5) Fabulam istam sublaturos, Jac. Sirmondum et Jo. Launoium praecipue novimus, sec. XVII. certavisse. Ex alia causa Abaelardi lites de S. Dionysio exstiterant, aliqua pars eius calamitatum: cf. hist. cal. 10. et Opp. pag. 223 sqq.

6) Post veteres nonnullos (Phot. cod. 1.), deinde post Laur. Vallam et Des. Erasmum, postremo post Io. Morinum, clarissimus exstat librorum istorum adversarius Jo. Dallaeus: cuius liber de scriptis Dion. Ar. Baronio maxime et Bellarmino oppositus fuit. Et de universa Dallaei sententia nemo posthac dubitavit, cui nempe sententiam dicere liceret in hac causa; etiam in Romana ecclesia. (Cf. Engelhardt. vers. Dion. Ar. I. p. 208 ff.) Nempe neque Dionysii Areopagitae, neque hominis apostolici, ea scripta esse. Non ineptum tamen de nostro censet Metrophanes Crit. confess. I. p. 17. — Περὶ οὗ, εἶτ', πολλαὶ ἀμφιβολίαι κεκίνηνται — ναίπερ, ὅτι παλαιοτάτη ἡ βίβλος καὶ ὅτι σοφίας καὶ πολυμαθείας μεστή — οὐδεὶς ἀντειπεῖν δύναται. — Sed historiam Dionysii literariam istic non scribimus.

sius nomine editarum. Eundem vero fuisse librorum Areopagiticorum omnium auctorem, quo facilius opinamur sumi posse, quo pluribus concedatur, et quo clarius ex ipso sermone et argumento librorum pateat; ut certe, secus si cui placeat, coniuncto quorundam studio libri tribuendi sint, cui opinioni non multum nos quidem reluctemur.

Et, a postrema quaestionis parte ut exordiamur, minime certe sufficiat ad respondendum, si quis, discipuli tantum Paulini, eiusque celebrioris, nomen quaesivisse falsarium, dicat: fuerant enim longe clariora in ecclesia isto nomina e Pauli schola et consuetudine. Praeterea ad Pauli auctoritatem non magis quam ad reliquos apostolos, noster provocavit, nisi, quando ex argumento hoc nexum esset [7]). Neque sufficiat, quod hominis christiani philosophi nomen circumspexerit falsarius: nam ad Dionysium Areopagitam hoc non continuo attinebat. Magis ad rem esse videtur, quod Engelhardtus, theologus Erlangensis, (qui eandem nobiscum operam in Dionysio Areopagita dudum suscepit, et luculentius absolvit [8]), censet, Atheniensis, Procli, scholae alumnum aliquem istius philosophiam ad christianam religionem accommodavisse, sed gloriatos illic fuisse maxime Dionysio suo, quem Lucas etiam, primitias veluti Atticas, commemoraverit (Act. 17, 34.)

---

7) Nomina autem, quibus Paulum ornat, div. nom. 7. (θεῖος ἀνὴρ — ἥλιος) communia honoris nomina sunt apud nostrum. Et sic quoque, eccl. hier. 6. (θεῖος ἱεροτελεστής); in quo loco praeterea dubium est, an Hierotheum suum potius intellexerit, quam Paulum.

8) Prodierant adhuc ex hoc argumento hi eius libelli: de Dionysio Plotinizante. Erlang. 1821. et: de origine scriptorum Areopagiticorum. 1822. (Deinde librorum Areopagiticorum versio, quam commemoravimus, in qua eandem de nomine auctoris opinionem professus est.)

et primum Atheniensium episcopum veteres dixissent (Eus. H. E. 3, 4. 4, 23.), unde huius etiam ille nomen suum fecerit. Et sane, ad nostrum licet auctorem non referendum videatur, censemus et nos, Atheniensem aliquam christianorum scholam exstitisse, seculi tamen magis quarti, Proclo igitur superiorem, quemadmodum Alexandrina fuerit et Antiochena; et memorabilem eius cum philosophis gentilibus coniunctionem, qui tum istic docuerint [9]). Eius scholae principes interpretes opinamur Gregorium utrumque et Basilium; et horum consensum aliquem cum Dionysio nostro, Gregorii praecipue Theologi, antiquiores iam perspicere sibi visi sunt. (Cf. Pachymerae paraphr. 758.). Sed magnum tamen horum etiam discrimen obtinet, deinde de Procli schola, quomodo ad nostrum ea habeat, infra exponemus: at nominis illius causam hanc, quam descripsimus, qui arbitretur, habet, quod tueri queat. Alia licet nobis videantur.

Etenim, ut summam nostram disputationem continuo describamus, scriptorem istum censemus fuisse aliquem, qui Graecorum mysteria, qualis cognovisset, ad rem christianam integra et accuratius, quam factum sciret, transferre instituerit; nomen autem a Dionysiacis sacris sumeret, idque forsitan e communi usu, quo, qui sacris operarentur mysticis, non modo mutarent nomen (quod certissimum est) sed Dei etiam sacrorumque suorum nomen suum facere possent

---

9) Gf. qui secommodate ad nostrum ea de re egit, egregium Degerandum, hist. philos. IV. 87 sqq. De schola Atheniensi istius aetatis philosophica universa Wyttenbachius exposuit, ad Eunapium Boissonadii II. 44 sq. de christiana autem, quae Athenis exstiterit, antiquioribus jam theologis desripta, cf. post alios Guerike de schola Alex. (Hal. 824.) p. 2.

quemadmodum Deorum etiam sacerdotes fecere [10]). Cui deinde Areopagitae cognomen adiunxerit, quoniam et ἔγγραφον esset et clarum. In qua opinione, dudum concepta, id etiam nos confirmavit, quod celeberrimum Dulaure, historiae Parisinae nuperrimum scriptorem, accepimus ab iisdem Dionysiacis nomen et cultum Sancti illius Dionysii, Gallorum patroni, duxisse; atque censemus adeo, de scriptore etiam Dionysio Areopagita eandem defendi posse sententiam [11]).

Sed argumentum, quod descripsimus, amplissimum cum semel hic absolvere constituerimus, in haec nos contrahemus, ut, positis quibusdam de aetate librorum Areopagiticorum, eorum deinde doctrinam et indolem,

---

10) Luciani nobilis locus est, huc facile referendus, Lexiphan. c. 10: ἐξ οὗπερ ὡσιώθησαν (hierophantes et reliqui sacrorum praesides) ἀνώνυμοι εἰσὶ, καὶ οὐκέτι ὀνομαστοὶ, ὡς ἂν ἱερώνυμοι ἤδη γεγενημένοι. — Et quando Dionysius noster Hierotheum dicit suum praeceptorem, in promtu est, nomen istud et symbolicum esse et sacrum; et similiter, fictum certe, censebat iam Dallaeus (l. c. p. 155 sqq.). Sic div. nom. 8, 6. Elymas Magus (ex Act. 13, 8.) ita dicitur, ut nomine symbolico magorum de rebus mundi sententia significetur.

11) Similem sententiam iam Casaubonus de nostro conceperat, Exercc. Antibaronn. XVI. 43. p. 498 sqq. At sermonem tantum Dionysii spectavit, quem obscurum et artificiosum dicit, qualis mysteriorum fuerit: et possunt his, quae Casaubonus monuit, nostra suppleri, nam ad sermonis formam respicere noluimus. Unde Dallaeo etiam noster fere hierophantes appellatur. Casaubono autem et ipsi scriptor dicitur et antiquissimus et elegantissimus, nec debebat hoc male habere Dallaeum. — Et similia fere antiquum carmen in Dionysium effatum est, Anthol. Palat. I. pag. 21.

Οὐρανίων θιάσων ἱεράρχια τάγματα μέλψας,
Μερφοφανῶν τε τύπων κρύφιον νόον εἰς φάος ἕλκων,
Ζωοσόφων λεγίων θεοτερπέα πυρσὸν ἀνάπτεις.

et sic disputemus, ut praecipue, quomodo a gnosi christiana, deinde a communi et ab ethnico Platonismo ea differat, intelligatur; in quo negotio parum adhuc clare expositum videtur ab historicis. Et monstrandus erit postremum nexus, quo haec talis eruditio vetustis mysteriis iuncta fuerit, et Dionysiacis maxime, qualia tum haberentur; ac ostendendum consilium, quo coniunxisse noster videatur. Certissimum autem habemus, ut hoc occupemus, non monachis solis nostrum scripsisse, quemadmodum visum olim nonnullis: licet ad se ea scripta maxime attinere crediderint monachi, quae est mysticismi et asceseos cognatio. Imo sacerdotalis potius muneris praestantiam descripsisse putandus esset, nempe, si externam aliquam rem omnino spectavisset; sed suam potius tantum doctrinam profiteri voluit [12]).

Ac primum quidem de aetate totius videtur, negantibus disputare quam affirmantibus. Quod autem seriori fere aetati, et sexto quidem seculo, libri Areopagitici adscripti fuerint, paulo dubiis argumentis niti videtur. Ducuntur praecipua ab usu librorum, quem certum est seculo demum sexto fere medio factum, et etiamnum ambiguum atque controversum, deinde ab opinionibus quarti et quinti seculi, quas scripta ista attigerint. Illud autem argumentum scimus per se parum valere; neque enim e monumentis, forte nobis oblatis, antiquae sententiae simpliciter aestimandae sunt: neque, ut

12) Consulto noster in nonnullis locis hoc egit, ut, monachorum ordinem inferiorem esse sacerdotibus, ostenderet. Praecipue eccl. hier. 6. et epist. 8. Neque qui monachorum sermone uti vellet, et gratum iis facere, usus fuisset voce θεωρητικός eo sensu, quo eccl. hier. l. c. §. 5. legitur. Significat enim istic, quibus e longinquo tantum intueri liceat in mysteria; sed monachis sacrum habebatur vocabulum ipsisque proprium.

singuli quidam non usi fuerint scriptis aliquibus, quae non cognoverint aut repudiaverint; inde, non ea tum exstitisse, recte colligitur. Neque (quod Engelhardtus cum Dallaeo censet) ulla qua necessitas commemorandi cogitari potest, quae antiquos scriptores continuerit. Verosimile tamen utique habendum, scripta illa diu latuisse, profundo enim silentio Areopagitica omnia teguntur in antiquiore ecclesia. Sed plurima ambigua sunt in altero argumento. Etenim, ut praecipuum, et quo nostrates hodie fere solo utantur, commemoremus (Dallaeos praeiverat p. 167 sqq.) non continuo Chalcedonenses formulas adhibere censendus sit, qui formulis utatur, ἀναλλοιώτως et ἀσυγχύτως in loco de ἐνσαρκώσει, quod factum est a Dionysio, div. nom. 1. et 2. Debebat praeterea, qui Chalcedonense decretum reddere vellet, non reddere tantum, quod Eutychianis oppositum fuisset; et mirandum sit, quod nostrum iidem homines, Monophysitae scilicet [13]), primi amaverint et adhibuerint, si Chalcedonensem formulam ille tenuisset. Et plura sane alibi pro Eutychis sententia habet, quam pro orthodoxa, de quibus posthac exponemus. At formularum istarum alius plane sensus est apud Dionysium (quod non debebat praeterire optimus Engelhardtus): neque enim hoc significant, divinam Christi naturam non commixtam exstitisse humanae, sed divinam universam naturam, sed Deum, cum Christus homo exstiterit, non se creatae naturae infudisse aut abiisse in eam, sed integrum et per se sibi mansisse. Quod e locis nonnullis, collatis invicem intelligitur [14]). Neque Nicaenas

---

13) In celebrata illa collatione Constantinopolitana, a. 532, Severiani; posthac Acephali, primum monstrante eodem Dallaeo (cf. de usu patrum p. 37.).

14) Ex ipsa iam descriptione l. c.; sed conferendi sunt loci, eccl. hier. 4, 3. 5, 7. Legitur illic: τῶν θείων μετουσία,

quis formulas in his agnoscat: τριαδικὴ μονὰς — τριαδικὴ ὑπόστασις — aut sententiam Nicaenam credat (div. nom. 1.): πηγαία θεότης ὁ πατὴρ, ὁ δὲ Ἰησοῦς (de divina natura) καὶ τὸ πνεῦμα βλαστοὶ, καὶ οἷον ἄνθη καὶ ὑπερούσια φῶτα etc. quae Sabelliana plane sunt; ut est noster Sabellianae in hoc argumento opinionis. Deinde quis nescit, voce ὑπόστασις de tribus illis, quemadmodum Dionysius ea usus sit, Platonicos, etiam gentiles, semper usos fuisse. Tum, doctrinam de trinitate omnino non attinuisse ad decreta Nicaena. Denique illud repetimus, qui talibus formulis inter alias utatur, eum non necessario ex ecclesiastico eas usu duxisse.

Provocaverunt ad consuetudinem etiam ecclesiae seriorem, quam enarraverit Areapagita: verum, ut omittamus, quae inferius huc disputanda sunt, ignoramus de singulis istic plurimis, quando ea primum exstiterint, in quibus etiam vere noster exposuisse censeri possit aliquam ecclesiae consuetudinem.

Longe maioris censemus, quod ab altera parte moneri queat, ut antiquiora nempe scripta ista censeantur: a seculo inde septimo plane convenisse optimis Graecae ecclesiae auctoribus de librorum istorum antiquitate, quam Joannes Damascenus postliac maxime illic confirmavit. Certe id quod subito comparuisset, non potuit tantam tamque certam occupare auctoritatem; neque alibi ita factum est. Praeterea in ipsa etiam librorum indole aliqua exstant temporis antiquioris vestigia. Et (ne praeripiamus, quod deinceps absolvemus) videtur sane ipsum hoc consilium, si quod fue-

---

ἀμείωτος καὶ ἀκίνητος πάντη, καὶ εἴσω τῆς κατὰ θείαν ἵδρυσιν ἰδιότητος ἀπαραλλάκτως ἑστηκυῖα. Hic εὔκοσμος καὶ ἀσύγχυτος τῶν θείων ἐνεργειῶν τάξις. Hoc igitur sibi vult istis in locis: Deum, si agat aut sui participem faciat naturam creatam, nunquam e suo statu suave natura transire. Rem sublimiter describit div. nom. 9, 4.

rit, ut opinamur, Graecorum mysteria adhibendi ad christiana sacra, pertinere ad superius aevum, quo tanti hoc esse videretur, et fieret sine suspicione inter christianos, quod secus habebat infra quartum seculum. Nam mansere tum formulae tantum aliquae e mysteriis, dum ipsa interiissent, et horrerent rem christiani. Deinde quod gnosi alicui auctor mysticam suam theologiam adeo exacte opposuerit; id ipsum facile eius fuisse credatur aetatis, quae gnosi christianam aliquam philosophiam peculiari quodam sensu obiecerit; quod seculo tantum secundo et ineunte tertio factum scimus. Quae enim serius gnosin nonnullis referrentur, negligentius referebantur; illa enim absque dubio intra ista tempora exstincta fuerat. Et nescio an hoc addendum sit: quos ritus describat ecclesiastica Dionysii hierarchia, sed non usurpatos vere tum atque solennes, verum, quales ingenium auctoris et sensus comminiscerentur, non potuisse tales describi, posteaquam publicus exstitisset cultus inter christianos, hoc est infra quarti seculi initia. Denique omnino falsarios, qui rem ut Areopagita agerent, integrum nempe librorum systema fingerent, et philosophiae quidem gratia, non tulisse videtur ecclesia, et certius constituta, et sacro atque ecclesiastico canone instructa.

Ergo manere illud opinamur, antiquam christianorum aetatem Areopagitica scripta referre, definitius autem tempus ignorari. Neque ultra tertii seculi initia progredi ausim in constituenda auctoris aetate. Sed, quoniam Alexandrinorum potissimum ea ratio fuit in theologia, ut et mysteria Graecorum propius ad rem christianam admoverent, et e scholis Platonicis philosophari docerent christianos, et proprium omnino ipsis doctrinae sacrae artificium; nihil certe obstat, quominus Alexandrinis noster etiam accenseatur. Ut omittamus, quod ex hac etiam ecclesia primum hi libri inno-

fuerint, Therapeutarum deinde nomen, de monachis a nostro adhibitum, et talia multa [15]. Ad primum igitur, quod in quaestione esset, ista monita sufficiant: magnum enim est secundae quaestionis, de doctrina et indole librorum, negotium, quod a principio nobis disputandum sumemus.

Fuerunt autem in universa de Platonismo Patrum disputatione, aliqua confusa, inde quod gnosin et Platonismum, deinde, gentilem atque christianam Platonicorum doctrinam, fere confunderent. Sed adversarii sibi gnostici fuerunt atque Platonici, et horum praecipue studiis interiisse gnosis censenda est; deinde, ut hoc e nostri maxime Dionysii scriptis intelligitur, ita gentilium quoque et christianorum Platonicorum discrimen unus omnium maxime servavit. De quibus primum dispiciendum arbitror [16].

Scilicet non modo ad diversos se fontes referebant gnostici et Platonici, sed diversam etiam rerum et divinarum et humanarum notionem colebant. Licet, exstincta praecipue gnosi, confusio exstiterit et fontium

---

15) Latinismos Semlerus, credo, in Alexandrinorum etiam sermone observaverat, praeter doctrinam, quam plurimum semper convenisse Alexandrinis atque Romanis, certum est. Sunt forsitan tales in Dionysii quoque scriptis. Ut ἱερῶν nomen de sacramentis etc.

16) Novimus, adversus gnosticos scriptum esse Plotini enn. 2. libr. 9. Et potest ex eo iam genuina discriminis istius notio informari, licet e vulgari magis fama Plotinus indicaverit, malam mundi materiam, eamque aeternam a Gnosticis poni, et adversus hanc potissimum disputaverit. Opponit enim, in mundi anima ipsam se mentem Dei prodere, neque illius aliquod detrimentum, aut lapsum quendam (νεῦσιν) exstitisse. — De discrimine Platonismi et gnoseos Lewaldus etiam scripsit, de doctr. gnosticorum p. 70 sqq. In quibus ille secus sentiat, ac nos, non est quod ostendamus.

istorum et formularum; et Valentinianorum consilium hoc dudum fuisset, conciliandi sibi utramque partem [17]). Fontes fuere gnosticorum, priscae orientalium religiones, quarum fama ea aetate in unam aliquam doctrinae formam confluxisset, ἀνατολικὴν διδασκαλίαν, quae diceretur [18]): omnino autem magis illi ad auctoritatem et suarum familiarum sive mysteria sive traditionem provocavere, quam ad mentis studia atque decreta. Illorum fontium quorundam usum Porphyrius et posthac Proclus suis etiam aperuisse videntur. At, quod praecipuum est, summa g n o s t i c o r u m doctrina emanatismo absolvebatur, a quo Platonismus maxime abhorrebat. Nempe sic ille censebant, non ipsum illud aeternum numen aeque adesse, aut adesse omnino, rebus creatis, neque effecisse ut essent; sed Dei quaedam simulacra, magis ea minusve clara et expressa, sic, ut obscuriora semper et tenuiora ex augustioribus et clarioribus prodierint [19]). Et

---

17) Unde non satis recte a Valentinianis fere formulae repetuntur et sententiae gnosticorum; fuit enim ista syncretistica, ut diximus, familia; quales aliquae etiam inde a sec. XV. fuere, quae cabbalam et Platonismum invicem conciliare instituerent. (Ut H e n r. M o r u s etiam in iis, quae C a b b. d e n u d. P. III. exhibet.). Sed inde factum, quod ab antiquissimis Patribus, qui Valentinianos maxime spectarent, a Platonismo gnosis repeteretur, licet exactam familiarum philosophicarum notitiam apud eos frustra requiras.

18) Tales Porphyrius etiam gnosticos describit, v i t. P l o t. 16. Sed addemus, quod huc pertinet, παλαιότητα, quae Dionysio dicatur, d i v. n o m. 4, 4. et 5, 2., quod ea scilicet solem pro deo habuerit et resurrectionem e morte negaverit, non de religione gentilium explicandam videri, sed de eodem, sive philosophiae sive religionis genere, quod Porphyrius etiam illic παλαιὰν φιλοσοφίαν dicit. Igitur neque cum Maximo παλαιὸν haberi potest i. q. μωρὸν, neque cum Dallaeo serioris inde aetatis argumentum ducendum.

19) At certus error in eo est, quod communi tamen sententia antiquitus tenetur, aeternam mundi materiam a gnosticis

credimus, non hinc exstitisse inter veteres istas opiniones; quod creatoris Dei notionem conciliare laboraverint sententiae, ex nihilo nihil fieri; sed ex imaginibus vulgaribus, quibus redditum hoc fuisset: inesse Deum in omnibus, esse tamen rerum mundanarum et humanarum necessarios quosdam limites, et in singulorum hominum vita varia divinae humanaeque facultatis certamina. Unde cultiores quoque doctrinae saepe formulis emanisticis tanquam imaginibus suae sententiae et usae sunt et etiamnum utuntur. Platonismus autem ita sensit: ipsum hunc aeternum Deum esse, qui rebus, ab ipso conditis, aeque omnibus adesset, sed esse rerum principium in mente divina, in qua sui Deus ideam conciperet, vivam illam et efficacem; in mentis igitur divinae efficientia, ψυχῇ, ut in Deo tria illa spectanda essent, τἀγαθὸν s. ἕν, νοῦς et ψυχή, quae trias est Platonica. Quamvis necessariis quibusdam limitibus vis divina, dum crearet, se contineret, et essent mundi partes, in quas minus penetraret. (Illa ἀνάγκη, ἀπειρία, denique ὕλη Platonis fuit.) Sed intelligimus, quae hinc existere debuerint discrimina sentiendi de rebus quoque vitae; imperatur enim homini ex emanationis doctrina, ut natalium tenuitatem et corruptelam interitu suo tollat; at iubet Platonica sententia conformare sesemet homines ad exemplar divinum, et excelsa mente participare Dei vim et efficientiam, eiusque fieri socios. Igitur perdit illa, vult haec evehere atque erigit [20].

---

defensam fuisse: istud enim emanatistarum sententiae prorsus repugnat. Sed multo gravior eorum, qui Platoni eam opinionem tribuunt; quod a Plotino, Proclo et Hierocle praecipue iam impugnatum est.

20) Illud optime, licet ad mundi contemtum potius relatum, a Plotino notatur, l. c. 15. Spernere Deos, ait, et coelestium rerum exemplar, qui mundi res spernat. Et alibi,

Dionysius autem Areopagita (utamur enim nomine, quo appellari placuit ignoto scriptori) hoc ipsum gnoseos suaeque h. e. Platonicae, doctrinae discrimen conceperat [21]). Et peculiare praeterea facit discrimen in sententia concipienda de cognitione Dei, de qua postea dispiciendum erit. Sed in uno argumento, e quo liber agit Areopagitae de hierarchia coelesti, nexum quendam conficere voluisse videtur gnoseos atque Platonismi, et ipsum deinde describendum; estque peculiaris ipsi opinio ista emanatistica, ad notionem spiritualis mundi adhibita; neque praeter nostrum vel Jamblicho, praecipuo novae inter Platonicos daemonologiae auctori, vel christiano cuidam Platonico, quod nos quidem norimus, descripta [22]).

1, 8, 6. fugam mentis dicit, non discessum e vita, sed, τὸ καὶ ὄντα ἐπὶ γῆς, δίκαιον καὶ ὅσιον εἶναι μετὰ φρονήσεως.

21) Etiam Clementina scripta, recognitiones nempe at homiliae, gnosticis opposita fuere, magis tamen doctrinis ipsorum iis, quae ecclesiasticae adversarentur. Deinde homo iste in re metaphysica ipsa propius aberat a gnosticis, quam a Platonicis. De summa ista doctrina primus accurate exposuit optimus Neander: Anh. z. genet. Entwick. d. gnost. Systeme.

22) Jamblichi liber de Aegyptiorum mysteriis uberius quidem de daemonum ordinibus exposuit. 2, 3. sqq., de archangelis, angelis etc. sed de modo tantum diverso, quo isti hominibus compareant. At 1, 9. sententiam reddit, a Dionysiana plane remotam, cum, divinam lucem, ait, ubivis aequa eandem esse. — Deinde exstant apud Platonicos plurimi ubivis loci, qui speciem habeant Areopagiticae hierarchiae, nec vere tamen eam reddant. Aut enim gradus tantum describuntur, quibus a Deo remotae sint et norint eundem intelligentes naturae; aut gradus daemonum, mundo imperantium, atque providentiae adeo divinae. Nusquam, ut apud nostrum, vis spiritualis divina, ita per gradus certos emanans, ut una superior natura cum altera se ipsam communicet; quod ex emanatistica doctrina ut dixi-

Sed cum de discrimine quaeritur Platonismi, qui inter christianos exstiterit et inter gentiles; primum accuratius distinguendae videntur diversae Platonismi formae inter christianos ipsos [23]. Vulgaris fuit et an-

---

mus, ille sumsit. E priori genere locus est Hieroclis, de provid. p. 12. (ed. Lond. 654.) Gradus tres ostendit intelligentium naturarum, quo diximus respectu (τοῦ νοεῖν θεὸν et γνῶσιν ἔχειν αὐτοῦ). Ex altero genere Procli loci plurimi reddi possint. Cf. v. c. in pr. Alcib. 184 sqq. Vol. 2. ed. V. Cousin. Et huc locus etiam Synesii pertinet, a Petavio (in Synes. p. 37.) cum Dionysianis collatus, de provid. p. 97. Daemonum qui castiores sint, ait (τὸ εἰλικρινὲς αὐτῶν) proxime positos iuxta supremam rerum causam, et deinceps ita reliquos, omniaque per has medias frui primarum naturarum cura (κάτεισιν ἐφεξῆς ἡ διαδοχὴ τῶν τάξεων, μέχρις ἐσχάτων τῶν ὄντων· καὶ ἀπελαύει πάντα διὰ τῶν μέσων τῆς ἐπιμελείας τῶν πρώτων.) Et hoc postremum quoque non efficientiam Dei significat derivatam per naturas medias; sed quod mediae istae per priores tantum valeant, et illis solis frui queant postremae. Eodem denique pertinent, quae e libro de mundo c. 6., e Maimonide (Moreh Nev. 2, 11.) ex ipso denique Aarone suo Karaita notavit Kosegartenus ad librum coronae legis p. 26.

23) De universa ratione Platonicae doctrinae ad christianam non hic quaerimus. Scripsit de ea nuper Stäudlinus etiam: de philosophiae Plat. cognatione cum rel. doctr. Jud. et chr. (Gott. 819.). Sed dum de patrum Platonismo quaeritur, multa utrinque moneri videntur, quae ad rem non attineant; de quaestionis ambiguitate supra exponimus. Nam Clausenius (apologetae, Plat. phil. arbitri. Havn. 817.) actam rem agere videtur, dum ostendit, reprehensum etiam fuisse Platonismum patribus antiquioribus etiamsi secuti ipsum fuerint quodammodo. Valebat ipsis Platonis doctrina, relata tantum ad christianam et propter eandem; et superior huius ipsis videbatur et causa et origo. Deinde, quae summus olim theologus, Keilius, nobili libro persecutus est (quibus nuper Jac. Matter etiam adstipulatus est, l. c. II. 264.) ad Platonicas sententias, quae vere exsti-

tiquissima, quae inter apologetas iam deprehenditur, omninoque inter patres Graecae ecclesiae antiquiores, plurimum fere e fama tantum scholae Platonicae suspensos; sed vix ea ultra formulas progressa, de λόγῳ nempe σπερματικῷ, ἐνδιαθέτῳ et προφορικῷ, deinde νοῦ et ψυχῆς, et in Deo, et duarum animi humani partium, et τριάδος divinae: neque ultra hanc vere progressi sunt Gregorius uterque et Basilius, nisi quod ipsam Platonis doctrinam et universum formularum istarum sensum cognovissent. Sed cultior fuit Alexandrinorum, a seculi tertii principio, quorum studium cognovimus deducendi christiana placita in Platonicam doctrinam: et quod Clemens privatis suis scholis servavisset, publici iuris fecit Origenes, in cuius doctrina haec Platonismi ratio serius repudiata est. Sed liberior eius forma in paucissimis quibusdam deprehenditur, e quibus haud scio an praeter nostrum atque Synesium nullus innotuerit, si de antiquioribus quaeratur [24]). (Alia enim

terint inter patres, ea non ita pertinent, quam ad populares tantum quasdam opiniones, et ostendunt modo, late sparsa fuisse his temporibus aliqua commenta, quae sua etiam Platonici fecerint.

24) Intellexerant id, qui olim iam eundem Synesium opinarentur Areopagiticorum auctorem. (Cf. post alios Stark, hist. eccl. sec. 1, II. p. 469 sqq.) Sed qui eiusdem mentis aut scholae fuerint, ne continuo commisceantur, communis suadet ratio. Praeterea ne potest quidem promiscue haberi Synesius cum Areopagita. Nam conspirant in hymnis Synesii solis, et in formulis tantum nonnullis, aut mysticis aut Platonicis (τελεταὶ, ἀναγώγιον etc.) atque in universa orationis sublimitate, in qua tamen longe nostrum superat Synesius. In reliquis Synesii scriptis popularior est et oratio et sententia. Doctrina vero etiam in hymnis multum diversa obtinet a nostri sententia, ut de trinitate (1. 58 sqq. coll. div. nom. 1.), de hominis animo, e mundi animo orto, ut eadem natura mentis humanae sit, et astrorum et angelorum

seculo praecipue XV. exstitere.) Qui ne de eo quidem admodum soliciti, quae esse possit concordia Platonicae doctrinae et christianae, illam exposuerunt in rebus divinis, et penitius etiam perspexere planiusque reddiderunt; adeo, ut ex his quoque potissimum iudicandum sit, quo discrimine **christianorum** Platonismus ab **ethnico** differat.

Fuit autem **triplex** illud discrimen: ut mittamus, quod Augustinus notavit, nec describere opus est, scilicet, in rebus Christi et Scripturae formulis illos philosophiae suae notiones demonstravisse. Nimirum ipsa divina natura christianis ut abscondita magis atque remota ab humana mente concipiebatur, quam fide tantum contingeremus; ethnicis, magis ut simplicissima atque originaria, ad quam colligendo semet et veluti contrahendo humanus animus eniteretur (ἁπλώσει, quo vocabulo tamen et noster usus est, **hier. coel.** 1.). Deinde, dum participationem Dei (τὸ ἑνωθῆναι θεῷ) Platonici omnes pro summo haberent bono, hanc ethnici magis, vel ad eandem in Deo ac hominibus mundi et vitae ideam, vel ad solam Dei cognitionem [25]), referebant, christiani ad arcanam aliquam animi cum Deo coniunctionem: denique hominis illam studio, libero et strenuo, comparari ethnici censebant; christiani, id Dei potius fieri viribus, quas homo reciperet (παραδοχῇ

(1, 78 sqq. 3, 563 sqq.), de angelis (2, 40 sqq.), de mali origine. (Intellexit hoc ipsum Engelhardtus, **Schriften des D. A.** p. 216 sqq. sed negasse videtur Gesenius, de inscript. Cyren. (1821.) p. 11.)

25) In Porphyrii schola, ut apud Iamblichum, maius quid, a christianorum forsitan mente desumtum, concipiebatur in ista ἑνώσει, externa magis coniunctio, quae in favore et auxilio Dei inesset; et credebatur ea arcanis factis, theurgia nempe, contingi (δραστικὴν ἕνωσιν ille dixere.).

potius quam ἐπιβολῇ, quemadmodum Areopagita distinguit, div. nom. 1.). Etenim, quod ethnici quoque Platonici hic ἐνθουσιασμὸν s. ἔκστασιν celebrent, in quibus nihil agat homo per se, sed Deum tantum patiatur, (Jambl. de myst. 3, 5 sqq.): tropicae eae formulae sunt, neque nisi ad intelligentiam Dei pertinent. (Συμπαθείας peculiari nomine eadem res nostro dicitur, div. nom. 2.) Et postremum hoc discrimen e revelationis notione exstitisse videtur, quam severiorem sensim in ecclesia conciperent, neque tamen ab universa hominum vita ad singulos tantum quosdam, qui soli gavisi ea fuerint, revocarent. Verum istam Platonismi mentem si quis plane servaret et persequeretur, ab universa nostri theologia proxime aberat: sed, quae Dionysius senserit, ipsa iam breviter dispiciemus.

Ut mysticismi duplex semper forma et ratio exstitit, una, qua ad singulos et peculiares sensus religio refertur, altera, qua ad arcanam cum divina natura coniunctionem; altera haec in Dionysio obtinuit, quippe quae in Platonismo illo christiano inesset[26]). Sed suprema ea exstitit apud nostrum, deinde adversus gnosticos composita. Ergo scientiam Dei omnino tollit, ut omnia, quibus fruatur homo, patiendo tantum et sentiendo, sibi comparare debeat[27]), Sic autem censet,

---

26) Gentilibus Platonicis hic παρουσία fere dicitur, nostro μετουσία.

27) Quod gnosticis occurrere vellet, effecit forsitan, ut nomina etiam γνώσεως atque cognata, ubivis repudiaret. Cf. theol. myst. 1. div. nom. 1, 4., alibi. Legitur hic: εἰ αἱ γνώσεις πᾶσαι τῶν ὄντων εἰσὶ καὶ εἰς τὰ ὄντα τὸ πέρας ἔχουσιν, ἡ πάσης οὐσίας ἐπέκεινα, καὶ πάσης γνώσεως ἐστιν ἐξῃρημένη. Licet ipse suam etiam aliquam sublimiorem gnosin dicere soleat. — Gnosticis quoque opposita videntur, quae div. nom. 4, 28. de eo exposita leguntur, materiam per se (καθ' ὃ ὕλην) non esse malam.

homini ita resignanda esse studia cognoscendi Deum, ut, remotis cogitatione et notionibus quibusvis et imaginibus, ἀνοήτως ipsum tantum concipiat, id est, esse Deum, neque eius naturae, quam mundi forma referat, et intellectus humanus monstrare queat: etiam negativae cogitationi non esse inhaerendum (μηδέ τι τῶν ὄντων εἶναι θεὸν, μηδέ τι τῶν μὴ ὄντων. Myst. th. 5. coll. epist. 1. div. nom. 1. 13, 5.). Hanc rationem: concipiendi Deum, μυστικὴν dicit, gnosticae oppositam, a mysteriis sine dubio, sed ut hanc reddat nominis rationem, quod occludat ea intelligentiam (ἀπομύειν dicit γνωστικὰς ἀντιλήψεις, myst. 1.) [28]). Negativam etiam dicit et ignorationis (ἀφαιρετικὴν et ἀποφατικὴν, δι' ἀγνωσίας); et distinguenda est illa ab ea, quae reliquis theologis praecipue post Gregorium Nazianzenum, et etiamnum dicatur negativa theologia; nempe, qua cogitatio non arceatur a Deo, sed ex eo, pro quo Deus non habendus sit, e contrario igitur, percipere velit, quid ille sit [29]). Verum ad illam cogitandi modestiam accedere

---

28) Platonicis omnino usurpata videntur vocabula μυστικὸν μυστικῶς et cognata, sed communi potius hoc significatu, ut mystica essent, obscura propter sublimiorem sensum et augustiorem originem. Sic non Porphyrius modo (ut in vita Plotini, μυστικῶς permutat cum, ἐγκεκρυμμένως μετ' ἐνθουσιασμοῦ) sed noster etiam alibi. Div. nom. 1, 7. 2, 9. Et 3, 5. mystici sacrorum librorum loci dicuntur, τοῖς πολλοῖς etiam ἄῤῥητοι, quos traditio tantum intelligi doceat. Ergo cum mysticam theologiam dicit, peculiaris aliqua exstat nominis significatus.

29) Promiscue tamen noster formulis utitur, propria, ἀφαιρετικῆς, θεολογίας, et communi ἀποφατικῆς. Deinde ubi popularius disserit, altera etiam ista theologia et ipse utitur. Hier. coel. 2, 3. (ἐξ ὧν, οὐ τί ἐστιν, ἀλλὰ τί οὐκ ἐστι, σημαίνεται), div. nom. 7, 1. 3. θειοτάτην tamen hic esse dicit δι' ἀγνωσίας. Sed illic memorabile est, fundum latere, unde triplex illa Scholasticorum via exstiterit.

nos iubet Areopagita cum animi puritate et sublimi sensu; et fieri utrinque, ut Deus, qui animis remotius adsit, plane se iam mentibus insinuet, suoque ipsas numine compleat, ἕνωσιν igitur s. συναφὴν hominis et Dei 30). Quod summum et Dionysius censet hominis bonum.

Scilicet vim divinam cunctis rebus adesse, eandemque suo modo a quavis re appeti 31). In spirituali autem mundo quemadmodum hoc obtineat, liber describit de hierarchia coelesti. (Hoc est, nam alius vocabuli usus serius exstitit, licet e nostri scriptis: de ordine certo, quo divinae vires, τὸ ἱερὸν, semet a principio transferrent et exhiberent; aut, de ipsa illarum largitione. Ambigue enim et ipse usus est) 32). Nam et sacra scripta (λόγια fere dicit) et ecclesiasticam traditionem 33), gradus disposuisse naturarum intelligen-

---

Cognoscitur Deus, ait, ἐν τῇ πάντων ἀφαιρέσει καὶ ὑπεροχῇ καὶ ἐν τῇ πάντων αἰτίᾳ. Et in hac ipsa causa ad Dionysium provocavit Jo. Duns Scotus, in sentt. I. dist. 8. qu. 3. „Dionysius, ait, de div. nom., ponit tres gradus cognoscendi Deum, per eminentiam, per causalitatem, per abnegationem etc."

30) Τὸ ὅλους ὅλων ἑαυτῶν ἐξισταμένους, ὅλους θεοῦ γίγνεσθαι. Div. nom. 7, 1.

31) Ubivis hoc docet; cf. Coel. hier. 4. div. nom. 1, 2. 5. et c. 4. Summa eius haec est formula, bonitatem divinam, per quam suo singula omnis modo sint et bene habeant, ταῖς ἑκάστου τῶν ὄντων ἀναλόγοις ἐλλάμψεσιν ἐπιφαίνειν. Tendere autem (in postremo loco ait) ad Deum omnia, vel γνωστικῶς, vel αἰσθητικῶς, vel ζωτικῇ ἐφέσει, vel ἐπιτηδειότητι πρὸς μέθεξιν. — Sunt in his quoque plurima egregiae sententiae altique sensus.

32) Similiter vocabula confecit θεαρχίας, τελεταρχίας, ἀγαθαρχίας etc. Et ἀρχαὶ apud nostrum vel significant Deum, vel honorum largitionem.

33) Aliam, hic notabimus, traditionem fuisse in antiquissima ecclesia inter Platonicos, aliam Irenaei ac Tertulliani, et

tium, sic, ut principes proxime excipiant vim divinam (ἀρχικὰς ἐλλάμψεις, coel. hier. 4, 2.) tradantque inferioribus; donec in humana mente earum ordo desinat. Sed sic sentit Dionysius, in nostro animo non tantum derivatam istam et tenuissimam vim divinam inesse, sed facultatem aliquam, redeundi veluti in Deum et plane se Deo coniungendi, quam mystica theologia describit. Ut in homine igitur in se redeat orbis divinae efficientiae, et sibi se Deus iungat [34]. (Intelligimus autem hinc, male factum in ecclesia et inter theologos, quod ad angelorum tantum ordines iste nostri liber relatus fuerit; qui de intelligentibus potius naturis omnino, et peculiari quidem modo, agat, νοερὰς διακοσμήσεις describat, quas Proclus dicit, theol. Plat. 1, 6.) [35]). Gradus vero e Platonicis formulis per tres eosque τριαδικοὺς ordines enumerat; de quibus singulis hic non agemus.

Denique e Platonica aeque ac é communi sententia et Judaeorum et Christianorum, tenere Dionysius poterat, quod cultum divinum esse vellet et haberi coelestium rerum exemplum. Hoc autem argumentum est

---

Latinae ecclesiae. Haec fidei regula fuit, summa igitur doctrina ecclesiae; auxit illa eandem, cui mysteria adiungere vellet, sacris libris non comprehensa. Neque differre credimus ab ἱερῷ λόγῳ mysteriorum veterum. Graeca autem ecclesia eam prae illa servavit; unde ipsis Dionysii verbis (ex hier. eccl. 1.) traditionem explicat orthodoxa confessio P. Mogilae, P. 1. qu. 4.

34) Hoc ipse describit, div. no. 1, 4., ubi ἀνακαλεῖσθαι Deum dicit et ἀνατιθέναι πρὸς ἑαυτὸν τὴν ἀνθρωπίνην ἐσχατιάν. Et coel. hier. 1. divinam vim πόλιν ὡς ἑνοποιὸν δύναμιν ἀνατατικῶς ἡμᾶς ἀναπληροῦν.

35) Non esse de vulgari angelorum notione sermonem apud Dion., ex ipsa iam angeli definitione intelligi poterat, quam reddit, ut 4, 3: ὅτι δι' αὐτῶν διαπορθμεύονται εἰς ἡμᾶς αἱ ὑπὲρ ἡμᾶς ἐκφαντορίαι.

clarissimi libri de hierarchia ecclesiastica [36]: nempe quo ostenderet, ut sibi respondere deberent spiritualium ordo et ecclesiae, dum Deo s. Christo princeps responderet ὁ ἱεράρχης, e quo sacram dotem nexam describit, deinde, cultu et ritibus quomodo adiuvari oporteret divinarum virium incrementum; quae in ecclesia per signa et adminicula communicarentur [37]. Eandem autem legem (θεονομικὴν τάξιν dicit coel. 4, 2., θεσμὸν eccl. 5, 2.) et his scriptam dicit, ut per certos gradus a potiori semper, quod inferioris ordinis sit, divina participet. Et, quod supra iam significavimus, quae istic noster exposuit, non ex ipso ecclesiae usu descripsit, sed, qualia esse deberent ex ipsius mente; ut in christianorum archaeologia eatenus tantum in usum vocari queant, quatenus seriori aetati comprobati hi ritus fuerint aut repetiti [38]. Sed plurima, eaque praecipua, non tenuit antiqua ecclesia; quae teneret, alio plurimum sensu atque consilio; in eo utrique convenit, quod externum decus et sacerdotii dignitatem iuvare vellent.

---

36) Cf. Ven. Augusti librum: Denkwürdigkk. etc. IV. 237 ff. Et possumus in iis acquiescere, quae ille adversus coniectanea Kestneri, optimi olim collegae, sed in una Ἀγάπης causa falsi, monuit, quoad Dionysium ea nostrum spectarent.

37) Etiam coel. hier. 1. 3.; nostram dicit hierarchiam esse debere μίμησιν τῶν οὐρανίων ἱεραρχιῶν.

38) Ambiguus olim libri usus fuit in archaeologia; apud Binghamum etiam, qui, licet et ipse scripta serioris aetatis esse censeret, subinde tamen et simpliciter ipsis, tanquam fonte aliquo, usus est. Semel tantum accuratius locutus deprehenditur, Origg. Vol. X, p. 78: „Nudum huius scriptoris testimonium ad stabiliendam aliquam antiquae ecclesiae consuetudinem non sufficit." Veram sententiam Augusti professus est l. c. 242. („Diese Liturgie stellt eigentlich nur ein Ideal, keine Wirk-

Tales igitur Dionysii fuerunt opiniones, scriptis propositae 39): nam egregius liber de divinis nominibus communem magis Platonicorum, Alexandrinorum praecipue, sententiam reddidit, plurima etiam, non ad propriam, quam alibi professus est, illius mentem. Ergo Platonicus ille fuit, et inter Christianos quidem interioris disciplinae; et christianam scholae istius formam omnium maxime explicuerat et apud se constituerat: praeterea vero et peculiares quasdam et opiniones et doctrinae formas colebat, quas vel propria aliqua de rebus divinis sententia, vel temporum rationes suppeditavissent. Qui igitur simpliciter profitentur, e Plotini vel e Procli scriptis nostrum profecisse, faciunt autem tantum non omnes, qui Areopagitam interpretentur 40): non accurate satis agere videntur. Neque

lichkeit, dar.") Cavendum tamen, ne eandem originem et auctoritatem censeamus libri de apostolicis constitutionibus. Eo enim quae vere exstarent, licet dispersa forsitan et manca, colligebantur. Sed veteres iam Scholiastae Dionysii suspicati illud fuisse videntur, quando de dissimili ecclesiae ritu et Areopagitico agunt. Neque Engelhardto credimus (l. c. Append. 33.) affirmanti, summam rem horum rituum in graeca latinaque ecclesia exstitisse.

39) Quae praeter ista, quae exstant, a Dion. laudantur, ana plurimorum nominum scripta; an vere non exstiterint, dubitavit iam Dallaeus, l. c. p. 8. Certe definitum et integrum aliquod argumentum conficiunt quae exstant. Symbolicae suae theologiae summa capita in libro de hierarchia coelesti etiam exponit; ceterum eodem sensu Proclus nomine isto usus fuerat de Orphicorum mythorum interpretatione, theol. Plat. 1, 4.

40) E Plotino sua sumsisse et transscribentem quidem, Dionysium, Creuzerus, Vir elegantia et amplae doctrinae, subinde pronunciaverat ad Plot. l. de pulcritudine, ut p. 205. 334. (Plotini simiam istic nostrum dixit.) 371. Sic et Engelbardtus olim, qui ad Proclum tamen

enim ad christianam doctrinae formam [41]; neque ad peculiares illas nostri sententias attendunt, de mystica praecipue theologia et de coelesti hierarchia: et praeter communes Platonicae scholae et formulas et sententias, nova etiam et propria ratione a nostro reddi-

nuper se convertit, suaeque sententiae argumenta dixit. — Scimus fuisse olim, qui Proclum e Dionysio hausisse opinarentur, plurimos, ut Maximum, Pachymerem et Suidam; et censebant, latuisse scripta haec inter Athenienses istos philosophos, ne fraudes istae paterent. Neque tamen videntur adeo tum consensum intellexisse aliquem Procli et nostri, quam a Proclo potius, Platonicae scholae διαδόχῳ, dixisse, quae ad hanc integram pertinere viderentur. Adversus hos Fabricius etiam dixit, praef. Marin. XXXII. Boiss.

41) Ut, quo Plotini libro Engelhardtus etiam maxime nitebatur, Enn. VI. lib. 9., qui de ἑνώσει cum Deo accuratissime sane egit, in eodem tamen illud ethnici et christiani Platonismi discrimen, quod supra descripsimus, ubique patet. Deus τὸ ἕν, non suscipiendus dicitur (animam enim solam suscipere, Plot. ait), sed severo studio contingendus; dum nempe mens in se redeat et e sui principio Deum colligat (τῷ ἀναβαίνειν ἐπὶ τὴν ἐν ἑαυτῷ ἀρχὴν καὶ ἓν ἐκ πολλῶν γενέσθαι): denique coniunctio ista vere non describitur nisi intelligentia Dei, σύνεσις, sed, quae peculiaris sit, longe diversa a cognitione quavis alia, et eam vim habeat, ut homo et in se unus sit et idem, quemadmodum, in quem intueatur, Deus. — Et sic Proclus etiam. Neque v. c. elem. th. 39. οὐσιώδης et ζωτικὴ πρὸς θεὸν ἐπιστροφὴ, quae gnosticae opponitur, mystica est nostri theologia, sed γνωστικὴ hic suprema dicitur, illi diversi gradus sunt desiderii, quod anteire hominis studia Platonici censent, perveniendi ad Deum. Nec differt a Procli doctrina, quod in suppositis libris Hermeticis exponitur de hoc argumento, et in libro de mystica philosophia, Aristoteli olim tributo (cuius compendium etiam Tennemannus fecit, H. ph. VI. 452 sqq.) Aristotelicas autem hic formulas adiunxit.

tas, vix in his deprehendas, quae sibi accuratius respondeant [42]). Et praecipuum hoc quoque videtur, quod gravissimas scholae quaestiones, in quibus illi versentur, noster vel plane omiserit, vel populariter tantum et adhibuerit et disputaverit; quo sane probari videtur is, qui universam modo Platonismi sententiam, sed libera sua mente servaret [43]). Exemplis ista illu-

---

42) Pertinent huc voces: ἐπίπνοια; de sublimiore cognitione dicta, et τῇ ἐπιστήμῃ opposita (Procl. th. Pl. 1, 4. et ap. Dionys.) — ἔρως, vocabulum a Platone consecratum (Sympos. 23.) et a Platonicis ubivis magno eum honore adhibitum; quod Nostro et de Deo et de hominum adversus Deum studio adhibetur, etiam, ut θειότερον voce ἀγάπης defenditur, div. nom. 4. — Discrimen deinde vv. νοερὸν et νοητὸν, ep. 9. — Formulae, ἑνιαῖον, ἑνοποιὸν, contra μεριστὸν, διαίρετον· ἐπιστροφὴ et cognatae voces, quo sensu Proclo, et reliquis usurpantur, etiam nostro adhibitae. Vox ἀπόλυτον similiter, et observandum (div. nom. 9.) aeque ac nostris v. absoluti, et excelsum significare et perfectum. Ut alia omittamus, quae plurima occurrunt; v. θεουργίας aliter noster utitur, ac reliqui Platonici. Nam Dei efficientiam sic dicit, coel. hier. 7. (et possunt huc loci etiam referri div. nom. 1. et eccl. hier. 1. quos cum ecclesia Corderii Onomasticon ad significationem refert, θεοποιοῦντα). Formula denique, plane Pythagorica, qua Deus φρουρὰ καὶ ἑστία πάντων appellatur, crebrius noster utitur (div. nom. 1, 7. 4, 1. 10). — Et Platonicae notiones innumerae exstant apud nostrum, quarum partem Engelhardtus quoque descripsit, de Di. Plot. 72 sqq. Pertinent huc etiam, quae de bono et bonitate exposuit coel. hier. 4. in., div. nom. 4., atque perquam egregie de natura mali. Deinde de identitate (ταυτότητι) Platonica div. nom. 9. Sublimiora philosophiae Plat. capita quae sua noster fecerit, infra ostendemus.

43) Graviora ista Platonismi capita praecipue dicimus, de uno et multis, et de infinito et fine (ἀπείρῳ et πέρατι) in quibus Proclus praecipue laborat, et, qui hunc maxime sectabatur, Damascius. Quae qualia sint, nolumus istic de-

stravimus, infra positis. Sed, qui sic constituerimus, minime tamen universum negamus, e scriptis quibusdam Platonicorum profecisse nostrum, iis autem, quae nobis haud adhuc pateant, (Plotino enim et Proclo superiorem nostrum opinamur;) at non plane et simpliciter id factum esse contendimus, quemadmodum vulgo credant. De doctrina igitur et indole librorum Areopagiticorum ista disputavisse satis sit. Et superest, ut de eo dicamus, quod postremum disputationis argumentum fecimus; quod nomen et consilium suum auctor a Dionysiacis sacris sumsisse nobis videatur. Quae ut admodum verosimilia haberi possint, improbabuntur forsitan multis; habebunt hi tamen in reliquis, quae disputamus, et in iisdem his, in quibus et ipsis videantur in Areopagitae intelligentiam aliqua a nobis collata.

Ac de mysteriis quidem Graecorum nullam hic, licet res ferret, vellemus instituere quaestionem, rem enim variam fuisse censemus; cuius materia, quoad fieri queat, diligenter conquisita fuerit, ut parum in ea promoveri possit: neque, quid ad christianam religionem habenda sint, ad nos istic attinet. Illud autem novimus, eorum studium quoddam fuisse inter christianos, et initiatos fuisse quosdam, antea quam ad nostra sacra accessissent; placuisse etiam in ecclesia a seculo inde tertio plurimis, et universam mysteriorum in religione notionem, et aliquos illorum ritus: denique interfuisse philosophorum quorundam inter christianos, sublimiore mysteriorum paganorum ratione et ritu eo-

---

scribere: verum ea nostro aut omnino non attinguntur, aut, quod in priori argumento factum, popularius habentur. Nam div. nom. 13. qui praecipuus locus est de ἑνὶ et πλήθει, ad unitatem tantum et pluralitatem in iisdem individuis respicitur; moralem magis usum illius facit quaestionis div. nom. 1, 4. Nec proprie nisi Deum nomine ἑνὰς et μονὰς insignit.

rundem induere rem christianam. Quod cum singuli iam et sparsim forsitan fecissent [44], integrum et plane instituit noster Areopagita, et suae etiam theologiae nomine, *μυστικῆς* scilicet, istud significavit.

Sacra autem **D i o n y s i a c a** (a Bacchicis festis probe distinguenda, aliqua libidinis et petulantiae licentia, admodum etiam dudum a gentilibus repudiata) [45] his temporibus, hoc est a tertio christianarum rerum seculo, e mysteriis paganis praecipua habebantur, et in Platonica maxime schola. Nimirum et Eleusinia magis obvelabantur a gentilibus, apertiora sub Romanorum imperio erant Dionysiaca [46]; et mythus de Dionyso illorum quoque magnam partem conficiebat, ut universus mysteriorum esse videretur: in ipsis deinde Dionysiacis sacris summa et maxime arcana inesse credebatur sententia de mundo et de animi humani origine et na-

---

44) Antiquissimus, et publicus etiam, usus mysteriorum paganorum, quem in ecclesia fecerint, in **I s i d i s** et **M i t h r a e** sacris exstitisse videtur. De his eorumque usu nobile Eichhornii scriptum nuper demum exposuit. Et credat aliquis, his ipsis Isidis et Mithrae sacris, cum christianis forsitan confusis aut promiscue habitis, scripta etiam occurrere voluisse, qualia noster fingeret. — Ceterum non ineptum sentire videtur, qui *μάγους ἀπ' ἀνατολῶν* Matth. 2., censeat fuisse, qui Mithrae sacris operati fuerint; ut primum hic mysterium vetus christianae rei obviam venerit. Huc Protevangelium iam Jacobi spectavisse videtur, c. 21. (cf. **G e r s d o r f. S p r a c h c h a r. d e s** N. T. p. 225.) Dubium est, an **C r e u z e r n s** etiam, Symb. u. Myth. I, 799. Sed clare nuper **A u t e n r i e t h, ü b e r d a s B u c h H i o b** S. 38. Et Sibyllina carmina illos *ἱερεῖς* appellavere.

45) Cf. **E u n a p.** Aedes. p. 21. Boiss. Quemadmodum inter Christianos etiam factum est, ut Tertull. apol. 7. al.

46) Quamdiu ea mysteriorum rationem tenuerint, omnino ignoramus.

tura, de qua plurimum quaerebatur inter philosophos [47]); postremo fama fuit inter Pythagoreos atque Platonicos, quam veteres iam Graeci reddidissent, Osiridis eadem fuisse mysteria, etiam Orphica, quae antiquissimae sapientiae monumenta crederentur [48]. Accedebat forsitan in christiana ecclesia, quod in mythis et sacris Dionysiacis esse viderentur quaedam, christianis et rebus et notionibus consentanea; cum mediam ea interdum naturam inter Deum hominesque describerent Dionysum, (unde a Iuliano certe in plurimis locis christianorum λόγῳ opponitur) liberatorem etiam ac σωτῆρα, et cum passum eum et mortuum sisterent, denique qui in orcum descenderit, deduceretque illuc et reduceret. Quare Origenes quoque Baccho Christum opposuit adversus Celsum. Et, advertisse christianos ad res Dionysiacas, potest forsitan e Nonni etiam exemplo ostendi. Etenim, licet varie interpretati sint,

---

47) De bis omnibus Creuzerus uberius egit l. c. III, 167 sqq. ed. rec. Sed adiuogatur praeclarus S. de Sacy ad Sanct. II. p. 72 seq.

48) De Osiride et Dionyso novimus Herodotum, Diodorum ac Plutarchum ita sensisse. Sed inter Pythagoreos magnam semper horum sacrorum habitam auctoritatem, vel inde cognoscimus, quod antiquiores etiam libros de rebus divinis Βακχικὰ et Βάκχας inscripserint. Arignote id fecit et ipse forsitan Philolaus. (Cf. Boeckh. Philol. p. 34 seq.) — Denique in Orphicis sacris eadem omnia obtinuere. His Plato iam multum tribuerat; et Platonici similiter. (Ut Procl. th. Plat. 1, 5. Platonicam philosophiam ἔκγονον dicit τῆς Ὀρφικῆς μυσταγωγίας.) Et eadem sine dubio bis censebantur Orphica sacra et Dionysiaca. Atque his qui consecrati essent hymni, Orphicos quos vulgo dicimus, vere videntur cum Areopagiticorum oratione concinere: eadem certe utriusque comparet epithetorum sacrorum cum acervatio tum forma, ut ad sacrum sermonem et sic noster se composuerit.

quod amplum ille Dionysiacorum opus condiderit, qui idem nobilem fecerit Ioannei evangelii metaphrasin; obstare tamen aliqua iis videntur, qui composuisse illud censeant Nonnum, antea quam exstitisset christianus[49]; et pertinet huc forsitan imago etiam Αἰῶνος supplicantis, libro VII.[50]). Et in metaprasi Ioannea ille aliqua ex iisdem sacris Dionysiacis duxisse videtur, certe e mysteriis plurima duxit[51]). Nonnum igitur opinamur,

---

49) Quaestionem istam praetermisit, qui Nonni memoriam, a grammaticis hodie instauratam, ad alia primus revocavit, Vir erecti ingenii et magni exempli, Ouwaroff (Nonnos v. Panopolis, d. Dichter. Petersb. 1817.); disputavit autem Weichertus, de Nonno Panopolitano. (Vit. 1810.) p. 12 sq. Sed quam repudiandam opinamur sententiam, Weichertus et nuper Moserus etiam tuetur (Comm. de Nouno, praefixa editioni VI. ipsius librr., Heidelb. 1809).

50) Licet non dissimulemus, locum Euripidis Heraclid. 900. quo αἰὼν, Κρόνου παῖς appellatur, significare usum nominis aliquem mythycum inter veteres etiam Graecos, magna tamen vis huius nominis fuit in doctrina christianorum subliniore de rebus divinis. Ut Clemens Alexandrinus in hymno quem paedagogo suo subiungit, v. 36 Christum Αἰῶνα dicit. Et Dionysio Areopagitae etiam, ut ad hunc redeamus, ad Deum et Christum saepe hoc nomen refertur. Div. nom. 2, 10. ad hunc, nam τὴν τοῦ Ἰησοῦ θεότητα. μέτρον καὶ αἰῶνα τῶν ὄντων dicit. Ib. 4. 4. ad Dei bonitatem; ad ipsum denique 5, 5: χρόνων ὀντότης, αἰὼν τῶν ὄντων. Et alibi. Quod licet diverso sensu factum sit (significare enim potest et id, quod cuncta complectatur, et, quod animet cuncta); intelligimus tamen, sacrum fuisse christianorum nomen. Et sic ad gnosticos etiam, et e sacris quidem libris, devenit; e Platonica χρόνου et αἰῶνος distinctione sumi et sacrum sic haberi non potuit.

51) Ut ad Io. 4, 22 sqq. sacra Christi ὄργια dicit et τελετὰς, et qui faciant, μύστας et μυστιπόλους. Et similiter alibi.

duo complecti voluisse epica arte; unum, quod summum crederet in ecclesia, Ioannis evangelium, alterum, quod maxime censeret et nobile esse inter gentiles, et attinere ad ecclesiam, id nempe, quod sacris celebraretur Dionysiacis. Areopagitam autem in Dionysiacis duo potissimum spectavisse, et, quod in ipso mytho ac ritu Dionysi esset aut eidem subesse crederetur; et, quod summum omnino esset in Graecorum mysteriis. Utrumque enim diximus cogitatum esse in illo nomine, credimusque, istorum usum facere voluisse Dionysium.

Et rariora sane prioris, quod diximus, vestigia in his scriptis exstant, eius nempe, quod proprium fuit eo tempore Dionysiaco mysterio; possuntque multa cogitari, quae prohibuerint, quo minus essent clariora. Atque in ipsis mythis, qui illi subessent, non poterat nisi sensus quorundam adhiberi a nostro. Fecit autem hoc, nec ipsius mysterii, quod celebraretur Dionyso, plane abesse videntur vestigia. Non formulas ita huc referimus, θιασώτης (coel. hier. 2. eccl. 1.) et ὄργια, similesque [52]), quas in communem usum transiisse dixeris; quam trium praecipue imaginum usum, ad Dionysiaca clarius respicientium. Solis nempe (div. nom. 4, 5.) deinde poculi (mystici κρατῆρος nobilis usus fuit in sacris illis, iam a Clemente Alex. etiam commemoratus, et hoc ipso nomine noster utitur, non ποτηρίου, quo ecclesia fere uteretur) et speculi; utriusque autem huius imaginis, ad divina mysteria relatae. (Il-

52) Quale proverbium etiam (quod tamen non exstat apud nostrum, sed apud Clementem Alex. et Theodoretum etiam): πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι, de quo Wyttenbachius egit ad Plat Phaed. p. 173. (Olympiodorus ad Plat. l.: τελετή ἐστιν ἡ τῶν ἀρετῶν, βακχεία.). Exposuit istis de rebus etiam Tholuck., prolegg. libri vernaculi de orientalium mysticismo, inferius commemorandi.

lius epist. 9.; huius coel. hier. 2.)[53]). Neque probabit Engelhardtus (l. c. p. 38.) imagines istas, sic quidem descriptas, aut biblicas fuisse, aut ecclesiasticas. Et praeter solis imaginem, ad Deum Platoni etiam relatam, hoc certe sensu communis usus istas formulas non sacras habuit. — Sensum autem Dionysiaci mythi subinde tenuisse ei ad nostram christianorum causam transtulisse videtur; et formam dogmatum, quae professus est, peculiarem ex hoc ipso ducendam atque explicandam arbitramur. Duas praecipue dicimus proprias Areopagitae in his sententias, de redemtione et de natura Christi humana. Nam, quod ad illam attinet, habebatur Platonicis Dionysus pro figura ἐπιστροφῆς illius ad Deum, quam per integram naturam fieri et perfectam olim fore crederent; et talem etiam Christi redemtionem noster arbitratus est. Igitur arcano quodam purgandi opere (καθάρσει), quod in morte etiam sua egerit (non expiationem, de qua nusquam locutus est Dionysius): eo igitur Christum, et universam quidem rerum naturam, sed intelligentem praecipue, continuo conciliare Deo, ad hunc reducere. Eam σωτηρίαν dicit et ἀπολύτρωσιν. (Eccl. hier. 1. Div. nom. 8)[54]).

---

53) De poculo et speculo Dionysiaco Creuzerus exposuit inter alios, l. c. III. 391 sqq.

54) Illic legitur: ἡ (de λογικῇ hic tantum agit) σωτηρία οὐχ ἑτέρως δύναται γενέσθαι, μὴ θεουμένων τῶν σωζομένων. (Cf. ib. 3, 11). Hic σωτηρία definitur, τὸ σώζεσθαι ἑκάστου τῶν ὄντων οὐσίαν καὶ τάξιν. Et ἀπολύτρωσις, quae diserte ad omnes res refertur, liberatio dicitur ex eo rei statu, quo propria sua bona amiserit, aut deterioribus constricta teneatur. (Cf. De Wette, Sittenlehre II. 2. p. 82. in quo loco de nostro ille egit.). Licet eccl. hier. 6, 6. peccandi facultatem neget in naturis coelestibus, κάθαρσιν tamen earum defendit, dum divinis illae viribus denuo semper ad Deum referantur.

Deinde quam sententiam de persona Christi concepisset, ad Eutychianismum pronam, ea plane e theophaniae notione exstitit gentili, qualis in Dionyso etiam, et potissimum quidem, in mysteriis ostenderetur. Et nostro ea sane peculiaris est, neque prorsus ea, quae sec. V. publice damnata est. Nimirum non Deum atque hominem in Christo exstitisse censet, quorum unus immixtus fuerit alteri, sed sublimiorem aliquam hominis speciem, in qua humana cuncta, augustiora et divina exstiterint. Sic praecipue div. nom. 2, 10. (ἐν τοῖς φυσικοῖς ἡμῶν ὑπερφυὴς ἦν) myst. th. 3, et maxime epist. 4. [55]). Nusqam tamen Alexandrinis illis rudioribus formulis, κράσεως et μίξεως, usus est, a cogitandi modo veterum plane alienis [56]). E Dionysiacis sacris alicui prae-

---

55) Leguntur illic: ὁ ὑπερούσιος Ἰησοῦς ἀνθρωποφυϊκαῖς ἀληθείαις οὐσίωται (nomine autem Iesu semper noster de sublimiore eius natura usus est, ut Marcion etiam) quae et ipsa ostendunt, novam aliquam naturam credidisse Di. exstitisse per ἐνσάρκωσιν. — Et in altero loco diserte: ἀνδρωθέντος θεοῦ, καινήν τινα, θεανδρικὴν, ἐνέργειαν factam, τὰ ἀνθρώπου Christum etiam ὑπὲρ ἄνθρωπον tenuisse, et in humanis quoque ὑπεροχικὴν ἀπόφασιν obtinuisse etc. At h. l. autem Maximus (p. 306.) fabulam de Theandrita Deo attingit, neglectam adhuc inter theologos, qua ridere quidam (primum forsitan ex ipsa ecclesia) voluisse videntur christianos. Nomen igitur Θεανδρίτου apud Marin. vit. Procli c. 19. a Boissonadio non recte satis mutatum est. Illuc locus etiam pertinet epist. 3. Κρύφιον ait τὸν Χριστὸν καὶ ἐν τῇ ἐκφάνσει, h. e. humanam etiam eius naturam sublimiorem, arcanam.

56) Sunt aliqua et praeter ista, in quibus ad gentilium magis, quam ad christianorum, et imagines et sermonem noster se composuerit. Nomen Deorum, Dei filiorum, patrum etiam (θεῶν πατέρες), saepius dicit ad naturas intelligentes quasvis referri posse; propter imitationem Dei (θεομιμησίαν) et, quoniam ad Deum ipsae revocarentur. (διὰ

terea et clarissimus eius locus ductus videri possit, in quo Christi mors θείων ἀμοιβαὶ πραγμάτων dicta est (epist. 7.); nam in Dionysi fatis male factum esse Deo et rerum divinarum aliqua fata advenisse, communis opinio ferebat.

Alterum autem quod descripsimus plane in nostro manifestum est, universam nempe Graecorum mysteriorum (quae tum a Dionyso quoque κατ' ἐξοχὴν dicta fuerint) rationem et, quam crediderint, sententiam a nostro adhibitam fuisse ad rem christianam. Est autem hic et doctrina spectanda, quam, tanquam christianam et supremam, noster descripserit, et ad ritus advertendum, quos ostenderit tanquam christianos. Illuc autem iam sublimior Platonismus omnino pertinet, quem eundem opinarentur, in hac certe schola, arcanum mysteriorum sensum, et quem noster professus est; sed magis expressa adhuc signa apud hunc exstant mysticarum doctrinarum. Quae in duobus iis iam comparent, uno, quod de animarum sorte, altero, quod de mundi cum Deo nexu noster philosophatus sit; quod et sublimius quam vulgaris haberet philosophia Platonica, et sacris magis formulis ille fecit. De illo, ut a divina eae luce defecerint et mortis imperia subierint, praecipue agit eccl. hier. 2. et 3, 11.[57]). (In promtu autem est, non terrestrem aliquem hominum lapsum istic describi, sed coelestem.). De hoc admodum graviter interdum,

---

θέωσιν) coel. hier. 12. div. nom. 2, 18. 11. Etiam hoc non ex ecclesiastica theologia sumsit, quod a θεολογίᾳ omnino repetit, coel. 15, 3. ὑποπτέρους τοὺς τῶν ἁγίων νοῶν σχηματίζεσθαι πόδας, sed e gentilium symbolica.

57) Utitur illic formula, ἀφιστάναι τοῦ νοητοῦ φωτὸς, hic gravius de humana anima ita: ἀρχῆθεν ἀπὸ τῶν θείων ἀγαθῶν ἀνοήτως ἐξολισθήσασαν, ἡ πολυπαθεστάτη ζωὴ διαδέχεται, καὶ τὸ τοῦ φθοροποιοῦ θανάτου πέρας.

sic nempe, ut (quemadmodum, et e mythis quidem sacris, etiam Plotinus exposuit) supremum rerum principium in Deo, in semet ipsum intuente, ponat. (Epist. 9.) Sed locum de ideis aliter plane disputat ac Platonici tantum non omnes, veritus forstitan aliquem doctrinae abusum; nam ad sola Dei de rebus consilia eas refert [58]. Quae sane non accurate satis reliquis illis, quae censuit, conveniunt.

Sed universa nostri ratio, et loquendi et disputandi, mysticam illam refert doctrinam et, quod diximus, consilium prodit, adhibendi eam ad religionem christianam. Integrae enim et doctrinae et consuetudinis christ. eundem finem facit, qui in Mysteriis obtineret, eademque plane assequendi adminicula: praecipue autem formulis inde desumtis omnium maxime utitur, et hierophantae omnino ratio docendi fuit, quam Dionysius Areopagita secutus est. Verum cuncta ista e disciplina christianorum arcani explicari posse, non credimus Engelhardto.

Ille autem finis θέωσις fuit, de qua, tanquam de vera aliqua Dei participatione, ubique noster exposuit, et sic censet nos per Christum Dei liberos factos [59].

---

58) In loco epist. 9. Deus sublimioribus aliquot formulis describitur, hac quoque — δύναμις ἑαυτὴν μὴ ἀπολείπουσα, ἀλλὰ γνῶσις πασῶν γνώσεων ὑπάρχουσα, καὶ ἀεὶ δι' ἑαυτῆς ἑαυτὴν θεωμένη. — De ideis exposuit div. nom. 5, 8. Παραδείγματα dicit exstare omnium et οὐσιοποιοὺς λόγους, sed esse hos προορισμοὺς, quos theologia dicat. Et quae ad h. l. Maximus et Pachymeres notaverunt, animadvertenda in quaestione de realismo et nominalismo. Contra opinionem, substantias esse ideas et divinas, agit div. no. 11, 6.

59) Cf. eccl. hier. 1, 2. Θέωσιν ibi dicit esse τὴν πρὸς θεὸν ὡς ἐφικτὸν ὁμοίωσιν καὶ ἕνωσιν, et unum hoc in hierarchia ecclesiastica et a Christo spectari. Huc locum refert Io. 1, 12. de ἐξουσίᾳ, τέκνα θεοῦ γενέσθαι, et θείαν ἀπότεξιν vocat, hier. eccl. 3. Ne quis igitur opinetur,

Adminicula, ut in mysteriis, ea nostro distinguuntur, quibus purgemur, illustremur, perficiamur (κάθαρσις, φωτισμὸς, τελείωσις) [60]. Praecipue de lumine ubivis agit, ad quod evehendus sit hominis animus per rem christianam; et hic non solenni tantum mysteriorum voce, φωταγωγία, frequentissime utitur [61]), sed integrum etiam apparatum mysteriorum huc transfert memorabili loco, myst. th. 1. Nam (ut illic grandes voces et arcana verba, et repentinas lucis et caliginis vicissitudines comparuisse accepimus) iubet istic nos πάντα θεῖα φῶτα καὶ ἤχους καὶ λόγους οὐρανίους ἀπολιμπάνοντας, καὶ εἰς τὸν γνόφον εἰσδυομένους, Deo coniungi. In hierophantae sermone inspiciendus est ipse, ut versatus sit, sed mysteriorum formulae apud eum omnes exstant; etiam praeter vulgares, τελετῆς, μυσταγωγίας, ἱερουργίας, ἐξορχήσεως, quibus alibi quoque ecclesia usa est. Et de **mysticae** theologiae nomine, hinc repetito, supra iam egimus.

Quae modo disputavimus, magnam partem etiam ad ritus attinent, quos ad prisca mysteria accommodasse nostrum diximus; fuitque hoc ipsum, unde hierarchiae suae ecclesiasticae speciem animo conciperet. In his autem explicandis aliqua sine dubio cautione opus est,

---

μαιευτικοὺς λόγους, quos saepius noster commemorat, tanquam maxime idoneos ad institutionem christianam, Socraticam dici artem: ad hanc licet formula respexisse videatur. (Eccl. hier. 3, 4. 6.). Sunt ii potius sermones, quibus illa Dei liberorum dignitas comparetur (πρὸς ζωτικὴν ἀπότεξιν μορφοῦντες.). — Sed summum mysteriorum finem qui de iis philosophati sunt, in θεώσει et ἑνώσει semper posuere. Cf. Creuzer. l. c. III. 575 sqq. Schelling. Gotth. v. Samothr. 40.

60) Eccl. hier. 5. coel. 3. alibi. Et tertium gradum ἐποπτείαν etiam dicit.

61) Ut φωταγωγικῆς τάξεως, φωταγωγοῦ, eccl. hier. 3, 5.

ne vel originariam christianorum consuetudinem e paganis ritibus ducamus, quod pessimo exemplo alibi fecere quidam (ut ad Dionysiaca etiam sacra respicerent)[62]) vel quae omnino sacra haberet antiquus mos (ut ἁγνείαν, et quae ad hanc referrentur, ieiunia, lotiones etc.) vel, quae e mysteriis ecclesia vetus omnis omnino duxisset[63]), ea hic momentum facere censeamus. Et admodum praeterea ambiguum est iudicium de singulis, primum, quoniam non singulas omnes mysteriorum omnium partes hodie scimus, deinde, quoniam ecclesiae traditio in rituum negotio plurimum incerta est, nec clara ubivis sunt et certa monumenta, e quibus pateat, quando et unde exstiterint singula: ut rarius igitur definiri possit, quando ex ecclesiae consuetudine hauserit Areopagita, aut suam etiam mentem secutus sit, quando e Graecorum mysteriis[64]). Possunt

62) Factum id in loco praecipue de sacra coena, (cf. Thiess: kr. Comm. üb. d. 3. erst. Ev. 1, 387.). Tamen dubitari possit, utrum noster de consecrandis infantibus, eccl. hier. 7, 11. e sacra magis, an e mysteriorum doctrina disputaverit. In his enim usitatam illam fuisse, novimus.

63) De mysteriorum usu, qui in antiqua ecclesia, magno rei detrimento, exstiterit, plurimi et olim et nuper egere. Inter primos Casaubonus l. c. XVI. 40 sqq. Argumentum deinde adversus Romanam ecclesiam maxime vertebatur, quod ad universam tamen christianorum antiquitatem pertineret. Denique, ut Burnetum (qui ea de re optime egit, de fide et officiis chr. p. 93 sqq. ed. Teller.) et I. A. Starkium omittamus, qui peculiari quodam consilio talia agitaret, recentiores a Creuzero dicti sunt, l. c. IV. 419. 501 sqq. ed. rec.

64) Hoc in ritibus obtinet ἀπογραφῆς post baptismum, mutandorum post eundem vestimentorum, tonsurae (ἀποκάρσεως, Aegyptiorum sacerdotibus etiam solennis, v. Petav. ad Synes. p. 30.) al.

autem aliqua hic e Cyrillo Hierosolymitano ad nostrum conferri. Sed universa rituum ratio, quam Dionysius constituit, e mysteriis sumta est, nec ullus quis tantum huic negotio tribuit, quantum hic; et formulae etiam praecipuae, quibus hac in causa usus est hinc repetitae.

Illuc hoc denuo pertinet, quod et rituum, ut doctrinae, supremum finem in θειώσει et Dei participatione posuerit [65]), atque et horum et sacerdotalis ordinis (quem mystagogorum facit) tres illos gradus distinxerit: καθαρτικὸν, φωτιστικὸν, τελειωτικόν [66]). Deinde, quod omnino hanc graduum descriptionem voluerit in ecclesia, et talem quidem adeoque diligenter, ut nusquam alibi factum esset inter antiquos christianos. Et e formulis mysteriorum, quibus hic quoque usus est, eae praecipue observandae sunt, quibus προτέλεια et τελετὰς distinguit, μύστας atque προφήτας (alio hos sensu, ac quo vetus diceret ecclesiae usus) [67]), deinde ἐκφαντορίας, θεσμοθεσίας etc. dicit, ut hic quoque vulgares omittamus.

---

65) Observandum tamen; qui de sacris ritibus sic censuerit, eundem in sacra coena nonnisi symbola praesentis Christi agnovisse (ἀπεικονίσματα Ἰησοῦ μετουσίας) coel. hier. 1, 3. Sed, qui Deum mente participandum credat, quemadmodum Dionysius censet, vere non potest corpoream consuetudinem rerum coelestium agnoscere, etiam in sacra coena.

66) Potest forsitan solis imago et hic spectari, qua hierophantas veteres significarent, et noster Hierotheum suum describit div. no. 3, 3. Tantas, ait, in hoc ἱερολογίας fuisse, ὥστε οὐκ ἄν ποτε πρὸς οὕτω μέγαν ἥλιον ἀντωπεῖν ἐνεχειρήσαμεν.

67) De μυστῶν et προφητῶν in mysteriis discrimine (exstat autem div. no. 1, 8. et hi iidem θεόσοφοι et ὑποφῆται κρυφίας ἐπινοίας coel. hier. 2, 5.) cf. Creuzer. l. c. IV. 482. Προτελείων et τελετῶν epist. 8, 6., et de illis cf. Fabric. et Boisson. ad Marin. V. Procli, pag. 92.

Quod si probabiliter disputatum videatur; non obiter modo a Dionysio Areopagita adhibita fuisse mystica gentilium sacra, sed consulto et integra, ut credi possit nomen etiam hinc suum duxisse; vix est, quod de consilio postremum agamus, quo illud egisse censendus sit. Fuit vulgo ambiguum in suscipiendis eiusmodi rebus inter doctores ecclesiae veteris: aut enim factum illud est per συγκατάβασιν, ut vel placerent barbaris christiana, vel ab eorundem sacris arcerentur christiani, si domi haberent ipsi, quod inter barbaros ipsis probaretur; aut de similitudine aliqua paganorum sacrorum et christianorum sibi persuasum habuere. Credam alterum hoc in nostro fuisse; certum enim esse videtur, recentem ipsum fuisse ab ethnica familia, neque displicuisse ipsi in ea aliqua, quae nunquam etiam sua fecerit ecclesia christiana [68]. Neque unquam in gentiles invectus est; et, quam teneret de universa divinarum virium dote sententiam, debuit ex hac ipsa sanctioribus etiam gentilibus largam earum dotem tribuere, potuitque hinc ad christiana sacra transferre, quae in pagana religione gravioris mentis magnarumque virium esse, opinaretur. Postremo Procli illud, sapientem esse debere τοῦ ὅλου κόσμου ἱεροφάντην (Marin. 19) universa illius scholae sententia nitebatur, poteratque ex eadem suum id noster ducere.

Haec autem quominus et singula diligentius explicemus et universa persequamur, libelli prohibent et

---

Θεολογίαν etiam aliter dixit Dionysius, ac vulgari ecclesiae usu receptum esset, et eo plane sensu, quo mysticarum formularum et imaginum interpretes veteribus Graecis sic dicti fuissent.

68) Ut Ἱλάρια, profanum festum; tanquam christianum describitur ep. 9.

rationes et limites. Igitur ne ingredi quidem licet ampliorem quaestionem, nostrae licet aetati maxime consentaneam, in quam haec, quam egimus, maxime deducit: de mysticae theologiae, a Dionysio Areopagita conditae, vicissitudinibus atque fortuna, et insecutae ipsius formae quomodo ad nostrum habeant seque retulerint: aliis tamen, nuperrime etiam, et perquam egregie, disputatam. At plurima, neque in mysticismi tantum notione, sed in eius quoque historia curatius distinguenda sunt, quam recentiores fecerint historici, Borgerus praecipue et Ewaldus, longe illi Arnoldo negligentiores [69]. Nam mystica Dionysii theologia a theosophia, cabbalistica praecipue, discernenda est, quae ipsius saepe formam induit [70]; deinde a theologia contemplativa [71], denique Areopagitica theologia a mysti-

---

69) I. E. Borgerus de mysticismo. Hag. Com. 1820. Ewald. Briefe über die alte Mystik und den neuen Mysticismus. L. 1822. (De nostro is, sed tenuius, ut plurima, et veluti e trivio, disserit, p. [illegible]). Elegantius nuper, licet consilio, quod latius pateret, Henr. Schmidii liber: der Mysticismus des Mittelalters (Jen. 1824).

70) De theosophiae et mysticismi discrimine, olim plane neglecto, immortalis vir egit, libri editor: Die Ströme. (Strals. 1817.) Quanquam, quae de mysticis ille, ea neutiquam nostra faciemus. De orientali autem theosophia mystica perquam docte amiciss. Tholuck libro de Ssufismo qui nostrum etiam commemoravit (p. 79.) et libri, quem vernaculo sermone conscripsit: die Lehre von d. Sünde und dem Versöhner, p. 246 sqq. Postremo integro libro, et commentariis praeviis: Blüthensammlung aus d. morgenländ. Mystik. (1825.).

71) Inter mysticos et contemplativos theologos medio aevo potissimum lis fuit. (Cf. Corder. ad Di. Ar. p. 550 sqq.

co sensu; qui se ecclesiae atque theologiae e Platonismo subinde adiunxit, et Aristotelicae se maxime theologiae opposuit,* aut liberior in christianorum animis exortus, inter ecclesiae mala potissimum crevit; a quo Lutherus quoque exorsus est.

Est tamen communis aliqua formarum istarum plerarumque species; sed, si qua bona et fausta habeat, ea malis mixta plurimis possidet. Illud certe Christus voluit, ut, quemadmodum aeternae luci ipse sacram animam reddere deberet et e morte vindicare, nos luci factos et nosmet censeremus et vindicatos; deinde, ut vitam Deo sacrandam et coniungendum cum Deo animum arbitraremur, consortes futuri civitatis Christi aeternae: denique, ut, ipsius ingenium aemulati, abiectis temerariis quibusvis et arrogantibus mentis studiis, nostra nos animi ac vitae necessitate contineremus in rerum divinarum cognitione. Sed, ut reconditam ille nullam, aut arcano ritu gradibusque circumscriptam, religionem condidit: ita, neque sermone neque exemplo aut negotio suo, obscuram aliquam Dei aperuit communionem, aut efficere voluit, ut qui modeste de se sentirent, semet abiicerent, vel, qui ab inaccessis rebus mentem cohiberent atque temperarent, sicut ho-

* Horum autem theologiam maxime Jo. Gerson. sec. XV. impugnavit, castioris mysticismi instaurator; de quo Engelhardti libelli aliquot exposuere (de Gersono mystico. Erl. 1822. 24.). Cf. I. p. 13.

minem humana decent, hi, et quasi admoniti
mentem deprimerent, aut ad otiosa sensa vagas
gines ablegarent. Omnino cavit divinus ille
auctor et vindex, ne obscuraretur animus, tan
res christianorum: in quo uno (ut multa exstite
vitatis mala in ecclesia), si quando obtineret, a
et irreparabile censendum esset christianae rei
detrimentum.

INDEX
COMMENTATIONUM
TOMI PRIMI.

I. De Pentateuchi quatuor librorum posteriorum auctore et editore disputavit J. G. Herbst I, 1 sqq. *).

Sententiarum ordo **).

De Pentateuchi auctore et editore variae variorum sententiae 1, 5 sq.

I) De *Pentateuchi* (inprimis) *quatuor librorum posteriorum auctore.*

A) Qui sua Mosi *abiudicare* student „Pentateuchus, inquiunt, *fragmentis* constat, nullo nec temporis nec rerum vinculo *nexis;* neque eadem *dictionis* colore distinctis; ab uno igitur Mose profectus esse

*) Numerus primus *partem*; secundus *paginam* significat.

**) Sententiarum cuiusvis dissertationis ordine significando gratum fecisse lectoribus videmur. Jam enim eam liber utilitatem habet, ut uno in conspectu lector omnia videat.

nequit" 6 sqq. — At *rerum negotiorumque* longe *alia conditione* usus est Moses, suas cum componeret paginas, quam ceteri antiquitatis scriptores 7 sqq. Idem valet de *fine*, quem sibi proposuit Moses 9 sq. *Dictionis* autem generatim spectatae nulla discrepantia 11 sq.

Pergunt adversarii magna vi contendere: „*universam legum collectionem* Mosi esse abiudicandam 12. Nam leges originetenus apud *omnes* populos *generales* fuisse" 13. — Sed licet verisimile est, *hinc inde* gentibus datas esse leges tantummodo generales, populo tamen hebraeo *speciales* opus erant 13 sqq.

Ad singulas leges in dubium vocatas quod attinet, lex 5 Mos. 19, 14. lata est, ut *futurae* reipublicae inserviret 16 sq. Lege 5 Mos. 17, 14. praemonuit auctor, quid fieri oporteret, si id accideret, quod ne accideret metuebat 17 sq. Non est cur suspicionem moveant praecepta 4 Mos. 35, 9. 5 Mos. 19, 1 sqq. — p. 18 sq., non magis quam quae 3 Mos. 13 sqq. habentur 19 sq. Neque etiam in dubium vocanda narratio de constituto tentorio sacro 21 sqq. Ex eo, quod plurimae leges ab Israelitt. non sunt observatae, non sequitur, eas non fuisse a Mose latas 23 sq.

B) Qui sua Mosi *vindicare* student, „Res inquiunt, quas Pentat. complectitur, *semper* fuerunt *notae*" 24 sq. Quod argumentum *si non* pro aetate facit et nomine auctoris: *certe* pro veritate, sinceritate et antiquitate eorum pugnat, quae in librr. Moss. continentur 26 sqq.

Quod autem dicunt patroni „Pentateuchum omni aetate nomine *legis Jovae*, *legis* s. *libri Mosis* venire," 28. id prorsus falsum est. Nam nullus habetur locus *neque* in librr. Moss., *neque* in iis, quae post aetatem Mosis exarati sunt (exceptis Esrae et

Nehemiae), quo תורה voc. de *toto* Pentateucho usurpetur 58 sqq.

Nihilominus sua Mosi non sunt detrahenda. Nam quum narrationes haud paucae, leges legumque collectiones a Mose scriptae dicantur: proxime abest a veritate, eas etism historias atque leges, quibus auctoris mentio adiecta non est, ad Mosen referendas esse 40 sq.

Quare contenditur: *legum omnium narrationumque partis haud exiguae Mosen esse auctorem* 42.

II) *De Pentateuchi quatuor librorum posteriorum editore.*

A) *Leges* a se latas edere nec *potuit* 43 sqq. nec ut ederet idonea *causa* aderat 45 sq. nec edidisse legum *mala dispositio* prodit 46 sqq.

Ad *narrationes* quod attinet, *aliae* tenui et frequens interrupto filo deductae sunt 48 sq. *aliae* terque quaterque repetitae 50 sq. *aliae* inter se pugnant 51 sq.

Denique insunt Pentateucho *loca spuria*, eaque tot ac talia, quae pro meris glossis haberi nequeant 52 sq.

Quare *Pentateuchum a Mose editum esse negatur* 53 sq.

B) Pentateuchus neque tempore Samuelis et Davidis, neque eo, quod Josiam inter et captivitatem Babyl. intercessit, editus est 54 sq. Hanc sibi provinciam sumsit *Esra*, nam *ante eum nulla exstitisse Pentateuchi exemplaria*, non modo *traditione iudaica* efficitur 56 sqq., verum etiam *documentis ipsius s. scripturae* comprobatur 58 sqq.

II. Ecclesiastae locum 11, 9—12, 7. interpretatus est Jul. F. Winzer I, 62 sqq.

III. Veram naturam atque indolem orationis N. T, persequutus est Heur. Planck I, 112 sqq.

SS. O.

De sermone gr. seriori quamquam accuratius, quam antea factum fuit, exposuerunt *Salmasius*, *Fischerus*, *Sturzius:* tamen hi ipsi provincia sua non ex omni parte feliciter functi sunt 1, 112 sqq. Ab interpretibus autem N. T, vix dici potest quot quantaque peccata hac in re commissa sint 116 sqq.

Origo atque *indoles* sermonis gr. serioris. Ante Alexandri M. tempora *patriam* quivis dialectum in *scribendo* adhibebat; post graeciam victam *unam* dialectum scriptores fere omnes sectati sunt, *Atticam* puta, quae, quoniam communis omnibus erat et ex antiquioribus dialectis aut nova oratione vulgari aliquid admixtum habebat, *τῆς κοινῆς* s. *ἑλληνικῆς διαλέκτου* nomine venit 125 sq.

Quae vero iisdem temporibus usurpari coepit *vulgaris oratio*, qua tanquam elemento suo continetur Hellenismus s., ea nata est ex *perturbatione omnium dialectorum*, ita tamen, ut quae lingua in certis regionibus obtinuerat ea novo sermoni fundamento esset. Atque hic sermo communis nec *Macedonicae* s. *Alexandrinae* dialecti, nec *τῆς κοινῆς* nomine recte vocatur 126 sqq.

Fontium serioris loquendi usus triplex genus est.

Primum *τοὺς κοινοὺς* complectitur; *alterum* constituunt Grammatici s. Atticistae, Scholiastae, Lexicographi; *tertium* in scriptis continetur illo ipso sermone exaratis 130 sqq.

Vestigia sermonis gr. comm. in N. T. obvia cernuntur 1) in vocabulis quae ex barbaris linguis in gr. sermonem immigrarunt 132 sq.

2) in orthographia verborumque pronuntiatione 133 sqq.
3) in nominum verborumque flexione 136 sqq.
4) in heterogeneis 143 sq.
5) in vocabulorum formis 144 sqq.
6) in iis vocabulis quae aut antiquioribus dialectis propria in linguam communem coaluerunt, aut prorsus nova a serioribus Graecis usurpari sunt coepta 158 sqq.
7) in iis vocabulorum significatibus, qui, cum in antiquiore lingua non inveniantur, aut recens usurpati aut non satis probae notae fuisse videntur 164 sqq.
8) in usu loquendi 167 sqq.

IV. Fragmenta lexici in scriptores N. T. recens adornandi in lucem emisit Henr. Planck I, 171 sqq.

V. Observationes quasdam ad historiam verbi graeci N. T. in lexico librorum ss. adornando haud negligendam proposuit Henr. Planck I, 193 sqq.

SS. O. Diss. IV et V.

In adornando Lex. N. T. *tria* sunt, quorum ad diligentem distinctionem cuiusvis vocabuli illustratio revocari debet.

Primum historiam vocabuli spectat 1, 171 sq., ad quam referendae sunt:

A) *etymologia* 193 sqq.

B) *sors* vocabuli 196 sq., quam ipsam quod attinet, *quinque vocabulorum genera* discernere licet.

Primum continetur in iis, quae in Attica oratione haud obvia, a serioribus demum auctoribus aliis e fontibus recepta, seriorique linguae τῶν κοινῶν propria fuerunt 197 sqq.

Alterum in iis vocibus cernitur, quae, etsi ab orationis bonae magistris haud reiectae, tamen solos apud τοὺς κοινοὺς leguntur 200 sqq.

Tertium ad vocabula pertinet, quae haud in Graecorum, τῶν κοινῶν libris, sed potius in Judaeorum scripturis sacris, Apocryphis et verss. exstant 202 sq.

Quartum constituunt eae voces, quae tantum in N. T. inveniuntur 203 sqq.

Quintum habetur in iis, quae nonnisi poetis vett. in usu fuerunt 206 sqq.

Alterum locum sibi vindicat *significationis*, quam habet quodvis vocabulum, perfecta *expositio* 172 sq. Exempll. 174 sq. 176 sqq.

Tertio loco ponendus *usus vocabuli a regula abhorrens* 173. Exempll. 175 sq. 177. 191 sq.

VI. De significatu Canonis in Ecclesia antiqua eiusque serie rectius constituenda exposuit Henr. Planck I, 209 sqq.

SS. O.

Κανὼν apud Graecos in universum *regula* — apud Paulum et Patres *regula religionis revelatae vitaeque religiosae* — mox per metonymiam de *scriptis* dici coeptus est, quibus revelationis summa continebatur (unde etiam *indicis* librorum V. et N. T. notionem nactus et κανονικὸς vocabulum *genuini* significationem sortitum est,) 1, 209 sqq.

Atque hic ille unice verus est *Canonis* significatus in eccl. antiq.; nec audiendi sunt, qui cum *Semlero* κανόνος vocabulo κατάλογον librorum significatum esse existimant, e quibus *praelectiones* fierent 212 sqq. Sc. in hanc sententiam quo minus abeamus praeter *Synodum Laodic.* ab VV. DD. laudatam impediunt

1) Origenes 215 sq.
2) δευτεροκανονικὸν nomen, quo seriori tempore τὰ ἀναγινωσκόμενα appellata sunt 216 sq.
3) testimonium a Muratorio in Antt. It. m. ae. ed. 217 sq.
4) usus voc. κανονίζειν et Eusebius 218 sq.
5) id, quod libri hellenistici V. T. quoad originem div. antiquioribus haud posthabebantur 219 sq.

VII. Justinum M. evangeliis canonicis usum fuisse ostendit G. Bd. Winer I, 221 sqq.

SS. O.

Ea de re variorum sententiae 1, 221 sqq.

I) *Indoles locorum Justini.*

1) Loci *historici* vel non habent, quae ipsis in evangeliis canonicis respondeant, vel si habent, tantopere discrepant, ut idonea contentio institui vix possit 224 sq.

2) Eorum vero J. locorum, qui sunt e genere *didactio*, alii
   a) ad singula verba respondent evangeliorum canonicc. sententiis 225 sq.; alii
   b) ab iisdem paullulum discedunt 226 sqq.; aliis
   c) eiusmodi cum evangeliorum sententiis ratio intercedit, ut, si rem spectas, egregie conspirent, si singula verba, mirifice discrepent 231 sqq.

II) *Unde sua hauserit J.*

1) J. *ipse ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων* commemorat, quae *canonica* quibus nunc utimur *evangelia* fuisse, variis rationibus evincitur 236 sqq.

2) Idem ut statuamus, *locorum indoles* supr. descript. suadet. Nam

a) *eos locos*, qui ad singula verba respondent evangeliis, ex his ipsis profectos esse, lubenter dabit: qui caeteros, in quibus discrepantiam deprehendimus, ex iisdem sumtos esse persuasum habuerit 241 sq.

b) *Horum* autem ipsorum locorum discrepantiam *cum*

ex varia et fluctuante quasi codicum grr. lectione fluxisse 242 sqq., *tum*

e Patrum eccll. et ipsius adeo Justini libros ss. excerpendi ratione commode explicari posse videtur 245 sqq.

VIII. De Lucae evangelii analysi critica ab Schleiermachero proposita dixit Henr. Planck I, 253 sqq.

SS. O.

Luc. capp. 1. 2. ab uno eodemque auctore profecta sunt I, 253 sqq. Cf. 282.

Res in hisce capp. obvias a Luca poeseos magis quam historiae in gratiam enarratas esse, probari nequit 261 sqq. At cf. 282. 298.

IX. De ratione dicta factaque Iesu et Apostolorum commemorandi, qua Lucas in utroque commentario usus est, disseruit Sm. Glo. Frisch *) I, 272 sqq.

SS. O.

Prima ratio in eo ponenda, *quod artificium quoddam in narrando adhibuit* 1, 273. Sc.

1) plures homines vel locis remotis habitantes vel nullo necessitudinis vinculo iunctos etc. una divinitus monitos narrat, ut abhinc in agendo, credendo etc. se invicem respiciant 274 sqq. (Quo pertinent narrationes de *Cornelio* et *Petro* 274 sq., de *conversione Pauli* 276 sqq., de *Zacharia*, *Elisabetha* et *Maria* 278 sqq., de *Anania* et *Sapphira* 284 sqq.).

2) homines, de quibus narrat, vel orationes habentes vel hymnos proferentes introducit 286 sqq. (*orationes:* Paulum 290 sqq., Petrum et Jacobum 293., Stephanum ib. sqq. al.; *hymnos:* Mariam, Zachariam, Simeonem al. 296 sqq.).

3) multa angelorum officio evenisse narrat, et eventorum caussas occultas horum interventu illustrat 299 sqq.

Altera ratio continetur in *delectu quem in memorabilibus Jesu et Apostt. pro certo consilio fecit* 306.

Delectum produnt

1) quae citra exspectationem apud Nostrum non inveniuntur 306 sqq.

---

*) Est haec etiam aucta et emendata commentatio, quod suo loco adnotare neglecimus.

2) quae Lucas in Evangelio solus refert 308 sqq.
3) quae potissimum in Actis narrat 311 sqq.

Consilium autem hoc erat, ut Theophilum de rebus christ. ita edoceret, ut simul fidem faciendo, Jesum talem vel longe maiorem prophetam esse quam Mosen, dubia tolleret, quae Judaeos ab amplectenda rel. chr. cohibebant et christianos e Judaeis vehementer vexabant 313 sqq.

X. De dictione tropica N. T. iudicanda et interpretanda explicuit Maurit. Joan. Henr. Beckhaus I, 329 sqq.*

SS. O.

In hoc loco multum quidem nec tamen accurate satis versati sunt VV. DD. 1, 329 sqq.

Troporum notio, species, origo, usus generalior 334 sqq.

In *iudicanda* tropica N. T. dictione (quae admodum difficilis res est 332 sqq.) consideranda sunt:
1) ipsius rei natura 337 sqq.
2) scriptionis indoles atque contextus 339 sqq.
3) loci paralleli 342 sq.
4) historia 343.

In *interpretanda* tropica N. T. dictione explicari debet,
1) unde petita sit aliqua imago 344 sqq.
2) quid per illam ipsam significari voluerit auctor 346 sqq.
3) quaenam similitudo sit imaginis ac rei 352 sqq.

XI. Discrimen disciplinae Christi et Apostolorum pertractavit Joh. Aug. Henr. Tittmann II, 1 sqq.

SS. O.

Rei ratio, gravitas 2, 1 sq.
Disciplina quid? 3 sq.

I) *Caussae*, e quibus ortum est discrimen disciplinae Chr. et App., continentur
1) in consiliis diversis:
a) Christus nonnisi Judaeos, Apostoli omnes homines doctrina imbuere voluerunt 5 sq.
b) Christi consilium hoc fuit, ut summa capita religionis exponeret; Apostolorum: ut omnia ac singula explicarent 6 sqq.
2) in hominibus diversis:
Christus Judaeos, Apostoli Christianos e Judaeis aut Gentilibus instituerunt 11 sqq.
3) in temporibus diversis:
a) mors Christi divinum consilium penitus patefecit 16 sq., eademque doctrinae universae summo capite auctae novam plane formam dedit 17 sq.
b) mortuo Christo rerum civilium subito mutata facies; orta inter Christianos dissidia; conditae ecclesiae 18 sq.

II) *Ipsum discrimen* disciplinae Chr. et App. cernitur
1) ordine diverso:
a) alio fundamento disciplinae Christus, alio Apostoli usi sunt 21 sqq.
b) in rerum delectu aliam rationem Christus aliam Apostoli sequuti 26 sqq.

2) oratione diversa;
a) cum quoad inventionem h. e.
α) rerum describendarum et explicandarum rationem 30 sqq.
β) argumentorum delectum 39 sqq.
b) tum quoad eloquutionem i. e.
α) universum genus dicendi 41 sqq.
β) verba singula 43 sqq.
III) Discriminis disciplinae Chr. et App. *observatio*
1) in universa ratione doctrinam christ. tradendi:
a) in caussis doctrinae constituendis 45 sqq.
b) in systemate theol. componendo 54 sqq.
c) in universo modo docendi vel in scholis vel apud populum christianum 59 sqq.
2) in singulis doctrinae capitibus
a) explicandis:
α) in singulis locis recte explicandis 63 sqq.
β) in dictorum omnium communi sententia reperinnda 65 sqq.
3) in defendenda religione et in refellendis criminationibus adversariorum:
a) in universum 77 sqq.
b) nostrae potissimum aetatis ratione habita 82 sqq.

XII. Quid consensus et differentiae inveniatur apud auctores N. T. in persona Christi *τοῦ σωτῆρος* adumbranda, docuit Henr. Planck II, 90 sqq.

O. SS.

Salutem ab hominibus suo ipsius beneficio consequendam *Christus* in universum adumbrasse satis habuit neque de eius natura atque indole accuratius exposuit 2, 92 sqq. Cf. ib. 57 sq.

Apostoli contra ut duplicem eam descripserunt, alteram externam 97 sqq., internam alteram, quam ipsam nonnisi Paulus et Johannes suo quisque modo persequuti sunt ib. Cf. 55 sqq.

XIII. De caussis quibus nititur rectum super notione regni divini in N. T. passim obvia iudicium egit Carol. Godofr. Bauer II, 107 sqq.

SS. O.

Sect. I. De re in universum exponens 2, 110 sqq.

Sect. II. De caussis quibusdam, quibus nititur rectum super regni div. notione biblica iudicium, sigillatim disserens.

Pars I. De formula βασιλείας per se spectata cum variis adiunctis 117 sqq.

Pars II. De βασιλείας Θεοῦ in N. T. synonymis.

Cap. I. Praemonenda.

§. 1. Unde synonyma agnosci queant 125 sq.

§. 2. Notio synonymi 126 sq.

Cap. 2. Synonymorum recensio.

§. 1. Synonyma, quae notioni potentiae respondent 127 sqq.

§. 2. Synonyma, quae ad felicitatis notionem pertinent 130 sqq.

§. 3. Synonyma, quae societatis deo sacrae notionem innuunt 132 sqq.

§. 4. Synonyma, quae ad animum eius, qui regnum istud condidit, et sensus, quibus institutum suum a nobis excipi voluit, respiciunt 134 sq.

§. 5. Synonyma, quae ad notionem universam pertinent 135.

Cap. 3. Epimetron 136 sqq.

4, 13. - 1, 201.
12, 15. - 1, 184.

Sir.

12, 2. - 1, 149.
38, 24. - 1, 178.
39, 28. - 1, 179.
40, 22. - 1, 175.
43, 17. - 1, 179.

Matthaeus.

1, 2 sqq. - 1, 142.
1, 11. - 1, 147.
1, 18. - 1, 186.
1, 19. - 1, 137.
1, 20. - 1, 186.
1, 21. - 1, 315.
2, 6. - 1, 141.
3. 1 sqq. - 2, 161.
3, 2. - 2, 108. 118.
3, 12. - 1, 149 sq.
3, 16. - 1, 186. 188.
4, 16. - 1. 143.
4. 17. - 2, 108.
4, 23. - 2, 108. 121.
5, 3. - 1, 181.
6, 10. - 2, 108.
6, 13. - 2, 128 sq.
6, 20. - 2, 119.
6, 22. - 1, 351.
6, 23. - 1, 143. 351.
6, 28. - 1, 156.
6, 30. - 1, 134.
6, 33. - 2, 157.
7, 3 sq. - 1, 348 sq.
7, 6. - 1, 340.
7, 9. - 1, 348.
7, 21 sqq. - 2, 166.
8, 11. - 2, 119. 141.
8, 12. - 1, 143; 2, 121.
8, 16. - 1, 184.
9, 5. - 1, 137.
9, 36. - 1, 163; 2, 143. 162.
9, 38. - 1, 349.
10, 1. - 1, 185.
10, 7. - 2, 108.
10, 16. - 1, 352.
10, 20. - 1, 187.
10, 37. - 2, 157.
11, 12. - 2, 108.
11, 28 sqq. - 1, 340; 2, 143. 163.
12, 5. - 1, 164.
12, 12. - 1, 151.
12, 18. - 1, 186.
12, 22. - 2, 147.
12, 28. - 1, 186.
12, 43. - 1, 185.
12, 44. - 1, 157.
12, 45. - 1, 185.
13, 11. - 2, 108.
13, 14. - 1, 142.
13, 15. - 1, 134. 152.
13, 19 sqq. - 2, 108. 145. 148.
13, 22. - 2, 157.
13, 24 sqq. - 2, 166.
13, 26. - 1, 143.
13, 27. - 1, 145.
13, 28. - 2, 146.
13, 31. - 2, 109.
13, 33. - ib.
13, 39. - 2. 146.
13, 41. - 2, 108. 121.
13, 44 sqq. - 2, 131.
13, 47. - 2, 198.
13, 52. - ib.
14, 6. - 1, 119.
15, 18 sq. - 2, 145.
15, 24. - 2, 162.
15, 36. - 1, 169.
46, 6. - 1, 342 sq.
16, 18. - 2, 132.
16, 23. - 2, 147.
16, 26. - 2, 158.
16, 27. - 2, 129.
17, 16. - 1, 137.
17, 24. - 1, 121. 135.
18, 6. - 2, 166.
18, 8. - 2, 130.
18, 11. - 2, 162.
18, 14. - ib.
18, 21. - 1, 142.
19, 18. - ib.
19, 28. - 2, 127, 130 sq.
20, 1. - 1, 145.
20, 11. - 1, 159.
20, 24. - 1, 143.
51, 25. - 2, 118.
21, 28 sqq. - 2, 166.
21, 31. - 2, 108.
21, 43. - 2, 108.
22, 1 sqq. - 2, 108. 166.
22, 4. - 1, 154.
22, 5. - 2, 141.
22, 11 sqq. - ib.
22, 43. - 1, 187.
22, 44. - 2, 128.
22, 46. - 1, 137.
23, 13. - 2, 163
23, 15. - ib.
23, 23. - 1, 157.

23, 24. - 2, 163.
23, 27. - 1, 347.
24, 1. - 1, 145.
24, 12. - 1, 174.
24, 28. - 1, 134.
24, 42. - 1, 154.
25, 13. - 1, 154.
25, 34. - 2, 109.
25, 36. - 1, 119 sq. 140.
25, 41. - 2, 147.
25, 46. - 1, 144; 2, 130.
26, 31. - 1, 160.
26, 41. - 1, 182.
26, 64. - 2, 128.
26, 67. - 1, 198.
27, 4. - 1, 137.
27, 50. - 1, 178. 192
27, 57. - 1, 118 sq.
18, 18. - 2, 121. 128.
28, 19. - 1, 322.

Marcus.

1, 23. - 1, 185.
2, 22. - 1, 146.
3, 18. - 1, 189.
3, 29. - 1, 187.
4, 11. - 2, 118.
4, 26 sqq. - 2. 108.
6, 7. - 1, 143.
8, 12. - 1, 178.
9, 1. - 2, 109.
9, 8. - 1, 158.
9, 12. - 1, 157.
9, 18. - 1, 146.
9, 20. - 1, 184.
9, 25. - 1, 185.
10, 15. - 2, 108.
10, 34. - 1, 198.
10, 37. - 2, 129.
12, 26. - 1, 144.
12, 34. - 2, 108.
13, 35. - 1, 164.
14, 62. - 2, 128.
15, 43. - 1, 117 sq.

Lucas.

Capp. 1. 2. Vid. *Ind. Comment.* VIII.
1, 13. - 1, 142.
1, 14. - ib.
1, 15. - 1, 188.
1, 17. - 2, 132.
1, 32. - 1, 315; 2, 128.
1, 33. - 2. 109. 121. 128.
1, 35. - 1, 186.
1, 41. - 1, 188.
1, 30. - 1, 144.
1, 67. - 1, 188.
1, 69. - 1, 338. 345 sq.
1, 70. - 1, 189.
1, 78. - 1, 144.
1, 80. - 1, 157. 180.
2, 7. - 1, 148.
2, 24. - 1, 122.
2, 25. - 1, 188.
3, 4 sqq. - 2, 161.
3, 22. - 1, 317.
4, 1. - 1, 187.
4, 14. - 1, 186. 188.
4, 15. - 1. 186.
4, 18. - 1, 187 sq.
4, 36. - 1, 185.
5, 10. - 1, 338.
6, 31. - 1, 142.
6, 41 sq. - 1, 340.
6, 44. - 1, 144.
6, 55. - 1, 142.
7, 2. - 1, 137.
7, 4. - ib.
7, 21. - 1, 185.
7, 24. - 1, 140.
7, 28. - 2, 108.
8, 2. - 1, 185.
8, 10. - 2, 118.
8, 12. - 2, 145.
8, 23. - 1, 156. 202.
8, 29. - 1, 144. 155.
8, 41. - 1, 162.
8, 55. - 1, 178.
9, 27. - 2, 109.
9, 39. - 1, 185.
9, 55. - 1, 183.
9, 62. - 1, 349.
10, 1. - 1, 137.
10, 18. - 2, 149 sq.
10, 34. - 1, 135.
11, 20. - 2, 147.
11, 42. - 1, 174.
11, 52. - 1, 140.
12, 10. - 1, 187.
12, 15. - 1, 341 sq.
12, 27. - 1, 156.
12, 32. - 2, 108. 121. 133.
12, 35. - 1, 340.
13, 11 sqq. - 1, 185; 2, 147.
13, 16. - 2, 147.
13, 32. - ib.
14, 12. - 1, 149.
14, 16 sqq. - 2, 108. 141.

1) *scriptores antiqui* Dialogum ad Justinum M. referunt 2, 187 sqq.

2) Ad eundem quo minus referamus *non impedit indoles* Dialogi. Nam

a) quod in *scribendi genere materiaeque delectu* Dialogo cum Apologiis discrimen intercedit, ad consilii diversitatem commode refertur 191 sqq.

b) *apparatum eruditionis iudaicae* in Dialogo obvium a Justino alienum esse probari nequit 193 sqq.

c) Si quae sunt in Dialogo, quae sententiis in Apoll. propositis repugnent, inde alium esse Dialogi alium Apologiarum auctorem temere colligitur 195 sqq. Sed ne sunt quidem; neque

α) in iudiciis de philosophia graeca 199 sqq. nec

β) in doctrina de peccato Adami 203 sqq. nec

γ) de Spiritu S. 205 sq. nec denique

δ) in doctrina de morte Christi 206 sqq.

d) Analogiae contrarium esse, Christianum e Pagano refutandis Judaeis occupari, falsum est 208 sq.

3) *Imo suadet indoles* Dialogi, ut Justino eum tribuamus, quippe cui cum Apologiis aliqua similitudo intercedat 209 sqq.

4) Denique si Justini non est libellus, res vel ad errorem vel fraudem referatur necesse est. Atqui neutrum potest admitti 211 sqq.

XVI. Luciani Philopatris rerum Christianarum sub Marco Aurelio et patronus et irrisor. Commentatio nunc primum divulgata a Carol. Godofred. Kelle II, 215 sqq.

SS. O.

Praefatio 2, 215 sqq.

I) De Philopatridis *fine*.
De fine tecto et aperto rite distinguendo 2, 220 sq.
1) De fine *tecto*.
a) Quibus commotus rebus publicis Lucianus Philopatridem scripserit 222 sqq.
b) Cur quae monenda habebat tectis verbis scripserit 225.
c) Quam lepide tacenda significaverit ib. sqq.
2) De fine *aperto*.
a) Quibus indiciis auctor Christianos a calumniis purgatos voluisse probetur 227 sqq.
b) Quibus eosdem etiam irrisisse probetur 229 sqq.
c) Unde appareat, Romanorum adeo et Christianorum compositionem ab auctore derisam fuisse 232 sqq.
d) De Mysticis quos accusaturus erat auctor 236 sqq.
II) De Philopatridis *tempore*.
De tempore ficto et vero rite distinguendo 240.
1) De tempore *ficto* s. de temporis Trajanici notis huic colloquio inditis.
a) Prima huius temp. nota, quae celebratur victoria 241 sqq.
b) Secunda: exspectatio, quam illa victoria genuisse dicitur 244 sqq.
c) Tertia: caedes virginum Cretensium 246 sq.
d) Quarta: mensis μεσορὶ malis futuris praefinitus 247 sq.
e) Quinta: imperatoris liberalitas erga pauperum liberos 248 sq.
f) Sexta: Achilleum Trajani fatum 249.
g) Septima: felicitas temporis 250.
2) De tempore *vero* s. de temporis Aurelici notis huic colloquio impressis.
a) Quibus notis et quam ob caussam Hadriani memoria ab auctore revocata fuerit 251 sqq.

b) Quibus notis M. Aurelii tempus quasi temere et obiter indicetur 253 sqq.

III) De Philopatridis *scena.*

De scena ex fine et tempore fabulae constituenda 255 sqq.

1) De aedibus, prope quas Philopatridis scena est.
   a) De loco conventus mystici a Ph. indicati, templum Dianae Chalced. repraesentante 257 sqq.
   b) De loco amoeno, ubi amici Ph. in fabula Luc. colloquuntur 259.
   c) De opportunitate illorum locorum in Ph. colloquio 259 sq.

2) De caussis, cur omnino in Bithynia Philopatridis scena quaerenda est.
   a) De luce, quae ex Bith. loco cuidam Ph. obscuro affulget 260 sq.
   b) De toto Ph. fine ex scena Bith. illustrando 261 sq.

IV) De Philopatridis *indole.*

Quam ob rem Ph. Luciano abiudicatus sit 262.

1) De Philopatride ingenium Luciani spirante.
   a) De ingenio Luciani iam ex dispositione operis cognoscendo 262 sq.
   b) De ingenio aliorum ingenia ad vivum effingendi Lucianeo 263 sqq.
   c) De ingenio Luciani a rebus christt. non alieno 265.

2) De Philopatride stylum Luciani exhibente.
   a) De notis styli Lucianei in Ph. obviis 265 sq.
   b) Unde venerint quae Philopatridi insunt male loquendi formulae 266 sq.

15, 4 sqq. - 1, 320 sq..
15, 8. - 1, 157.
15, 11, sqq. - 2, 162.
15, 14. - 1, 121. 144.
16, 19 sqq. - 2, 119. 145.
16, 25. - 1, 138.
17, 21 sq. - 2, 108.
17, 34. - 1, 343 sq.
18, 12. - 1, 157.
18, 17. - 2, 108.
18, 24 sq. - ib.
18, 32. - 1, 198.
19, 2. - 1, 162.
19, 10. - 2, 162.
20, 37. - 1. 144.
21, 9. - 1, 201.
21, 24. - 1, 164.
21, 28. - 1, 154.
22, 2. - 2, 147.
22, 30. - 2, 109. 130.
22, 31. - 2, 147.
22, 42. - 1, 137.
22, 53. - 2, 146.
23, 16. - 1, 165.
23, 24. - 1, 150.
23, 31. - 1, 353 sq.
23, 42. - 2, 109.
23, 46. - 1, 170 sq.
24, 4. - 1, 207.
24, 26. - 2, 129.
24, 37. - 1, 180.
27, 16. - 1, 169.

Johannes.

1, 10. - 2, 155.
1, 12. - 2, 131.
1, 14. - 2, 129. 131.
1, 17. - 2, 134.
1, 32. - 1, 186.
1, 52. - 2, 119.
2, 11. - 2, 129.
3, 5 sqq. - 1, 190.
3, 8. - 1, 179.
3, 12. - 2, 120. 135.
3, 13. - 2, 119.
3, 15 sq. - 2, 130.
3, 16 sq. - 2, 155.
3, 34. - 1, 186 sq.
3, 36. - 2, 130.
4, 10. - 1, 334.
4, 11. - 1. 150.
4, 23. - 1, 190.
4, 24. - 1, 183. 185. 190.
4, 35 sqq. - 1, 339 sq.
5, 24. - 2, 96.
5, 27. - 2, 128.
5, 42. - 1, 174.
6, 33. - 2, 155.
6, 34 sq. - 1, 339 sq.
6, 35. - 1, 352 sq.
6, 63. - 1, 190.
7, 7. - 2, 155.
7, 12. - 1, 159.
7, 32. - 1, 159.
7, 38. - 1, 142. 348.
7, 39. - 1, 188. 348.
8, 12. - 1, 335.
8, 23. - 2, 157.
8, 41. - 2, 151 sq.
8, 44 sq. - 2, 146.
9, 4. - 1, 342.
9, 17. - 1. 141.
9, 21. - ib.
10, 1 sqq. - 1, 158; 2, 133.
10, 8. - 2, 163.
10, 10. - 2, 92 sq.
10, 12. - 1, 159.
11, 9. - 1, 335.
11, 11. - 1, 155.
11, 14. - 1, 342.
11, 33. - 1, 182.
11, 52. - 1, 160; 2, 143.
12, 19. - 2, 155.
12, 51. - 2, 146.
12, 36. - 1, 335.
13, 2. - 2, 147.
13, 27. - 2, 147.
13, 35. - 1, 174.
14, 9. - 2, 121.
14, 16. - 1, 188.
14, 17. - ib.
14, 26. - ib.
14, 30. - 2, 146.
14, 31. - 2, 155.
15, 9. - 1, 174.
15, 18. - 2, 155.
15, 26. - 1, 188.
16, 7. - ib.
16, 11. - 2, 146.
16, 13. - 1, 188.
16, 20. - 1, 142.
16, 22. - ib.
16, 32. - 1, 159.
17, 3. - 2, 128.
17, 4. - 2, 93 sq.
17, 5. - 2, 129.
17, 7. - 1, 139.
17, 22. - 2, 129.
18, 30. - 2, 154.
19, 30. - 1, 178 sq.
21, 5. - 1, 199.

Acta Apostolorum.

1, 2. - 1. 186.
1, 3. - 2, 109.
1, 8. - 1, 322.
1, 9. - 1, 315.
1, 12. - ib.
1, 16 sqq. - 1, 187. 296.
2, 2 sqq. - 1 316.
2, 4. - 1, 187.
2, 17. - 1, 140.
2, 32. - ib.
2, 38. - 1, 188.
3, 19. - 1, 202.
3, 21. - 1, 189.
4, 8. - 1, 187.
5, 1 sqq. - 1, 284 sqq.
5, 9. - 1, 188.
5, 11. - 1. 136.
5, 15. - 1, 136.
5, 34 sqq. - 1, 296.
6, 1. - 1, 152.
5, 2 sqq. - 1, 317.
6, 3. - 1. 188.
6, 11. - 1, 199.
6, 13. - ib.
7, 10. - 1, 140.
7, 21. - ib.
7, 35. - 1, 144.
7, 59. - 1. 180.
8, 29. - 1, 187.
8, 39. - 1, 187 sq.
9. - 1, 276 sqq. 290 sqq.
9, 36. - 4, 147.
10, - 1, 274 sqq, 296.
10, 34. - 1, 164.
10, 38. - 1. 187; 2, 148.
11, 18. - 2, 130.
11, 28. - 1, 120 sq. 144.
12, 10. - 1, 141.
12, 11. - 1, 140.
12, 21 sqq. - 1, 302 sqq.
13. - 1, 295.
13, 7. - 1, 164.
13, 10. - 2, 151 sq.
13, 46. - 2, 130.
13, 52. - 1, 184.
14, 3. - 2, 134.
15. - 1, 293.
15, 29. - 1, 142.
15, 33. - 1, 165.
16, 26. - 1, 144.
16, 28. - 1, 142.
16, 34. - 1, 158.
17, 6. - 1, 164.
17, 29 sq. - 2, 164.
18, 5. - 1, 183.
18, 12. - 1, 164.
18, 23. - 1, 165.
18, 25. - 1, 184. 188.
19, 1. - 1, 136.
19, 21. - 1, 182.
20, 22. - 1, 182.
20, 28 sq. - 1, 347.
20, 32. - 2, 130.
21, 1. - 1, 136.
21, 24. - 1, 146.
21, 35. - 1, 135.
22. - - 1, 290 sq.
22, 5. - 1, 142.
22, 7. - 1, 120. 140.
22, 24. - 1, 155.
22, 29. - ib.
23, 3. - 1, 138 sq. 351 sq.
24, 6. - 1, 164.
26, 1. - 1, 290 sq.
26, 7. - 1, 162.
27, 41. - 1, 136.
28, 2. - 1, 174.
28, 26. - 1, 138.
28, 27. - 1, 134.

Ad Romanos.

1, 9. - 1, 191.
1, 18 sqq. - 2, 164 sq.
1, 21 sqq. - 2, 141.
2. - 2, 164 sq.
2, 11. - 1, 164.
2, 12. - 1, 189.
2, 17. - 1. 138.
2, 23. - ib.
2, 29. - 1, 191.
3, 7. - 1, 151.
3, 13. - 1, 139.
3, 27. - 1, 148.
5, 2. - 2, 130.
5, 5. - 1, 188.
5, 8 sq. - 2, 104.
5, 14. - 1, 143.
5, 16. - ib.
5, 21. - 2. 134.
6. 3 sqq. - 1, 339 sq.
6, 14. - 2, 131.
6, 19. - 1, 176.
6, 21. - 1, 340 sq.
6, 23. - 1, 341.
7. - 2, 67 sqq.
7, 6. - 1, 189.
4, 23. - 1, 164.
7, 25. - 1, 136.

INDEX RERUM.

A.

Accommodatio quid? 2, 30 sqq. Quanam usi sint Christus et Apostoli ib. 33 sqq. Num in doctrina de Messia ad Judaeorum opiniones se accommodaverint Apostoli ib. 24.

Adversa quibus imaginibus adumbrari soleant Hebraeis 1, 78 sq.

Aelianus 1, 131.

Allegationibus S. S. cur ab veteris ecclesiae magistris auctorum ss. nomina nusquam, certe rarius addita reperiantur 1, 240 sq. Patres eccll. literas ss. memoriter laudant ib. 245 sqq.

Amoris div. in Christo ad homines delegando conspicui natura ex sententia Pauli 2, 90 sq. Johannis ib. 91.

Amygdala 1, 89 sq.

Ananias, de eo et *Sapphira* narratio 1, 284 sqq.

Angeli 1, 300 sqq. Cf. *Daemonol.*

Aoristi II. ad modum Imi formatio frequens Alex. Interprett. 1, 120.

Apologetae christiano quaenam maxime spectanda 2, 77 sqq.

Apologiae Justini M. cum eiusdem Dialogo c. Tryph. collatae 2, 191 sqq.

'Απομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων 1, 236 sqq. πέτρου ib. 238.

Apostoli num' sententiam Christi mutasse recte putentur 2, 1 sqq. 82 sqq. Videantur etiam *Accommodatio* et *Disciplina.*

Appianus 1, 131.

Argumenta κατ' ἄνθρωπον 2, 39 sqq.

Aristoteles 1, 130.

Arrianus 1, 131.

Artemidorus ib.

Articuli fundamentales. In iis constituendis disciplinae elementa a fundamentis doctrinae rite distinguenda 2, 20 sq. Alia utriusque generis fundamenta Christus, alia Apostoli posuerunt ib. 21 sqq. 46 sqq.

Asyli oppida 4 Mos. 35, 9. 5 Mos. 19, 1—4. vid. 1, 18 sq.

Atticismi in N. T. 1, 134. 136 sq.

Atticistae grr. 1, 131.

Authentiae vox ambigua 1, 5. In auth. monumentorum histt. ponderanda caute versandum 1, 4 sq. 2, 184 sqq. Spuriorum librorum caussae mox ab errore, mox a dolo repetendae ib. 185. Vidd. et *Critica* et *Stylus.*

B.

Barbara vocabula in linguam gr. comm. recepta 1, 132 sq.

Barnabae epistola seditionem spirans 2, 176 sqq.

Βασιλεία τοῦ θεοῦ. Vid. *Regnum coeleste.*

C.

Canon; de eius significatu in ecclesia antiqua rectius constituenda vid. *Ind. Commentt.* VI.

Cappares appetitum cibi suscitant et ad venerem instigant 1, 96.

Christianorum veteris eccl. rationes, de iis nonnulla 2, 173 sqq.

Chronologicus ordo in libr. Exod. saepissime neglectus 1, 49.

Coelum, de eo veterum opiniones 2, 119.

Coena S. 1, 175 sq.

Conversio christ. 2, 76 sq. Pauli, vid. *Paul.*

Cornelius, de eo et Petro narratio 1, 274 sqq.

Critica verbalis quid? 1, 1. subtilior quid? ib. sq. Huius et patroni et adversarii frequenter peccarunt ib. 2. De arte crit. apud Patres eccl. caute exercenda 2, 195 sqq. Vidd. etiam *Authentia* et *Stylus.*

D.

Daemonologia s. 2, 144 sqq. Cf. *Angeli.*

Διάλεκτος quid? 1, 128. διάλεκτοι linguae gr. quatuor quid respiciant ib. 124. ἡ κοινὴ δ. s. ἑλληνικὴ quid? ib. 125 sq. Post tempora Alexandri M. de dialectis (sensu strictiori sumto voc.) sermo amplius esse nequit, nec igitur de dialecto Alexandrina ib. 128.

Dialogus cum Tryphone Justino M. recte adscribitur. Vid. *Ind. Commentt.* XV.

Dicendi genere quonam usi sint scriptores sacri 2, 43 sq. 64 sq.

Dionysiaca sacra ad rem christ. translata 2, 294 sqq.

Dionysius Areopagita. Vid. *Ind. Commentt.* XVII.

Disciplinae Christi et Apostt. discrimen. Vid. *Ind. Commentt.* XI.

Divinam alicuius rei *originem* quomodo significent V. nec non N. T. scriptores 2, 118.

Doctrinae chr. bibl. quae propria sunt num omnia pro temporaneis recte habeantur 2, 84 sqq.

Domitianus cur a persequendis Christianis cessaverit 2, 179 sqq.

Dorismi in N. T. 1, 134 sq. 137 sq. 145. 160.

Doxologia orationis dominicae 2, 128.

8, 1. - 1, 190 sq.
1, 9. - 1, 188.
8. 14. - ib.
8, 15. - 1, 189.
8, 16. - 1, 180.
8, 26. - 1, 207.
8, 35. - 1, 174.
8, 39. - ib.
9, 1. - 1, 191.
9, 23. - 1, 144.
11, 9. - 1, 149.
14, 12. - 2, 155.
11, 15. - ib.
11, 17. - 1, 160.
11, 24. - ib.
12, 2. - 1, 156.
12, 11. - 1, 184.
13, 10. - 1, 175.
13, 12. - 1, 338.
14, 17. - 2, 132.
14, 19. - 1, 145.
15, 1. - 1, 150. 205.
15, 13. - 1, 188.
15, 14. - 1, 162. 197.
15, 17. - 1, 148.
15, 19. - 1, 188.
15, 30. - 1, 174.

I. ad Corinthios.

1, 2. - 2, 133, 156.
1, 4. - 2, 134.
1, 9. - 2, 131. 133.
1, 10. - 1, 136.
1, 12. - ib.
1, 20. - 2, 156.
1, 23. - 2, 157.
1, 30. - 1, 177.
2, 6. - 2, 156 sq.
2, 7 sq. - 2, 130.
2, 8. - 2, 142.
2, 11. - 1, 188.
2, 12. - 1, 191; 2, 157.
2, 14. - 1, 188.
3, 2 sqq. - 2, 20 sq.
4, 21. - 1, 189.
5, 4. - 1, 180.
6, 7. - 1, 150.
6, 11. - 1, 339.
6, 17. - 1, 183.
6, 20. - 1, 180.
7, 40. - 1, 187.
9, 19. - 1, 142.
10, 7. - 1, 162.
10, 14. - ib.
10, 16. - 1, 335.
10, 20 sq. - 2, 148.
11, 5. - 1, 146.
11, 20 sqq. - 1, 175 sq.
11, 23. - 1, 142.
11, 31. - 2, 157
13, 2. - 1, 121. 135.
13, 4 sqq. - 1, 175.
13. 8. - 1, 142.
14, 1. - 1, 174.
14, 15. - 1, 136.
14, 33. - 1, 201.
15, 8. - 1, 159. 291.
15, 24. - 2, 109.
15, 25 sqq. - 2, 120. 167.
15, 32. - 2, 142.
15, 45 sq. - 1, 185.
15, 50. - 2, 109.
15, 52. - 1, 142.
16. 13, - 1, 157.
15, 18. - 1, 182.
16, 22. - 1, 138.

II. ad Corinthios.

1, 9. - 1, 150.
1, 11. - 1, 169.
1, 22. - 1, 188.
2. 11. - 2, 151 sq.
2, 12. - 1, 182.
3, 6. - 1, 190.
3, 8. - 1, 192.
3, 17. - 1, 190.
4. 4. - 2, 156.
4, 7. - 1, 198.
4, 13. - 1, 189.
4, 16. - 1, 156.
4. 17. - 2, 130.
3, 18. - 2, 119.
5, 14. - 1. 174.
7, 13. - 1, 182.
11, 14. - 2, 151 sq.
12, 2, - 1, 143.
12, 4. - ib.
12, 20. - 1, 164. 201.
13, 13. - 1, 174.

Ad Galatas.

1, 17. - 1, 291.
3, 3. - 1, 189. 191.
4, 3. - 2, 155.
4, 6. - 1, 183 sq.
4, 26. - 2, 135.
5, 4. - 2, 134.
5, 5. - 1, 191.
5, 12. - 1, 164.
5, 16. - 1, 191.
5, 18. - 1, 191.
5, 22. - 1, 162. 197.
6, 14. - 2, 155.
6, 16. - 1, 210.
6, 18. - 1, 181.

Ad Ephesios.

1, 3. - 2, 119. 135.
1, 14. - 2, 130. 132. 137 sq.
1, 18. - 2, 130.
1, 19. - 2, 128.
1, 20. - ib.
1, 21. - 2, 150.
2, 1 sqq. - 2, 143. 150. 165.

2, 6. - 2, 119. 135.
2, 22. - 1, 191.
3, 9. - 2, 133.
3, 10. - 2, 135.
3, 16. - 1, 157.
3, 19. - 1, 174.
3, 21. - 2, 132.
5, 4. - 1, 204.
5, 5. - 2, 109. 130 sq.
5, 9. - 1, 197.
5, 14. - 1, 135.
5, 19. - 1, 184. 189.
6, 11 sqq. - 1, 339 sq. 2, 150.
6, 13 sqq. - 1, 347.
6, 17. - 1, 191.
6, 18. - 1, 338.

Ad Philippenses.

1, 5. - 2, 133.
1, 13. - 1, 141.
2, 1. - 1, 183; 2, 133.
2, 2. - 1, 174.
3, 2. - 1, 341.
3, 14. - 2, 131.
3, 16. - 1, 210.
3, 20. - 2, 119. 131.
4, 6. - 1, 150.
4, 13. - 1, 163.
5, 3. - 1, 191.

Ad Colossenses.

1, 11. - 1, 163; 2, 128.
1, 12. - 2, 130.
1, 13. - 2, 108. 131.
2, 5. - 1, 181.
2, 8. - 2, 255.
2, 20. - ib.
3. 2. - 1, 162.
3, 4. - 2, 130.
3, 10. - 1, 156.
3, 24. - 2, 130.

I. ad Thessalonicenses.

1, 3. - 1, 174.
2, 12. - 2, 129.
4, 3. - 1, 176.
4, 13. - 2, 142.
4, 13. - 1, 142.
5, 1 sqq. - 1, 336 sq. 353.
5, 8. - 1, 338.
5, 9. - 2, 132.
5, 13. - 1, 174.
5, 23. - 1, 182.

II. ad Thessalonicenses.

1, 11. - 1, 197.
3 8. - 1, 178.
2, 10. - 1, 175.
2, 13. - 1, 176.
2, 14. - 2, 132.

I. ad Timotheum.

1, 13. - 1, 199.
1, 15. - 2, 104.
1, 20. - 1, 117.
2, 5 sq. - 2, 194.
2, 20. - 1, 198.
3, 11. - 2, 150.
3, 13. - 1, 135.
3, 15. - 2, 132.
3, 16. - 1, 186.
4, 1. - 2, 148. 150.
4, 12. - 1, 189.
5, 15. - 2, 151 sq.
6, 14 sqq. - 2, 121.
6, 16. - 2, 128.

II. ad Timotheum.

1, 5. - 1, 168.
1, 17. - 1, 189.
2, 1. - 2, 134.
2, 26. - 2, 150.
3, 2. - 1, 199.
4, 1. - 2, 109. 128.
4, 3. - 1, 155.
4, 18. - 2, 109. 110.

Ad Titum.

2, 8. - 1, 136.
2, 11. - 2, 134.
2, 14. - 2, 104. 132. 137 sq.
3, 5. - 1, 156; 2, 131.

ep. ad Hebr. an similitudinis causa Christum cum sacerdote comparaverit 2, 73.

Hellenismus sacer; de eius vera natura atque indole. Vid. *Ind. Commentt.* III.

Hendiadys forte inest Ecclesiast. 12, 2 — 1, 77.

Herodianus 1, 131.

Hesychius ib.

Historiae apud Judaeos ratio pragmatica 1, 304 sqq.

Hymni Mariae, Zachariae etc. 1, 296 sqq.

I.

Jesus ab suis minus recte intellectus 1, 332. Jes. et Moses inter se comparati 1, 313 sqq.

Imaginibus referto et poetico in loco notio generalior tenenda 1, 77 sq. Quibus imaginibus adversa adumbrare soleant Hebraei 1, 78 sq.

Imbres tristia significant apud Hebraeos 1, 79.

Inscriptionum et *subscriptionum* librr. vett. scriptt. quaenam causae ac rationes 1, 2 sqq.

Institutio christ. popularis quomodo comparata esse debeat 2, 61 sqq.

Interpolati veteres scriptores quibus modis 1, 2 sqq.

Interpretatio grammatico-historica 2, 69 sq. 110 sqq. — ethico-dogmatica ib.

Johannis Ap. in commentariis ne una quidem de daemone pulso narratio habetur 2, 151.

Jonismi in N. T. 1, 135. 159 sq.

Irenaeus adv. haer. III, 11. vid. 1, 211.

Isid. Pelus. Epist. 114. 369. vid. 1, 211. 218.

Judaeorum sub Domitiano, aliis impp. rationes; de iis nonnulla 2, 173 sqq.

Judicium in homines iam in terrestri vita constitutos exercere deus sexcenties dicitur in S. S. 1, 67. Jud. extremum sunt qui viderint in Ecclesiast. 12, 3. -

1, 83. Jud. post mortem numquid statuerit Eccle-siast. 1, 67.

Justificatio christ. 2, 27 sq. 73 sqq.

Justinus M. evangeliis canonicis usus est. Vid. *Ind. Commentt.* VII. De eiusd. *Dial. cum Tryph.* vid. *ib.* XV.

K.

Κοινοὶ, οἱ, qui? 1, 125 sq. 130 sq. Eorum usus in sermone gr. vulgari recte cognoscendo ib.

L.

Legislationis priscae historia in nuce 1, 15. Leg. Mosis Vid. *Pentateuchus.*

Lepram an Hebraei cognoverint 1, 19 sq.

Lexicographi grr. 1, 131.

Lexicon Novi Test. Vid. *Ind. Commentt.* IV. V.

Librarii formas verborum insolentiores frequentissime mutarunt 1, 120.

Librorum symbolicorum eccl. evang. indoles, auctoritas 2, 58 sq. 74.

Loci communes qui? 2, 66 sqq.

Locustae Parthis in cibo gratae 1, 92.

Lucas quibus fontibus usus in utroque commentario 1, 287. 289. Dicta factaque Jesu et Apostolorum commemorandi duplici ratione in utroque commentario usus est. Vid. *Ind. Commentt.* IX. Lucae evangelium cur Pauli nomine veniat 1, 127. Lucam inter et Paulum magnus consensus ib. 310 sq.

Lucianus 1, 131. Luciani Philopatris. Vid. *Ind. Commentt.* XVI.

Luctus funebris antiquis usitatus 1, 97 sq.

Luci et soli vitae prosperitatem conferre scriptoribus hebrr. frequentissimum 1, 78.

M.

Marci commentarios vetus ecclesia passim Petri dixit 1, 238.

Messiae dignitatem Jesu vindicant alia ratione Johannes 2, 91. alia auctor ep. ad Hebr. ib. ib. sq. Messias sacerdos 2, 27. Messiae reditus, regnum ib. 97 sqq.

Methodus docendi in scholis theologorum et apud populum christ. quomodo comparata esse debeat 2, 59 sqq.

Moeris 1, 131.

Mors ruinae vasis aureae, pendentis a funiculo filis argenteis intertexto comparata 1, 98 sqq. Alia mortis similitudo ab instrumentis aquariis petita ib. 103 sqq. *Mors Christi* divinum consilium penitus patefecit et doctrinae christ. novo capite auctae novam quasi formam dedit 2, 16 sq. Mortis Chr. consilium et effectus ex sententia Christi ib. ib. sqq. Apostolorum 83 sq. De morte Chr. Justinus M. ib. 206 sqq.

Mosis ad historiam quae spectant nonnulla 1, 313. sqq. Mosis in regundis Israelitt. rebus summa sapientia ib. 17. 18. apud suos auctoritas ib. 27. Moses legum quae in Pentat. habentur omnium partisque relationum histt. auctor. Vid. *Ind. Commentt.* I. Moses et Jesus inter se comparati 1, 313 sqq.

Muratori Antt. Ital. med. aev. III. p. 854. — vid. 1, 217 sq.

Mysteria Graecorum ad rem christianam translata 2, 293 sqq.

N.

Narrandi Judaeorum ratio pragmatica 1, 304 sqq. Ad narrationes etc. N. T. intelligendas recte vix dici potest quantopere faciat collatio narrationum etc. similium in V. T. caeterisque Judd. scriptis obvv. 1, 274 sqq. 299. 213 sqq.

Ad Hebraeos.

1, 7. - 1, 179.	6, 10. - 1, 174.	10, 29. - 1, 188.
1. 8. - 2, 120. 127.	7, 3. - 1, 208.	10, 32. - 1, 200.
1, 14. - 1, 184.	7, 6. - 1, 156.	10, 39. - 2, 132.
2, 10. - 2, 130.	7, 9. - ib.	11, 16. - 2, 130.
2, 14. - 2, 128. 151.	8, 1. - 2, 127.	11, 34. - 1, 163,
2, 17. - 2, 132.	9, 8. - 1, 187.	11, 37. - 1, 152.
3, 1. - ib.	9, 14. - 1, 189. 192.	12, 2. - 2, 127.
4, 9. - ib.	9, 15. - 2, 130.	17, 7. - 1, 165.
4, 12, - 1, 182.	9, 22. - 1, 204.	12, 9. - 1, 181.
5, 12 sqq. - 2, 21.	16, 1. - 1, 208.	12, 18. - 1, 143.
6, 1 sqq. - ib.	10, 12. - ib.	12, 22. - 2, 130.
6, 4. - 1, 142.	10, 14. - ib.	12, 24. - 1, 181.
6, 7 sq. - 1, 350 sq.	10, 15 sq. - 1, 187.	12, 29. - 1, 339.

Jacobi.

1, 13. - 1, 151.	2, 26. - 1, 180.	4, 16. - 1, 148.
1, 18. - 1, 354 sq.	3, 16. - 1, 201.	5, 1. - 1, 163.
2, 9. - 1, 164.	4, 4. - 1, 341; 2, 158.	5, 5 sq. - 1, 142.
2, 19. - 1, 148 sq.		5, 18. - 1, 143,
2, 24. - 2, 14 sq.	4, 7. - 2, 150.	

I. Petri.

1, 2. - 1, 192.	2, 4. - 1, 338.	4, 5. - 1, 160.
1, 3. - 1, 144.	1, 9. - 2, 132. 134.	4, 6. - 1, 191.
1, 4. - 2, 130.	2, 10. - 2, 143.	4, 11. - 2, 128.
1. 11. - 1, 188.	2, 11. - 1, 343.	4. 12. - 1, 353.
1, 12. - ib.	2, 24. - 1, 335.	5, 4, - 2, 130.
1. 13. - 1, 338.	2, 25. - 2, 143.	5, 9. - 2, 150.
1, 17. - 1, 344.	3, 18. - 1, 191.	5, 10. - 1, 157.
2, 2. - 1, 152. 338.	3, 19. - 1, 181.	5, 11. - 2, 128.

II. Petri.

1, 15. - 1, 142.	2, 11. - 1, 199.	3, 3 sqq. - 1, 339.
1, 19. - 1, 340.	2, 13. - 1, 175.	3, 17. - 1, 200.
2, 7. - 1, 200.	2, 14. - 1, 152.	

I. Johannis.

2, 12. - 1, 137.	2, 22. - 2, 159.	4, 8. - 1, 175.
2, 15. - 1, 174; 2, 158.	3, 8 sqq. - 2, 151 sq.	4, 14 sq. - 2, 105 sq.
	4. - 2, 148.	4, 16. - 1, 175.
2, 18 sq. - 2, 159.	4, 3. - 2, 159.	5, 6 sqq. - 1, 087.

II. Johannis.

7. - 2, 159. 12. - 1, 137.

Judae.

12. - 1, 175. 16. - 1, 159. 19. - 1, 191.

Apocalypsis.

1, 4. – 1, 184.
1, 6. – 2, 128. 134.
1, 10. – 1, 187.
2, 4. – 1. 174.
2, 7. – 1, 186.
2, 11. – ib.
2, 17. – ib.
2, 22. – 1, 140.
2, 29. – 1, 186.
3, 6. – 1, 186.
3, 13. – ib.
3, 21. – 2, 128.
3, 22. – 1, 186.
4, 1. – 1, 141.
4, 11. – 2. 128.
5, 8. – 1, 134.
5, 12 sq. – 2, 128.
7, 12. – ib.
10, 2. – 1, 205.
11, 11. – 1, 178.
11, 15. – 2, 109. 110.
11, 19. – 1, 141.
12, 10. – 2, 121.
13, 15. – 1, 178.
14, 13. – 1, 186.
15, 5. – 1, 141.
18, 22. – 1, 135.
19, 3. – 1, 139.
20, 12. – 1, 141.
21, 18. – 1, 134.
22, 16. – 1, 153.

Corrigenda.

I. 81 lin. 3 ab ult. lege ܛܝܠܐ pro ܛܗܠܐ
— 84 — 3 leg. *robusti* pro *rubusti.*
— 88 — 10 — *vocula* — *voculo.*
— 94 — 10 — *prohibeberis* pro *prohibbeeris.*
— 99 — 20 — ܒܠܐ pro ܒܐܐ.
— 109 — 7 — הָרוֹחת pro הָרוֹחה
— 118 — 3 ab ult. leg. *Matthaeus* pro *Mattheus.*
— 124 — 12 — — — *Graeciae* pro *Greciae.*
— 132 — 7 leg. *generibus* pro *gsneribus.*
— 133 — 4 — *linguas* pro *liuguas.*
— 150 — 18 — *ἀσθένειαν* pro *ἀσθηνειαν.*
— 161 — 5 ab ult. leg. *oratione* pro *aratione.*
— 219 — 6 — — — *antiquioribus* pro *antiquitoribus.*
— 210 — 10 leg. *religiosae* pro *raligiosae.*
— 275 — 4 ab ult. leg. *virorum* pro *visorum.*
— 284 — 4 — — — *putaverint* pro *putavarint.*

II. 183 lin. ult. post *repetitum* deest: [35]).
— 192 — 3 ab ult. leg. *Dialogo* pro *Diblogo.*
— 320 — 19 post ea, quae ad β literam dicta sunt, insere: b) *in iisdem tractandis* 71 sqq.

cum Petro apud Lucam consensus 1, 295 sq. Pauli cum Luca consensus 1, 310 sq.

Peccatum Adami, Justinus M. de eo 2, 203 sqq.

Pentateuchus, de eius quatuor librorum posteriorum auctore et editore. Vid. *Ind. Commentt.* I.

Petrus. Vid. *Paulus.*

Phavorinus 1, 131.

Philopatris. Vid. *Ind. Commentt.* XVI.

Philosophia gr., Justini M. aliorumque vett. Christt. de ea judicium 2, 197 sqq.

Photius 1, 131.

Phrynichus ib.

Platonismum inter et *Gnosin* quaenam ratio intercedat 2, 278 sqq. Platonismus *Christianorum* quomodo differat ab *ethnico* ib. 282 sqq.

Pluralis excellentiae quomodo exprimatur 1, 72 sq.

Poenitentia christ. 2, 76 sq.

Pronuntiatio verborum linguae gr. comm. Vid. *Orthographia.*

Propagationi religionis christ. primaevae quid quam maxime obstabat? 1, 318 sq. 321. 327.

R.

Rabbinorum traditio de Pentateucho iussu et auspiciis Esrae restituto 1, 56 sq. et quid inde afficiatur ib. 57 sq.

Reditus animae ad deum Hebraeis quid? 1, 108 sqq.

Regeneratio christ. 2, 76 sq.

Regnum coeleste. Vid. *Ind. Commentt.* XIII.

Regnum Satanae 2, 144 sqq.

Rufin. Expos. Symb. Ap. Vid. 1, 212.

S.

Salmasii merita circa linguam gr. comm. rectius cognoscendam 1, 113 sq.

Salutem ab hominibus Christi beneficio consequendam Paulus secundum rationes singulares docuit 2, 55 sqq. Christus in eadem communes rationes circumspexit ib. 57 sq. Vid. et *Ind. Commentt.* XII.

Samaritani Pentateuchi in definienda aetate librorum Moss. auctoritas 1, 55.

Satanae regnum ex sententia Christi 2, 144 sqq. Apostolorum ib. 150 sqq.

Scholiastae grr. 1, 131.

Secundae res quibus imaginibus adumbrari soleant Hebraeis 1, 78.

Semleri de Canone sententia cum epicrisi 1, 213 sqq.

Senectus noctis imagine adumbrata 1, 80 sqq.

Sensus et *significationis* discrimen 2, 124 sq. Sensus cum sign. confusio cum in omni tum maxime in religioso dicendi genere vitanda 1, 172 sq.

Sepulcrum-domus aeterna 1, 96 sq.

Significatio cuiusvis vocabuli N. T. primaria ab derivatis accurate secernenda 1, 172. Significatio propria, impropria 1, 334 sq.

Spiritus S. Justinus M. de eo 2, 205 sq.

Spuriorum librorum caussae mox ab errore mox a dolo repetendae 2, 185. Spuria loca in Pentat. obvia 1, 53.

Stephani oratio 1, 293 sqq.

Sturzius de lingua gr. communi 1, 113 sqq.

Styli inconstantiae in re critica apud Patres maxime eccll. quid tribuendum 2, 195 sqq.

Subscriptiones librr. vett. Vid. *Inscriptt.*

Suidas 1, 131.

Sueton. Domitiani Vita c. 12. — 2, 175.

Suppellex Hebraeorum 1, 21 sqq.

Synonymi notio 2, 126 sq. Synonyma unde agnosci possint ib. 125 sq. Synn. βασιλείας τ. Θ. 2, 127 sqq. De recto συνωνυμίας usu 2, 137 sqq.

T.

Tabernaculum foederis, utrum narratio de eo constituto Mosi tribuenda 1, 21 sqq.

Tenebrae; Translationibus ab obscuratione syderum petitis adversa significantur Hebraeis 1, 78 sq.

Tertulli salutatio 1, 293.

Theodoret. praef. ad Cant. Cant. Vid. 1, 218.

Theologia dogmatica; ad eam non omnia referenda sunt, quae Apostoli docuerunt 2, 70 sqq. In tractandis singulis capitibus quomodo versandum ib. 71 sqq. 110 sqq. Qua ratione doctrina christ. ad artis formam sit componenda ib. 54 sqq.

Theophili Luc. 1, 1. commemorati patria 1, 326 sq.

Thomas Mag. 1, 131.

Tobiae historia 1, 305. arte composita ib. 274.

Tropi Nov. Test. De iis iudicandis et interpretandis vid. *Ind. Commentt.* X.

U.

Usus loquendi N. T. 1, 167 sqq. 173.

V.

Verborum tempora et modi in N. T. obvii, quibus Attici scriptt. abstinuerunt 1, 115. 119 sq.

Versiones veterum interpp. a textu recepto aberrantes saepe non tam e lectione a nostra diversa, quam ex ingenio interpretis originem traxisse videntur 1, 76 sq.

Veteris Testamenti usus apud veteres christianos 2, 193 sqq.

Vitae spes post fata perennis an Ecclesiastae adfulserit 1, 67. 108 sqq. Ex sepulcro aliquando revocatum iri hominum corpora nusquam innuit Eccl. ib. 96.

Vocabula N. T. obvia, quae aut antiquioribus dialectis propria in linguam gr. post. Alex. M. coaluerunt 1, 158 sqq. aut prorsus nova a serioribus graecis usurpari coeperunt ib. 160 sq. Vocc., quorum significatus aut recens usurpati aut non satis probae notae fuisse videntur ib. 164 sqq. In constituenda notione primaria vocabulorum formularumque late patentium quomodo versandum 2, 122 sqq.

Z.

Zonaras 1, 131.

INDEX
VOCABULORUM.

a) *hebraicorum.*

אביונה 1, 93 sqq.
אהבה, אהב 1, 174.
אל et על haud raro permutata 1, 103 sq. 107.
בער 1, 12.
גבה 1, 88.
גלה, גל 1, 101 sqq.
גם 1, 88.
זכר cum ad deum tanquam obiectum refertur, late patet 1, 71 sq.
חגב 1, 91.
חתחתים 1, 89.
י pro ה positum 1, 66.
יודעי נהי 1, 97.
כד 1, 103.
כעס 1, 69.
מקוננות 1, 97.
מקרא קדש 2, 133.
הענה (de deo) et הביא במשפט an pro synonymis recte habeantur 1, 68.
נאץ 1, 90.
נגע In Hiph. a serioris aevi scriptoribus nunquam intransitive usurpatur 1, 74.
נוץ 1, 90.
נצפה 1, 95.
סבל 1, 91 sq.
סופר de Esra quid? 1, 56 sq.
ספר התורה ,ספר v. תורה.
עד אשר לא 1, 99 sqq.
על v. אל.
עלם 1, 96.
צלף 1, 95.
ראשנים 1, 16.

אלהי הרוחת ,ר׳ אל ,רוח
הרוח תשוב ,לכל — בשר
אל — האלהים 1, 108
et sqq. ר׳ שפתים vel
ר׳ הקשה sq. 178 .ib ר׳ פי
גבה ר׳ , נכה ר׳ .183 .ib
ib. 184.
רעה 1, 69. 74.
רתק 1, 99.
שחח 1, 87.
שחרות 1, 69 sqq.
בנות השיר 1, 87.
שכח si ad deum tauquam obiectum refertur, late patet 1, 71 sq.
השמים alii voci adiunctum quid denotet 2, 118.
שערים 1, 12.
שקד 1, 89 sq.
תורה (הת׳, משה תורת, ס׳ הת׳) .ספר
a) in Pentateucho תורה ritus 2 Mos. 12, 49. 3 Mos. 7. 7. 4 Mos. 15, 16. — praeceptum singulare 3 Mos. 6, 2. 7. 18; 7, 1. 11. 37; 11, 46; 12, 7; 13, 59; 14, 2. 32. 54. 57. 4 Mos. 5, 29; 19, 2. 14; 31, 21. 5 Mos. 1, 5; 17, 18. — collectio praeceptorum minor maiorve 2 Mos. 24, 12. 5 Mos. 4, 8; 27, 3. 8. 26; 28, 58. 61; 29, 20. 26. 29........ 1, 29 sqq.
b) in libris post aetatem Moṣ. exaratis: ת׳משה singula statuta Mos. (forte decalogi) Jos. 8, 32. . . ib. 39 sqq. — pars Pentateuchi legislativa 1 Reg. 2, 3. . . . ib. 38. — ספר הת׳ fragmentum quoddam librorum Mos. (forte: 5 Mos. 27, 9 — cap. 29.) 2 Reg. 22, 8. . . . ib. 32 sqq. — integer Pentateuchus Neh. 10, 30. . . ib. 32.

b) *graecorum.*

α.

ἀγαθοσύνη (χρηστότης), 1, 162 sq. 164. ἀγαθωσύνη ib. 197.
ἀγάπη 1, 174 sqq. 2, 120 sq.
ἁγιασμός 1, 176 sq.

ἀγριέλαιος (κότινος) 1, 160.
ἀετός (αἰετός) 1, 134.
ἀθέμιτος, ἀθέμιστος 1, 152.
ἄθεσμος 1, 200.
ἄθλησις 1, 200 sq.
αἱματεκχυσία 1, 204.
αἰσχρότης 1, 204.
αἴτημα αἴτησις 1, 150.
αἰχμαλωτίζειν, -ζεσθαι (αἰχμάλωτον ποιεῖν, -γίνεσθαι) 1, 164. αἰχμαλωτεύω, αἰχμαλωσία ib. 202.
αἰών 2, 156.
ἀκαταπαυστός (ἄπαυστος) 1, 152.
ἀκαταστασία 1, 201.
ἀκούσω (ἀκούσομαι) 1, 115. 142.
ἀλαλήτος 1, 207.
ἀλεκτοροφωνία 1, 164.
ἀλέκτωρ (ἀλεκτρυών) 1, 145.
ἀλήθειν 1, 155.
ἀλλαχόθεν 1, 158.
ἀλλοτριοεπίσκοπος 1, 162.
ἁμαρτήσω (ἁμαρτήσομαι) 1, 115. 142.
ἁμαρτωλός (ἁμαρτηλός) 1, 152. 201.
ἀμφημερινός 1, 153.
ἀναβαθμός (ἀναβασμός) 1, 135.
ἀναγινωσκομένα, τά 1, 216 sq.
ἀνακαινόω (ἀνακαινίζω) 1, 156.
ἀνακαίνωσις (ἀνακαινίσις) ib.
ἀναρχία, τ. βασιλείᾳ τ. 9. opp. 2, 140 sq.
ἀναστατοῦν (ἀνάστατον ποιεῖν) 1, 164.
ἀνάψυξις 1, 202.
ἀνείλατε, ἀνείλατο 1, 140.
ἀνετάζειν (ἐξετάζειν) 1, 155.
ἀνθέμιον 1, 101 sq.
ἀνθρωπάρεσκος 1, 162.
ἀνθυπατεύω 1, 164.
ἀνθύπατος ib.
ἀνταπόδομα (ἀνταπόδοσις) 1, 149.
ἀντίχριστος 1, 215; 2, 159.
ἄντλημα (ἄντλος) 1, 150.
ἄξω (ἄξομαι) 1, 142.
ἀπείραστος (ἀπείρατος, ἀπείρητος) 1, 151.
ἀποδεκατόω 1, 157.
ἀποκεφαλίζειν (καρατομεῖν) 1 163.
ἀπόκριμα (κατάκριμα, ἀπόκρισις) 1, 150.
ἀπολλύων (ἀπολλύς) 1, 143.
Ἀπολλῶ, τοῦ, τόν 1, 136.
ἀποσυνάγωγος 1, 205.
ἀρτιγέννητος 1, 152.
ἀρχάγγελος 1, 205.
ἀρχιποίμην 1, 205.
ἀρχισυνάγωγος 1, 162.
ἀρχιτελώνης ib.
ἀρχιτρίκλινος 1, 205.
ἄρχοντες, οἱ τ. αἰῶνος τούτου 2, 142.
ἄρχων τ. κόσμου 2, 144 sqq.
ἀσθένημα (ἀσθένεια) 1, 150. 205.

αὔξη (αὔξησις) 1, 148.
αὐτάρ (ἀτάρ) 1, 135.
αὔχη, αὔχημα 1, 150.
ἀφέωνται (ἀφεῖνται) 1, 137.
ἀφυπνόω (ἀφυπνίζω) 1, 156. 202 sq.

β.

βάθμος (βάσμος) 1, 135.
βαπτισμός, βάπτισμα, βαπτιστής 1, 203.
βασιλεία τ. θεοῦ etc. 2, 98 sqq. 107 sqq. τ. σατανᾶ ib. 144 sqq.
βασίλισσα (βασιλίς) 1, 145.
βάτος 1, 144.
βεβηλόω (βέβηλον ποιεῖν;) 1, 164.
βιαστής (βιατής) 1, 151 sq.
βιβλαρίδιον 1, 205.
βίβλοι, οἱ ἐνδιάθηκοι 1, 210. β. κανονικοί, δευτεροκ. v. Canon.
βλάσφημος 1, 199 sq.
βουλή (βούλησις) 1, 148.
βούλομαι, βούλει, ἠβουλήθην, ἐβουλήθη 1, 137.
βρέχειν (ὕειν) 1, 169.

γ.

γελάσω (γελάσομαι) 1, 142.
γενέσια (γενέθλια), τά 1, 119.
γενηθείς (γενόμενος) 1, 141.
γίνομαι (γίγνομαι) 1, 135.
γινώσκω (γιγνώσκω) ib.
γνωτός, γνωστός 1, 152.
γογγύζειν; γογγυσμός (τονθρύζειν, τονθρυσμός) 1, 159.
γονεῖς, τούς, 1, 136.
γραμματεῖς, τούς ib.
γρηγορεῖν (ἐγρηγορεῖν) 1, 154.

δ.

δαίμονες, δαιμόνια etc. 2, 148. δ. ἔχειν quid Johanni? ib. 151. δ. ἐκβάλλειν ib. 147 sq.
δαυλός (δαλός) 1, 135.
δέεσθαι τ. πνεύματι 1, 182.
δεῖπνον, τὸ κυριακόν 1, 275 sq.
δεκατόω (δεκατεύω) 1, 156.
δεξιαὶ θεοῦ 2, 128. δ. δυνάμεως ib.
δεσμεῖν (δεσμεύειν) 1, 154 sq.
δεσμοί, οἱ (δεσμά, τά) 1, 144.
διάβολος 2, 144 sqq.
διαθήκη, ἡ καινή 1, 210. ἡ τοῦ πνεύματος 1, 190.
δίδραγμον (δίδραχμον) 1, 121. 135.
διηνεκής 1. 207 sq.
δικαιοσύνη, ἡ τ. θεοῦ etc. 2, 73 sqq.

δοκιμασία (δοκιμή) 1, 147.
δόξα 2, 129 sq. δόξης vocabulum pro βασιλείας Johanni familiare ib.
δύναμαι, δύνῃ, ἠδυνήθησαν, ἐδύνατο 1, 137.
δύναμις πνεύματος ἁγίου 1, 188.
δυναμόω 1, 163.
δύνῃ (δύνασαι) 1, 140.
δυσί (δυοῖν) 1, 136.
δωδεκάφυλον 1, 162.
δῴη (δοίη) 1, 115. 143.

ε.

ἐβλάστησα (ἔβλαστον) 1, 243.
ἐβουλήθη 1, 137.
ἐγάμησα (ἔγημα) 1, 143.
ἐγανάκτησα (ἠγανακτησάμην) 1, 142 sq.
ἐγέννησα (ἐγεννησάμην) 1, 115. 142.
ἔγκυος (ἐγκύμων) 1, 152.
ἔγνωκαν (ἐγνώκασι) 1, 139.
ἐδολιοῦσαν (ἐδολιοῦν) ib.
ἐδύνατο ib.
ἔζησα 1, 115.
ἔθρεψα (ἐθρεψάμην) 1, 142.
εἴδαμεν 1, 120. 140.
εἶδαν ib.
εἰδωλολατρεία, -άτρης 1, 162.
εἰπόν (εἰπέ, εἶπα) 1, 138.
εἴρηκαν (εἰρήκασι) 1, 139.
εἰσήλθατε 1, 140.
ἐκκλησία cum adiunctis 2, 132 sq. ἐκκλησίας defectione opposita ib. 143 sq.
ἐκρίνοσαν 1, 139
ἔκτρωμα (ἐξάμβλωμα) 1, 159.
ἐκχέω 1, 140.
ἔλαβαν 1, 120.
ἔλεος 1, 144.
ἐλεύσομαι 1, 115. 141.
ἔμελλε 1, 137.
ἐμπτύειν 1, 198.
ἔνδειγμα, ἔνδειξις 1, 149
ἐξάπινα (ἐξαπιναίως, ἐξαπίνης) 1, 157 sq.
ἐξείλατο 1, 140.
ἐξήλθατε ib.
ἐξουδενόω (ἐξουδενίζω) 1, 157.
ἐξουσία 2, 128. ε. τέκνα θεοῦ γενέσθαι, ε. τοῦ ἐκ θεοῦ γεννηθῆναι ib. 131. ε. τοῦ Σατανᾶ ib. 144 sqq.
ἐξυπνίζειν (ἀφυπνίζειν, διυπ.) 1, 155. 163.
ἐπαινέσω (ἐπαινέσομαι) 1, 142.
ἔπεσα (ἔπεσον) 1, 120. 140.
ἐπιφάνεια Χρ. 2, 128.
ἐπιφαύω (ἐπιφάω) 1, 135.
ἐπουράνιος cum βασιλείας voc. coniunct. 2, 120. τὰ ἐπουρ. ib. 135.
ἔργα κ. πίστις 2, 14 sq. 27 sq. 55 sq. 75 sq.
ἔσθημα 1, 149.

ἔσθησις 1, 207.
ἔσχαται ἡμέραι 2, 129.
εὐαγγέλιον, τό, quomodo differat ab eod. sine artic. εὐαγγ. κατὰ — quid? 1, 239.
εὗραν 1, 120. 140.
εὐσχήμων 1, 118 sq.
εὐχαριστεῖν 1, 169.
ἐφάγαμεν 1, 120. 140.
ἔφυγαν ib.
ἑώρακαν 1, 139.

ζ.

ζήτημα, ζήτησις 1, 149.
ζωή, ζ. αἰώνιος 2, 92 sqq. 130. ζωῆς αἰων. defective opposita ib. 141 sqq.
ζωοποιοῦν, τό, τὸ πνεῦμα 1, 190.

η.

ἠβουλήθην 1, 137.
ἠδυνήθησαν ib.
ἡδύς, ἥδυον 1, 153.
ἤλθατε (ἤλθετε) 1, 120. 140.
ἤλθοσαν 1. 139.
ἡμάρτησα (ἥμαρτον) 1, 143.
ἡμέριος, ἡμερινός, ἀμφημ. 1, 153.
ἡμίσους (ἡμίσεος) τοῦ 1, 136.
ἠνεῳγένη θύρα 1, 141.
ἠνεῴχθη ib.
ἠνοίγη ib.
ἤνοιξε ib.
ἠνοίχθη ib.
ἡρπάγην (ἡρπάσθην) 1, 143.
ἥττημα (ἧσσα, ἧττα) 1, 150.
ἤτω (ἔστω) 1, 138.

θ.

θερινός 1, 153.
θρόνος 2, 130. θ. βασιλείας, δόξης ib. 127.

ι.

ἴαμα, ἴασις 1, 149.
ἴαυχε (ἴαχε) 1, 135.
ἱεράτευμα βασίλειον 2, 134. 137 sqq.
ἱερουσαλήμ, ἡ ἄνω, -καινή 2, 135.
ἱλασμός 2, 75.
ἰσχύς 2, 128.

κ.

καθημερινός (καθημέριος) 1, 152 sq.
καθίσω (καθιῶ) 1, 142.
κάθου (κάθησο) 1, 143.

καινότης πνεύματος 1, 189.
καλέσω (καλοῦμαι) 1, 142.
καμμύειν (καταμύειν) 1, 134.
κανονίζειν, κανών, κανοικός, δευτεροκ. v. Canon.
καταλαλία (λαλία, προσλ., προλ.) 1, 163 sq.
καταλλαγή 2, 75.
κατάλυμα (καταγώγιον, κατάλυσις) 1, 148 sq.
κατελίποσαν 1, 139.
κατοικητήριον τ. θεοῦ 2, 132 sq.
καυχᾶσαι (καυχᾷ) 1, 138.
καύχη, καύχημα 1, 150. καύχησις ib. 148.
κέρας τ. σωτηρίας 1, 345 sq.
κερδήσω (κερδανῶ) 1, 142.
κλαύσω (κλαύσομαι) ib.
κλέψω (κλέψομαι) ib.
κληρονομία 2, 130. id. cum adiunctis ib. κ. αἰωνίου defective opposita ib. 141. sqq.
κλῆσις, ἡ ἄνω, ἐπουράνιος 2, 231.
κλητοὶ ἅγιοι 2, 133.
κλίβανος (κρίβανος) 1, 134.
κνήθειν (κνεῖν) 1, 155.
κοινὴ ἔκδοσις, de ea nonnulla 1, 242 sqq.
κοινωνία τ. Χρ. etc. 2, 131. 133.
κολλυβιστής 1, 160.
κοράσιον ib.
κόσμος 2, 154 sqq.
κράββατος (σκίμπους) 1, 163.
κραταιόω (κρατύνω) 1, 157.
κράτος 2, 128.
κῶ, τήν 1, 136.

λ.

λαός, λ. θεοῦ etc. 2, 132. λ. περιποιήσεως ib. 137 sq.
λιμός 1, 120 sq. 143.
λιτότης 1, 74.
λόγος χάριτος 2, 134.

μ.

μαθητρία (μαθητρίς) 1, 147.
μάμμη 1, 168.
μέλλω, ἤμελλε, ἔμελλε 1, 137.
μερισμός, διαμ. (δασμός, αναδασμός) 1, 162. 164.
μεσημβρινός 1, 153.
μετάνοια 2, 76 sq.
μετοικεσία (μετοίκησις, μετοικία) 1, 147.

ν.

ναὸς θεοῦ 1, 132.
ναῦν, τήν 1, 136.
νεοσσός (νοσσός) 1, 122.
νήθειν (νεῖν) 1, 155 sq.

νεί (νῷ) 1, 136.
νοσσός, νοσσίον (νεοσσός; νεοσσίον) 1, 122. 135.
νύξ 1, 336.

ξ.

ξυράω (ξυρέω) 1, 146.

ο.

ὀδυνᾶσαι (ὀδυνᾷ) 1, 138.
οἴδασι (ἴσασι) 1, 143.
οἰκοδεσπότης 1, 145.
οἰκοδομή (οἰκοδόμημα) 1, 145.
οἶκος θεοῦ 2, 132.
ὀρθρίζειν (ὀρθρεύειν) 1, 154. 163.
ὀρθρινός (ὄρθριος) 1, 153.
ὀρχήστρια (ὀρχηστρίς) 1,147 sq.
ὀστρακινός 1, 198 sq.
οὐδείς (οὐθείς) 1, 121.
οὐθέν (οὐδέν) 1, 135.
οὐρανοῦ voc. cum aliis e. g. βασιλείας voc. coniunctum 2, 118 sqq.
ὄψει 1, 137.
ὄψομαι, ib.

π.

παιδεύειν 1, 117. 165.
παλιγγενεσία 2, 131.
πανδοχεῖον (πανδοκεῖον) 1, 135.
πανοικί (πανοικησίᾳ) 1, 158.
πάντοτε (ἑκαστότε) ib.
παρακαλεῖν, παράκλησις 1,165.
παράκλητος 1, 188.
παρέξει (παρέξῃ) 1, 137.
παρέστηκαν 1, 139.
παρουσία Χρ. 2, 99 sqq. 128.
πατρὶς ἐπουράνιος 2, 130.
παύσομαι (πεπαύσομαι) 1, 142.
πειράζω, ἐπειράσθην, ἐπειράθην 1, 152.
περιπατεῖν κατὰ πνεῦμα 1, 190. πνεύματι ib. 191.
περιποίησις 2, 132.
πιάζω (πιέζω) 1, 134.
πιστεύειν 2, 93 sqq.
πίστις ib., ib. 134 sqq. eius opposita ib. 167 sqq. π. καὶ ἔργα ib. 14 sq. 27 sq. 55 sqq. 75 sq.
πνεῦμα
e sensu *physico*
a) oris halitus 1, 177 sq.
b) spiritus vitalis ib. 178 sq.
c) ventus 179.
e sensu *metaphysico*
a) anima in universum 180 sq. singulae eiusdem vires 181.
α) mens 182.

β) sensus ib.
γ) voluntas ib. sq.
δ) animus 183.
b) daemon. 184. Cf. 2, 148 sqq.
c) deus 185.
d) Christus ib.

e sensu *dynamico*

vis divina (πν. ἅγιον, πν. τ. θεοῦ) 185 sq., manifestata ea
α) in natalibus, β) in inauguratione, γ) in miraculis — Christi 186 sq.
δ) in prophetis, apostolis etc. 187.
ε) concessa omnib. Christianis (πν. τ. ἀληθείας, -χάριτος, δύναμις πνεύματος ἅγ., παράκλητος, πν. τ. κυρίου, Χριστοῦ) 188.

e sensu *metonymico*

a) mentis ideae (πν. πίστεως, -ἀγάπης, -δουλείας, -υἱοθεσίας, -πραότητος) 189.
b) evangelium Chr. (καινότης πν.) ib.
c) mens religiosa ib.
d) spiritus div. in prophetis mortem Christi praedicentibus (πν. αἰώνιον) ib.

e sensu *contradictorio*

spiritus opp. corpori (γεννηθῆναι ἐκ τ. πν., ἐν πν. καὶ ἀληθ. προσκυνεῖν τ. θεόν, τὸ πν. τὸ ζωοποιοῦν, ὁ κύριος τὸ πν., κατὰ πν. περιπατεῖν al.) 189 sq.

ποίμνη, ποίμνιον 2, 133.
πόλις θεοῦ ζῶντος 2, 130.
πολίτευμα ἐν οὐρανῷ 2, 131.
πολύσπλαγχνος 1, 163.
πονηρός, ὁ 2, 144 sqq.
πράξω (πράξομαι) 1, 142.
προσκυνεῖν τ. θεὸν ἐν πν. κ. ἀληθ. 1, 190.
προσφάγιον 1, 199.
προσωποληπτέω, -λήπτης, -ληψία 1, 164.
πρωινός (πρώιος et πρώιμος) 1, 153.

ρ.

ῥάβδος βασιλείας 2, 127.
ῥεύσω (ῥεύσομαι) 1, 142.
ῥήσσω (ῥήγνυμι) 1, 146.

σ.

σαλπιστής (σαλπικτής) 1, 135.
σαλπίσω (σαλπίγξω) 1, 142.
σὰρξ καὶ αἷμα 2, 142.
σαροῦν (σαίρειν) 1, 157. 163.

σατανᾶς 2, 144 sqq.
σθενόω (σθενέω) 1, 157.
σιτιστός (σιτευτός) 1, 153 sq.
σκορπίζω, διασκ. (σκεδάννυμι, διασκ.) ἀποσκ., ἐκσκορπισμός 1, 159 sq.
σκοτία (σκότος) 1, 143.
σκότος 1, 143.
σπλαγχνίζεσθαι, ἐπισπ. 1, 163.
σπουδάσω (σπουδάσομαι) 1, 142.
συνέχεσθαι τῷ πνεύματι 1, 183.
συντέλεια τ. αἰῶνος τούτου 2, 129.
σῶμα τ. Χρ. 1, 335.
σώζειν, σωτήρ, σωτηρία 2, 92 sqq.

τ.

τάχιον (θᾶττον) 1, 153.
τρόχος 1, 106.

υ.

ὕαλος (ὕελος) 1, 134.
ὑγιῆ (acc.) 1, 136.
ὕδωρ 1, 334.
υἱοθεσία 2, 131.
υἱὸς τ. θεοῦ cum βασιλείας voc. junct. 2, 120 sq.
υἱοὶ βασιλείας ib. 121.

φ.

φειδωλός 1, 201.
φιάλη (φιέλη) 1, 134.
φρόνημα, φρόνησις 1, 149.
φῶς, 1, 335. 2, 131.

χ.

χαρήσομαι (χαιρήσω) 1, 142.
χάρις cum adiunctis 2, 134 sq. eius opposita ib. 167. sqq.
χριστὸς adiunct. βασιλείας vocabulo 2, 120 sq.
χρόνον ποιεῖν (διατρίβειν) 1, 165 sq.

ψ.

ψευδωλός 1, 201.
ψεῦσμα 1, 151.

INDEX LOCORUM.

Genesis.

1, 3 sqq. - 1, 77.
6, 3. - 1, 109.
10, 21. - 1, 88.

Exodus.

4, 9. - 1, 140.
6, 25. - 1, 49.
12, 49. - 1, 29.
16, 33. - 1, 49.
18, 13 sq. - 1, 51.
24, 12. - 1, 29.
29, 12. - 1, 140.
33, 7. - 1, 49.
33, 11. - ib.

Leviticus.

6, 2. - 1, 29.
6, 7. - ib.
6, 18. - ib.
7, 1. - ib.
7, 7. - ib.
7, 11. - ib.
7, 37. - ib.
11, 46. - ib.
12, 7. - ib.
13-15. haec praecepta; an a Mose profecta? 1, 19 sq.
13, 59. - 1, 29.
14, 2. - 1, 29.
14, 32. - ib.
14, 54. - ib.
14. 57. - ib.

Numeri.

5, 29. - 1, 29.
15, 16. - ib.
19, 2. - ib.
19, 14. - ib.
31, 21. - ib.
35, 9. h. praeceptum an a Mose profect. 1, 18 sq.

Deuteronomium.

1, 5. - 1, 29.
4, 8. - ib.
6, 5. - 1, 182.
17, 14. hanc legem ferendo rem supposuit Moses, quam nunquam fieri exoptabat 1, 17 sq.
17, 18. - 1, 29 sq.
19, 1 sqq. h. praecepta an Mosi debeantur 1. 18 sq.
19, 14. huj. legis Moses an auctor fuerit nec ne 1, 16 sq.
27, 3. - 1, 29 sq.
27, 8. - ib.

27, 26. - 1, 29.
28, 58. - 1, 30 sq.
28, 61. - ib.
29, 20. - ib.
29, 26. - ib.
29, 29. - ib.
29, 29. - ib.

Josua.

1, 8. - 1, 39.
8, 31. - ib.
8, 32. - 1, 39 sq.
23, 6. - ib.
24, 19. - 1, 73.

I. Regum.

2. 3. - 1, 38.
7, 41 sq. - 1, 101.

II. Regum.

17, 20. - 1. 140.
22, 8. - 1, 32 sqq.
22, 9 sqq. - 1, 32 sqq.
23, 2. - 1, 35.

II. Chron.

4, 12 sq. - 1, 101.

Nehemia.

8, 13. - 1, 59 sq.
10, 30. - 1, 32.

Esther.

2, 12. - 1, 74.
2, 15. - ib.
6, 14. - ib.

Jesaia.

11, 4. - 1, 178.
43, 4. - 1, 174.
66, 2. - 1, 184.

Jeremia.

9, 16 sqq. - 1, 97.

Ezechiel.

7, 12. - 1, 74.
12, 11. - 1, 147.

Hosea.

9, 18. - 1, 174 sq.
11, 1. - 1, 175.

Amos.

5, 16. - 1, 97.

Jona.

1, 4. - 1, 179.

Zacharja.

4, 3 sq. - 1, 103.

Psalmi.

33, 6. - 1, 178.
34, 19. - 1, 181 sq.
104, 29. - 1. 109. 178.
149, 2. - 1, 73.

Canticum.

2, 12. - 1, 74.

Proverbia.

9, 10. - 1, 73.
16, 18. - 1, 183.
17, 22. - 1, 181.
18, 14. - 1, 181 sq.

Ecclesiastes.

3, 19. - 1, 181.
3, 21. - 1, 100 sq. 181.
7, 8. - 1, 184.
11, 9-12, 7. - 1, 62 sqq.

Hiob.

21, 18. - 1, 179.
27, 4. - 1, 178.
33, 4. - 1. 109.
35, 10. - 1, 72.

I. Macc.

11, 55. - 1, 160.

II. Macc.

7, 22 sqq. - 1, 178.
7, 37. - 1, 155.

Tob.

3, 6. - 1, 96 sq.